[illegible]

[illegible]

[illegible] [illegible]

DE
SCORBUTO
TRACTATUS
DANIELIS SENNERTI,

Uratislavienſis, Sileſii, D. & Medicinæ in
Academia Wittebergenſi Profeſſ.

Cui acceſſerunt ejusdem argumenti Tractatus & Epiſtolæ

BALDUINI RONSSEI,
JOHANNIS ECHTII,
JOHANNIS WIERI,
JOHANNIS LANGII,
SALOMONIS ALBERTI,
MATTHÆI MARTINI.

Editio Secunda.

FRANCOFURTI & WITTEBERGÆ,
Sumptibus Hæred. D. TOBIÆ MEVII, & ELERDI SCHUMACHERI.

Anno Christi M. DC. LIV.

Genere, literis, ſapientia ac virtute,
Illuſtri & Nobiliſſimo Heroi,

DN. OLIGERO ROSECRANZIO,

Domino hæreditario in Roſenholm, Scabye, Raunholt, &c. Daniæ Regni Senatori præcipuo, Illuſtris Academiæ Regiæ Soranæ ſupremo Directori, Præſidi Otthonienſium in Fionia, Domino & Fautori plurimum honorando.

S. P. D.

ETsi, Vir Generoſe & Nobiliſſime, Domine plurimùm colende, ab antiquis & majoribus noſtris multa de re Medica eruditè ſcripta exſtant, ut novorum librorum acceſſione Medicina potius onerari, quàm ornari atque amplificari videri poſſit: tamen quod de bonis literis in univerſum Seneca, *epiſt. 64.* pronunciat, de arte medica quoque veriſſimum eſt. *Agamus,* inquit, *bonum patrem familiæ: faciamus ampliora, quæ accepimus: major iſta hæreditas à me ad*

poſteros tranſeat. Multum adhuc reſtat operis, multumq; reſtabit, nec ulli nato poſt mille ſecula præcludetur occaſio aliquid adhuc rejiciendi. Etenim ſi majores noſtri quisque ſuo ſeculo in antiquorum inventis acquieviſſent: næ! anguſta ad nos iſta hæreditas perveniſſet. Cum verò nullum ævum, nulla natio tam inculta fuerit, quæ non aliquod ſeu ab arte ſeu ab experientia additamentum adjecerit: Medicina hodie ſatis exculta, ſatis exornata eſt. Et inprimis ad eam amplificandam multum fecit bonarum literarum illa in Imperiorum mutationibus per varias gentes peregrinatio. Cum enim omnis tellus omnia non ferat: in variis, à quibus propagata eſt, populis ſubinde novas acceſſiones, ac nova incrementa accepit. Exculta proculdubio fuit Medicina à Chaldæis & Ægyptiis; etſi eorum ſcripta ad nos non pervenerint. Ad Græcos delata, quantum ab iis expolita & amplificata fuerit, vel Hippocratis & Galeni ſcripta teſtantur; ut aliorum mentionem non faciam, quorum induſtria & nomina paſſim è Galeni ſcriptis nota ſunt. Nec Romani in Medicina colenda ſuis partibus defuerunt. Quanquam maxima ex parte peregrinorum, & imprimis Græcorum, Medicorum opera diu uſa ſit Italia. Et ipſe Galenus etſi Aſia-

ticus

ticus meritò inter Medicos Romanos numeratur. Ruentibus tandem rebus Romanis, gloriam literarum ad ſe abripere conati ſunt Arabes: neq; infeliciter; cum tempore non ita longo, ut ad reliquarum literarum, ita & ad Medicinæ culmen ferè adſcenderint. Paulò poſt rurſum ſtudia apud Gallos reviviſcere cœperunt, iterumq; in Latium quaſi poſtliminio redierunt, ac tandem paulatim ad nos etiam, Occidentalium Imperatorum opera, qui harum regionum Academias excitarunt, pervenêre. Et quidem bono facto. Senecæ enim conſilio obſecuti Galli, Itali, Germani bonos omnino Patres familiæ egerunt; fecerunt ampliora, quæ acceperant, ut ampla ſatis hæreditas ab ipſis ad nos tranſierit: quos & nos imitari atq; operam dare decet, ut accepta à majoribus iſta hæreditas ad poſteros adhuc amplior tranſeat. Ut de aliorum ſtudiorum & literarum incremento non dicam, à Medicis Anatomia tantâ diligentiâ, tantâ ἀκριβείᾳ hactenus tractata eſt, ut Recentiores antiquis omnino palmam hac in re præripuiſſe videantur. Nec minore diligentiâ Botanica exculta eſt, & omnium regionum plantæ, quarum cognitio avorum memoria ferè interierat, non ſolùm exactè deſcriptæ, ſed & typis ac figuris

eleganter delineatæ atq; depictæ hodie exſtant. Novorum medicamentorum antiquis planè incognitorum ſupellectile multum hodie res medica aucta eſt. Inprimis Chymia in lucem producta, quæ, ut Schegkii verbis utar, in ſeparandis mixtis naturis admodum efficax eſt, quæque à ſuis tanquam excrementis & quisquiliis quodammodo atque impuris partibus partes utiles ſeparat, & medicamenta grata atque efficacia ſuppeditat. Reliquæ etiam medicinæ partes omnes eodem modo excultæ ſunt. Multa, quæ antiquis in corpore humano fieri poſſe credita non ſunt, facta eſſe, diligenti obſervatione compertum: multorumque morborum & ſymptomatum cauſæ rectius & clarius explicatæ ſunt: imò novi, aut potius antiquis vel planè non vel non ſatis cogniti, morbi recentiorum diligentiâ obſervati & in lucem protracti ſunt. Ut unum atque alterum attingam, in antiquorum ſcriptis nuſpiam obvia lues illa venerea, quam Gallicum morbum vulgò nominant, quæ avorum memoria innotuit, deſcripta eſt diligenter, & ad eam propulſandam utilia & efficacia medicamenta inventa ſunt. Cui antiquorum Plica Polonica cognita fuit? quæ tamen hodie vulgo etiam in Polonia

& vi-

& vicinis regionibus nota eſt, & aliis etiam Medicorum Patavinorum ſcriptis, qui à Polonis rogati conſultationes de ea addiderunt, hodie innotuit. Et ſimiles morbi in aliis atque aliis regionibus innotuerunt; quos equidem ſeriò novos non dixero (ſicut nec Nicotianam, nec Guajacum nec Mechoacannam aut ſimiles plantas, non ita dudum è peregrinis locis in has regiones advectas, novas nominare licet) ſed potius noviter cognitos. Ut enim non omnes terræ omnes plantas ferunt, ſed aliæ alias: ita & morbi quibusdam locis domeſtici, aliis ignoti vel rariores ſunt. Ideoque etiam non omnes à Græcis, à quibus medicinam accepimus, tàm clarè, ut hodie quidem deſcripti exſtant deſcribi potuerunt.

Inter eos eſt Scorbutus, procul dubio multis jam ſeculis Saxoniæ inferiori & maris Balthici atque Oceani Germanici accolis domeſticus & vernaculus: qui tamen patrum demùm memoria ſcriptis Medicorum, qui in iis locis Medicinam fecerunt, diligentius deſcribi cæpit, ut in multorum, quos antea latuerat, notitiam pervenerit. Cujus cum mira planè ſit facies, ut vix alius tam πολύμορφος reperiatur, operam me planè luſurum non putavi, ſi ejus deſcriptioni aliquid tem-

poris

poris impenderem. Inprimis cum Saxoniæ inferioris terminis & vicinis illis maritimis locis hodie non coërceatur, ſed limites illos tranſilierit, ac in noſtris & plurimis aliis regionibus quandoq; etiam obſervetur. Teſtatur enim experientia, Virum Clariſs. Dn. D. Salomonem Albertum, olim in hac Academia, & profeſſione anteceſſorem meum, rectè ſcripſiſſe, ſe nuſpiam non reperiſſe Scorbuti ſeminaria, quorſumcunque appulerit, quemcunque in mundi cardinem curandi cauſſa evocatus fuerit. Regnare in Miſnia, Luſatia, Bohemia, & Sileſia, ad ſylvam Herciniam & tractus Bruſacterorum, in Saxonia ſuperiore & inferiore.

Hunc verò meum de Sorbuto tractatum nomini tuo, Vir Generoſe & Nobiliſſime, ut inſcriberem, non leves cauſas habui. Non enim ſolùm generis Tui Nobilitas, virtus & inſignis eruditio, longe lateque ſui ſplendoris radios ſpargunt, & multos in Tui amorem & admirationem rapiunt: verum etiam quotiescunque ſuperioris & ante triginta annos temporis in hac Academia acta memoria repeto (repeto autem ſæpiſſime, & ejus temporis felicitatem cum noſtri, in quod nos Deus reſervavit, calamitoſo ſtatu confero)

inter

inter alia ſemper inſigne illud virtutis & ſapientiæ in Te ſtudium mihi ob oculos verſatur. Etenim tam ſtrenue ad virtutis, eruditionis & honoris culmen tendere videbaris, ut ſi vel majorum nobilitas Tibi defuiſſet, eam tuis meritis acquirere potuiſſes. Hinc adeo factum, ut non tam Tu majorum imaginibus uti, quam illi de tua Nobilitate & Virtute gloriari poſſint. Atque ita omnia, quæ ad laudandos laudabiles neceſſaria ſunt, in Te concurrunt, generis nobilitas, literarum divinarum humanarumque cognitio tanta, ut eruditionis palmam etiam ſapientiæ Profeſſoribus præripuiſſe videaris; virtus, honores ſummi, dignitates ſublimes opes cumulatiſſimæ. Quę omnia cum me in Tui amorem & venerationem rapuerint, & ut nomini Tuo hunc tractatum conſecrarem, permoverint: Quęſo, Vir Generoſe & Nobiliſſime, qua es in iſto honorum & dignitatum faſtigio humanitate, & pro eo, quo literas & literatos complecti ſoles favore, benevolo vultu hunc meum de Scorbuto tractatum, & quę rei Medicæ augendæ er

go adjunxi, atque omnino hunc meum laborem & erga Te affectum ſuſcipe & boni conſule. Ita Deus Opt. Max. Tecum Nobiliſſima familia diu ſalvum & florentem conſervet. VVittebergæ, Calend. Auguſti, Anno Chriſti 1624.

T. Generoſitatis ac Magnificentiæ obſervantiſſimus,

Daniel Sennertus, D.
& Facult. Medicæ Profeſſor & Senior.

LECTORI BENEVOLO ET CANDIDO S.

A Nimus equidem erat, Lector benevole & candide, hunc meum de ſcorbuto tractatum aliquandiu adhuc premere & domi meæ detinere: cum quid in eo deſideretur, ipſemet optimè ſciam, atq; in multis nec mihi ipſi ſatisfecerim. Verum cum eum à nonnullis expeti viderem, idq; vel ex eo colligere potuerim, quod nuper à philiatro quodam curatum eſt, ut è Lectionibus meis practicis Caput illud de ſcorbuto, quod ante annos tres Auditoribus meis ad calamum dictaveram, Ienæ typis exſcriberetur, & in publicum emitteretur: facere non potui, quin tractatum illum quem in multis locis auctum, & in hanc, quam vides, formam redactum ad manum iam habebam, ipſemet in lucem ederem. In quo ſi aliquid occurret, quod tibi non arridebit, tui officii erit, candidè & benignè id interpretari, & ea, in quibus ego tibi in iſta Naturæ obſcuritate ſatisfacere non potui, ſupplere & abſolvere. Ita enim à me & poſteris magnam inibis gratiam. Carpendò verò ſaltem rei medicæ nihil commodaveris.

Ne quis verò hæc eo fine me in lucem dare voluiſſe ſibi perſuadeat, ut Majorum ea de re ſcripta juventuti ſtudioſæ è manibus excuterem, & mea hæc ſubſtituerem: eorum ipſorum, qui primi hanc glaciem fregerunt, morbumq; hunc deſcripſerunt, de ſcorbuto ſcripta coniungere volui, BALD. RONSSEI, JOH. ECHTHII, JOH. WIERI, JOH. LANGII, & cuius exemplaria iam deſiderari cœperunt, elegantem Dn. SALOMONIS ALBERTI, olim in hac Academia Profeſſoris & anteceſſoris mei, de ſcorbuto tractatum. Volebam equidem & Severini Eugaleni, qui præ cæteris latentem ſub aliorum morborum ſpecie ſcorbutum ſtudioſè detexit, & graphicè depinxit, de ſcorbuto librum adiungere: Verum cum nuper eum diligenter recognitum ediderit Vir Clariſs. Dn. D. Zacharias Brendelius, in Academia Ienenſi Medicinæ Profeſſor, amicus meus honorandus, actum agere nolui, ſed potius ea ipſa editione, quotieſcunq; Eugalenum allegavi, uſus ſum. Addidi tandem & D. MATTHÆI MARTINI, quondam Medici Islebienſis ordinarii, de ſcorbuto commentationem. Cum enim inſcriptio libelli de ſcorbuto nuper Ienæ editi

& hunc

& hunc D. Matthæi Martini tractatum promitteret, neq; tamen in bibliopoliis ille uſpiam compareret, etiam eum, cum exemplar M. S. meo tractatu fere jam typis exſcripto, forte fortuna in manus meas perveniret, adjungere, & hoc etiam modo Medicinæ ſtudioſis inſervire volui. Ac feci id eo lubentius, quod virum hunc doctum, & in praxi Medica bene verſatum, Eugaleni veſtigiis, procul dubio experientia duce, inſiſtere, & morbos ac ſymptomata, quæ ſcorbuto coniungi ſolent, diligenter deſcribere vidi. Si qui verò forſitan erunt, qui Eugalenum, Matthæum Martini, & me quoq; in iis deſcribendis nimis prolixos vel etiam ſuperfluos fuiſſe putabunt: eos rogatos volo, ut iudicium ſuſpendant, donec annos bene multos in praxi ad experientiæ trutinã, præcipuè iis in locis, quibus ſcorbutus eſt familiarior, iſta expenderint. Et ſi qui iis in locis degunt, ubi nulla ſcorbuti ſunt veſtigia (quæ tamen ſunt rariſſima) ex iſtis tamen de multis, quæ in affectione hypochondriaca (quæ nullibi non frequens eſt) & morbis ac ſymptomatibus, quæ ex iſta corporis ſentina oriuntur, & præcipue colluvie ſeroſa, accidunt, occaſionem cogitandi habebunt. Et ſi doctiſſ. Carol: Piſo, in lib. de morb. â colluvie ſeroſa, *tot morbos & ſymptomata à colluvie ſeroſa deduxit, & quidem, ut opinor, non malè hydrocephalum nimirum, parotides, genarum, gargareonis & glandularum oris, ac maxillarum tumores, dolores aurium, hypochyma, hemicraniam, aliosq; capitis dolores, vertiginem, carum, apoplexiam, lethargum, epilepſiam, ſyncopen, palpitationem cordis, catarrhos ac tuſſes, in ſpirando difficultates & aſthma, hydropem & hydatides pulmonis, ac thoracis, dolores lateris, diarrhæas, dolores ventris, renum, ureterum, hydropem totius ventris & uteri, hydrocelen, arthritidem, tremorem, ſtuporem, paralyſin, membrorum dolores, hemiplexiam, cachexiam, aquam inter cutem, febres varias, & odorem totius continuum & fætidum, tumores, hydatides, hydroa, exanthemata, & eiusmodi, ut ipſe,* in præfat. oper. *enumerat: Cur non eadem, & plura etiam, ſcorbuto coniungi poſſint mala, utpote qui & ipſe à colluvie ſeroſa, & quidem cum humore feculento, lutulento & craſſo mixta, ac peculiari modo corrupta, occultamq; malignitatem obtinente, ortum habet? Hiſce ergo, Lector Benevole, in proximi, quò omnia tendunt, & directa ſunt, commodum feliciter utere, & meum hunc qualemcunq; laborem boni conſule.*

DE

DE SCORBUTO

CAPUT. I.

De SCORBUTI Nominibus & Natura.

1. *Scorbuti Nomina.*
2. *An fuerit antiquis cognitus, & an ſit Oſcedo?*
3. *An ſit Stomacace, & Scelotyrbe?*
4. *An ſit icterus niger, & vitiligo nigra?*
5. *An magni lienes Hippocratis?*
6. *An Ileos Hæmatites Hippocratis?*
7. *An aliis Græcis, & Avicennæ notus?*
8. *Quibus regionibus ſit Endemius.*
9. *Quandoq; eſt Epidemius.*
10. *Morborum & Symptomatum in Scorbuto congeries.*
11. *Definitio Scorbuti.*

1. *Scorbuti Nomina.* MOrbi hujus, quem tractandum ſuſcipimus, vulgatum nomen apud Medicos eſt Scorbutus, ſeu Schorbutus, mutata appellatione à Saxoniæ inferioris incolis, qui eum Schorbock / aut Scorbuck / & Hollandis, qui Schorbuyck / ab effectu cruciatibus ſcilicet, & torminibus ventris, nominant. Quia tamen non ſolum venter, ſed & aliæ partes in eo afficiuntur, ab iis alia quoque nomina accepit, & Schurmundt / Danis etiam Schorbeck / ab oris ſchorbeck. *Scorbutus.* Schormundt.

oris vitio, vacillantibus dentibus, & laxis, ac ſæpè exulceratis gingivis; &

ſchorbein. Schorbein à languidis cruribus, & à blavis glaſtinis, ſeu puniceis maculis

Blauſchuyt. Blawſchuyt appellatur. Nonnulli (quod cuidam Regnerio Snoy, celebri ſui temporis practico, tribuitur, ut apud Foreſt. *lib.* 20. *obſ.* 11. videre eſt) à læſis gingivis, & pedibus

Gingipedium. Gingipedii nomen (craſſâ & pingui minerva, ut Cl. Salomon Albertus ait) finxerunt.

2.
An fuerit antiquis cognitus.

Quibus nominibus antiquis fuerit appellatus hic morbus, imò an antiquis cognitus fuerit, in controverſiam vocatur. Junius, *in Nomenclator.* à Marcello, qui Gratiani & Theodoſii Imperator ætate floruit, hoc malum appellari ſcribit Oſcedinem. Etſi verò nonnulli, ut Balduin. Ronſſeus, *lib. de magn. lienib. Hippocr. cap.* 2. hoc malè fieri dicant;

An ſit Oſcedo.

cum Oſcedo vitium ſit apud Gellium, *lib.* 4. *cap.* 20. quo qui tenentur, ſæpius oſcitant: tamen cum remedia, quæ Marcellus, *de re Medic. cap.* 11. contra Oſcedinem proponit; non oſcitationis vitio, ſed Scorbuto, & gingivarum exulcerationi conveniant: omnino oris vitium Scorbuticis familiare per Oſcedinem eo loco apud Marcellum intelligi debet. Quod verò Gellius, *loc. alleg.* deſcribit vitium, ab hoc planè diverſum eſt, & ita ſaltem nomine, nullo verò modo re oſcedo Gellii & Marcelli conveniunt.

Plinius morbi cujuſdam, quem Stomacacen, & Scelotyrben appellavit, mentionem facit, *lib.* 25. *hiſtor. natur. cap.* 3. his verbis. *Non beſtiarum*

3.
An Stomacace & Scelotyrbe.

ſolum ad nocendum ſcelera ſunt, ſed interim aquarum quoq; & locorum. In Germania trans Rhenum caſtris à Germanico Cæſare promotis marino tractu fons erat aquæ dulcis ſolus, qua pota intra biennium dentes deciderent; compagesq; in genibus diſſolverentur; Stomacacen Medici vocarunt; & Scelotyrben &c. Atque hunc morbum pleriq; Medici Scorbutum eſſe exiſtimant. Quibus & ego aſſentior, & Stomacacen, ac Scelotyrben Plinii ipſiſſimum Scorbutum eſſe puto; cum in iis locis, in quæ Cæſar Germanicus trans Rhenum caſtra promovit, malũ hodie etiam ſit frequens, & præcipuè in caſtris, iis maximè in locis, facilè contrahi poſſit. Nomen autem hoc non à Friſiis, & Germanis, qui procul dubio Medicis tùm temporis doctis, & linguarum peregrinarum peritis deſtituebantur, huic malo inditum, ſed Medici vel Græci, qui apud Romanos erant, vel Latini Græcæ linguæ periti, qui exercitum Romanum ſequebantur, ex ſymptomatis, quæ maximè in ore, & tibiis apparebant, id finxerunt, & indiderunt, ac στομακάκην, quaſi στόματος κακὴν vel κακίαν (Barbari Stomacaxiam nominant) ab oris vitio, quod Germanis etiam die Mundfeule / & σκελοτύρβην, ſeu σκελετύρβην (utrumque enim nomen apud probatos autores occurrit: prius tamen analogiæ magis

gis convenit) à tibiarum ſeu crurum læſione appellarunt; aut certè antiqua nomina, & iam tum apud Medicos obvia & uſitata iis accommodaverunt. Nam etiam in lib. de definit. Medicis, qui ſub nomi. Gal. circumfertur, Scelotyrbes fit mentio. Verum ea Scelotyrbe Scorbutus non eſt, ſed Paralyſeos quædam ſpecies, qua qui laborant, rectè incedere nequeunt; ſed nunc in lævam, nunc in dextram partem contorquent corpus, interdum crus poſt ſe trahunt, non ſecus, ac ad acclives locos aſcendentes faciunt. Quia ergo Græci, vel Romani, quibus primum Scorbutus offerebatur, in eo quoque crurum quandam reſolutionem animadvertebāt, atq; aliud commodius nomen non habebant, propter affinitatem & ipſum Scelotyrben nominarunt.

Quando hoc nomen acceperit. Verum hoc nomen non primum Scorbutus accepit in caſtris Cæſaris Germanici, quæ trans Rhenum duxerat, ut plerique exiſtimant: Verum iam apud Strabonem, *circa finem lib. 16. Geograph.* qui ſub Auguſto vixit, hæc nomina occurrunt, qui morbum hunc, qui in exercitu Ælii Galli iuſſu Auguſti in Arabiam ducto exortus eſt, Stomacacen & Scelotyrben nominat. Ut ita nomen hoc Medicis Romanis iam notum facilius morbo in caſtris Germanicis exorto imponi potuerit. Hic non prætereundum in Strabone non *στομακάκην*, ſed *στομο-κάκην* legi; quam lectionem ſi quis *στομα-κάκη.* derivabitur hoc nomē à *κάκη*, quod eſt merda: neque planè inconcinnè. Scorbuticis enim, qui hoc vitio oris laborant, os *κάκην* olet.

Neque hoc hîc ſilentio præterire poſſum, me dubitare, an Plinius cauſſam, quod militibus dentes deciderint, compageſque in gentibus diſſoluta eſſet, in potum aquæ dulcis cuiusdā fontis rectè retulerit. Nam cum hodie omnia illa loca trans Rhenum cognitiſſima ſint, neq; tamen quiſquam de tali fonte aliquid referat, quod ego ſciam; neq; Plinius id ſtatim, ſed poſt biennium demū accidiſſe ſcribat: credibilius eſt, id ſeu ex cibi prava ratione, ſeu contagio, & genio loci, cui & finitimis hoc malum Endemiū eſt, eos hunc morbum contraxiſſe, qui cum Romanis ignotus, & novus accideret, in peculiarem etiam cauſſam, & fontis illius aquam retulerunt.

An verò ultra iſta tempora notus, & quo nomine expreſſus fuerit, alii aliter ſentiunt. Sunt, qui Icterum nigrum antiquorum eundem morbum Scorbuto eſſe putant; alii id negant. Etſi enim Icterus niger quoque à liene ortum habeat: tamen in Ictero nigro totius corporis colorē ad nigredinem mutari, idque maximè in oculis animadverti, nullas verò maculas hinc inde ſpargi putant, quod non accidit in Scorbuto, in quo quidem etiam color cutis aliquomodo mutatur, verum non ita inſigniter, præcipuè in oculis, ut in *4. An ſit Icterus niger.*

Icтero nigro, ſed potius maculæ quædam hincindè in cruribus, dorſo, & brachiis efflorеſcunt. Verum enim verò maculæ non in omnibus Scorbuticis neceſſariò apparent: cōtrà rationi conſentaneum, à nigro humore, qui in totum corpus in ſcorbuticis diffunditur, totius corporis colorem in nigrum mutari poſſe, non aliter ac in iis, qui aliàs Ictero nigro laborant: & experientia id cōfirmat. Vidi ipſe fæminam corporis colore, cum ſana eſſet, florido, cui, cum poſt quartanam Scorbuto laboraret, totius corporis color ita in nigrum mutatus eſt, ut vix eandem eſſe cognoſceres. Itaque etiam ſi omnē Icterum nigrum antiquorum Scorbutum non dixerim: tamen Icterum nigrum cum Scorbuto conjungi hodie experientia docet; & olim etiam conjungi potuiſſe, impoſſibile non fuit.

An vitiligo nigra. Nonnulli ob colorem hunc, quo Scorbuticorum corpus tingitur, etiam μέλαν☉ ἄλφυ, ſeu vitiliginis nigræ nomen Scorbuto, ex Galeno, 3. *de ſympt. cauſſ. c.* 2. accommodant. Verum eadem huius ratio eſt, quæ Icteri nigri. Etſi enim ab humore Melancholico hoc vitium proveniat, & cum Scorbuto coniungi poſſit: tamen non neceſſariò Scorbutum coniunctum habet.

5. *An magni lienes Hippocratis.* Langius, *lib.* 2 *Epiſtol.* 14. & Balduin. Ronſſeus, *in lib. de magn. lien. Hippocr.* ut & alii Medici plurimi ab Hippocrate Scorbutum deſcriptum eſſe putant, ubi de morbis lienis, & præcipuè magnis lienibus agit, 2. *de morb. intern.* 2. *prædict.* 2. *prognoſtic.* quorum & Celſus mentionem facit, *lib.* 4. *cap.* 9. & Cæl. Aurelian. *lib.* 3. *Chronic. c.* 4. Ab iis autem diſſentit Wierus, *in obſervat. de Scorbut.* qui Hippocr. *in fine libri* 2. *prorrhetic.* dum de magnis lienibus agit, affine quidem malum Scorbuto deſcripſiſſe, non tamen ipſum Scorbutum putat. Hippocratem enim docere, quod eodem tempore utrumque ſymptoma in liene magno non conſpiciatur; ſed tibiarum ulcera tum demum ſubſequantur, quando humor ille Melancholicus, & aeris non fertur ſurſum ad gingivas, vel ſanguinis eruptione evacuatur, verum ad tibias ſubſidet, eas exulcerat, & cicatrices nigras relinquit. In Scorbuto verò ſimul gingivas putreſcere, & fœtere, & tibias lituris, ac maculis liveſcere.

Verum enim verò Langio, & Ronſſeo hîc aſſentire malo. Quæ enim Hippocrates de magnis lienibus habet, omnino optimè Scorbuto quadrant. Ita enim Hippocrates, lib. περὶ τῶν ἐντ☉ παθῶν, ſecundum Lienis morbum deſcribit: ἡ γαστὴρ φυσᾶται. μετὰ δὲ καὶ ὁ σπλὴν οἰδέει, καὶ σκληρός ἐστι. καὶ ὀδύναι ὀξεῖαι ἐμπίπτουσιν ἐς τὸν σπλῆνα. ἡδὲ χροιὴ τρέπεται, καὶ ὁρᾶται μέλας, ἔπωχρ☉, σιδιοειδής, καὶ ἐκ τοῦ στόματ☉ (ita enim legendum, ut ex loco ſequenti & ipſa morbi natura patet) κακὸν ὄζει, καὶ τὰ οὖλα κακὸν ὄζει: καὶ τὰ ἀπὸ τῶν ὀδόν-

των

των ἀφίςαϛαι καὶ ἐκ τῶν κνημέων ἕλκεα ἐυρήγνυται, ὀκεῖά περ ἐπινυκτίδες. τὰ δὲ γῆα λεπτύνεται, καὶ ἡ κόπρος οὐχ ὑποχωρέει. *Venter inflatur, poſtea verò etiam Lien intumeſcit, & durus eſt, ac dolores acuti in ſplenem incidunt. Color etiam mutatur, & niger conſpicitur, pallidus, & qui malicorii ſpeciem referat; & ex ore malè olet, & gingivæ malè olent, eæq; dentibus diſcedunt, & in tibiis ulcera, veluti puſtulæ nocturnæ, erumpunt, membra verò extenuantur, & ſtercus per alvum non demittitur.* Et *in fine lib. prorrhet.* οὖλα δὲ πονηρὰ καὶ ςόματα δυσώδεα, οἷσι σπλῆνες μεγάλοι. ὁκόσοι δὲ ἔχουσι σπλῆνας μεγάλους, μήτε αἱμοῤῥαγίαι γίνονται, μήτε ςόμα δυσῶδες; τουτέων αἱ κνῆμαι ἕλκεα πονηρὰ ἴσχουσι καὶ οὐλὰς μέλαινας: *Quibus lienes magni ſunt, iis gingivæ vitiantur, & os grave olet: quibus autem lienes magni ſunt, neq; ſanguinis eruptiones contingunt, neq; os gravè olet ii in tibiis mala ulcera habent, & nigras cicatrices.* Quæ omnia tàm exactè Scorbuto quadrant, ut planè ignotus ipſi fuiſſe non videatur. Et ſi in Arabia felici, ut antea dictum, & poſtea dicetur, ex victus ratione hic morbus generari potuit; cur non alicubi etiam in Græcia produci ex ſimili cauſſa, & Hippocrati innoteſcere potuerit? Etſi forſan eius natura ipſi tam nota non fuit, ut eſt hodie Medicis iis in locis, quibus Scorbutus vernaculus eſt. Sicut & hodie quandoque Italis, & Gallis, quibus rarior eſt, offertur, nec tamen ſemper ſtatim agnoſcitur, vel hoc nomine deſcribitur. Exemplum huius rei nobis præbet Medicus doctiſſimus, Carolus Piſo, *in lib. de morb. ex proluvie feroſa*, qui, *obſerv.* 74. 75. Monachos quoſdam ęgrotantes deſcribit, quos ſi quis cum iis, quos Eugalenus deſcribit, & qui paſſim curandi occurrunt Scorbutici, confertat, vix ovum ovo tàm ſimile eſt, ac morbus ille Scorbuto: nec tamen Scorbuti nomine à Carolo Piſone deſcribitur, procul dubio quod Scorbuti nomen in Lotharingia nō ſatis notum eſt. Neque neceſſarium eſt, quod vult Wierus, ut in magnis lienibus ſemper Stomacace cum Scelotyrbe coniuncta ſit; cum ſanguis ille impurus Scorbuti cauſſa nonnunquam ad ſuperiora ſolùm repat, & gingivas corrumpat; nonnunquā ad inferiora deſcendat, & maculas, ac ulcera in cruribus, ac Scelotyrben excitet; nonnunquam tanta copia coacervetur, ut totum corpus occupet, ubi maculæ, & lituræ non ſolùm in cruribus, ſed & in brachiis, ventre, ac tergo conſpiciuntur. Sunt enim ut poſtea, *c.* 5. dicetur, mali huius quidam gradus, & pro tempore, ac loci varietate, & præcipue cauſſæ ſecundùm copiam vel pravitatem, differentiæ; atque ipſa teſtatur experientia, nonnullos citra maculas, & lituras in cruribus tantum gingivas vitiatas, & os graveolens habere, alios utrumq; pati.

Non ſolum autem ſub magnis lienibus, ſed &, *in eod.* περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, *lib.* Hippocrates, dum εἰλεον αἱματ- 6. *An ileos hæmatites.*

αἱματίτην deſcribit, ipſum Scorbutum egregiè delineaſſe videtur. Ita autem Hippocrates: *Morbus per Autumnum incipit, in eoq; hæc accidunt. Ex ore malè olet à dentibus, & ab iis gingivæ abſcedunt, & ex naribus ſanguis fluit; interdum verò in cruribus ulcera erumpunt, & alia ſaneſcunt, alia emergunt, & color niger fit, & cutis tenuis.* Verùm cum addatur, περιφοιτῆν, καὶ ταλαιπωρέειν πρόθυμος, quod verterunt, ad deambulandum, & laborandũ promtus, atq; hæc duo ſymptomata Scorbuticis non conveniant; cum è plurimis vix unus Scorbuto laborans reperiatur, qui ad deambulandum, & laborandum promtus ſit: ea de cauſſa hanc deſcriptionem Scorbuto convenire negant Balduin. Ronſſeus, & Wierus.

Verum enim verò cum cætera omnia exactè Scorbuto quadrent, id quod additur, *ad deambulandum, & laborandum promtos eſſe*, nec Scorbuto convenit, nec illi, quem deſcripſit Hippocrates, affectui quadrare videtur. Cum enim ulcera in cruribus habeant, ad ambulandum, & laborandum promti eſſe non poſſunt. Et cum Hippocrates dicat, convolvulum ſanguineum cætera quidem eadem, quæ prioribus contingunt, pati, de priori autem convolvi ſpecie ſcribat; crura gravia eſſe, &, ſi deambulent, tremere, ac ſi per acclivem locum iter faciant, crebrò admodum ſpirare, & anhelare: certe ad deambulandum, & laborandum promti eſſe non poterunt, qui laborant Ileo hæmatite. Ideoq; nonnulli in textu negativam particulam, οὐ, omiſſam eſſe, & legendum cenſent, περιφοιτῆν καὶ ταλαιπωρέειν οὐ πρόθυμος, ad deambulandum, & laborandum minime promtus; atq; ita tota hæc deſcriptio Scorbuticis exactiſſime quadrat. Confirmat iſtud alter locus, *in eodem libr. de intern. affect.* ubi paulò ante de morbo regio ſecundo Hippocrates ita ſcribit: οὔτε πρόθυμός ἐστι πρὸς τὸ πορεύεσθαι, καὶ φοιτῆν, ἀλλ' ὑπὸ τῆς ἀσθενείας αὐτοῦ τὰ σκέλεα ὑποφέρεται. Ita enim legendum puto. Quomodo enim in hac corporis cõſtitutione; ac ubi præ imbecillitate crura labaſcunt, æger ad ambulandũ promtus, & alacer eſſe poteſt? Atq; ita legendum eſſe etiam Celſus, qui fideliter Hippocratis ſententias vertit, docet, qui ſcribit, *lib. 4. cap. 9.* in intenta ambulatione, curſuq; dolorem, & quandam difficultatem accidere.

Et nomen Ilei tàm commode affectui huic competit, quam nomen Schorbuck / quod tormina, ſeu rupturam ventris ſignificat. Etſi enim Ileos plerumque inteſtini tenuis affectum ſignificet: quandoque tamen etiam de doloribus, & torminibus, quæ in ventre, & ſecundum hypochondria accidunt, accipitur, ut ex Hippocr. & Galeno, *lib. 3. Epid. com. 2. t. 6. & 3. aphor. 22. & de ſympt. differ. cap. 4.* videre eſt. Hæmatites vero ab αἱματόω, quod eſt cruento, vel ſanguine

guine polluo, dicitur, quod Scorbuticis non uno nomine competit: cum ſanguinem atrum nonnunquam copioſe vomitu, imò interdum per alvum, & os reiiciant; iiſdemque cum ſanguis ex naribus fluere ſoleat; tùm gingivæ ſint cruentæ, ac ulcera cruenta in tibiis excitentur: Imo quandoque e cruribus ſanguis effluat, ſicut eius rei raram quidem, ſed notatu dignam hiſtoriam ante aliquot annos in cuſtode templi ad arcem hîc ſiti obſervavi. Et Scorbuto laboranti, cum delirio leni & non tumultoſo, vena in medio fere crure aperta eſt, quæ ſanguinem ſatis copioſum per aliquot dies fundebat, ut à Chirurgo ſiſti non poſſet, atque ea de cauſſa in conſilium adhibitus ſim, etſi vix veſtigium, & via manifeſta, unde ſanguis efflueret, viſui appareret.

7. *An Galeno, P. Ægineta & Avicenna fuerit cognitus.* Neque etiam aliis Græcis Medicis videtur fuiſſe plane incognitum hoc malum, quanquam forſan, ut rarius ita exacte ipſis perſpectum non fuerit, & propterea peculiare & unum nomen ei indiderint. Certe à Scorbuto non procul abfuiſſe videtur morbus, quem Galenus, 2. *de natur. human.* deſcribit: *Qui in Oeno urgente,* inquit, *fame veſcebantur leguminibus, cruribus vacillabant; qui verò erva edebant, horum genua dolor infeſtabat.* Paulus Ægineta, *lib.* 3, *cap.* 49. his, quibus Lien induratur, eos graveolens fieri, gingivas corrodi, & ulcera in cruribus cicatricem non admittentia excitari ſcribit. Avicennas quoque *lib.* 3. *fen.* 15. *tract.* 2. *c.* 5. ſatis clare eundem delineaſſe videtur, dum ita ſcribit: *Et quandoq; denigratur lingua ex duritie ſplenis, & ſentitur durities ejus absq; rugitu, cum premitur, niſi aggregetur ei inflatio, & non eſt cum ea febris inſeparabilis, imo quandoq; eſt non ſecundum ordinem: & quandoq; multiplicantur cum ea ulcera crurum, & corroduntur dentes ac gingiva propter großitudinem ſanguinis, qui deſcendit in ulcera crurum, & corruptionem vaporis, qui deſcendit in omnes partes gingivarum & dentium, & quandoq; eſt in ulceribus crurum criſis ejus.* Etſi enim durities lienis in ſcorbuto neceſſario ſemper non adeſt: tamen ubi reperitur, & quidem cum accidentibus ab Avicenna deſcriptis, Scorbutus vix aberit.

Nihilq; refert, quod nomen Scorbuti apud hos authores non exſtet. Neq; enim de nomine hoc, quod Septentrionalibus hiſce regionibus ſaltem uſitatum fuiſſe, & eſſe facile conceditur, ſed de re, & morbo ipſo eſt quæſtio, ſub quocunq; etiam nomine eum propoſuerint. Neq; id ſatis firmum eſt, quo nonnulli evincere volunt, Scorbutum antiquis plane incognitum, quod ſcilicet nemo veterum macularum mentionem fecerit, quæ ſint infallibile Scorbuti indicium, ut quando apparent in cruribus, Medicus non dubitet de Scorbuto. Etenim non ſemper apparent maculæ, etiam in iis regionibus, ubi Scorbutus familiaris: & variant ſymptomata pro regionum,

gionum & corporum varietate. Neque tamen Hippocrates maculas plane præteriiſſe videtur, cum colorem crurum nigrum fieri dicit, quæ ſunt maculæ illæ nigræ.

8. *Quibus regionibus ſit endemius.* Eſt vero Scorbutus regionibus ſeptentrionalibus, & maris Balthici accolis, iiſque; qui Germanico Oceano adiacent, & Saxoniæ inferiori, puta Hollandiæ, Selandiæ, Flandriæ, Brabantiæ, Daniæ, Sveciæ, Norwegiæ, Islandiæ, Friſiæ, Weſtphaliæ, Pomeraniæ, & finitimis populis malum Endemium, & vernaculum. Nam cum aere, & victus ratione ea utantur, quæ, ut mox dicetur, ad Scorbutum generandum eſt aptiſſima, non poteſt non ipſis eſſe familiare. Germaniæ verò ſuperiori, ut & Italiæ, Galliæ, ac Hiſpaniæ fere incognitum. Suſpicatur quidem Platerus, luem hanc, cum ſit contagioſa, potuiſſe ex procul diſſitis regionibus, quas per maria navigantes hi populi noſtro ſeculo ad extremos terræ fines perluſtrarunt, ubi forte familiaris eſt, contagio per nautas in loca hæc mari vicina primum pervenire, ut lues Indica ab Indis primum in maritima circa Neapolim loca translata toti Europæ innotuit. Verum ſuſpicione hac opus nō eſt, cùm non nuper, & ante paucos annos in hiſce locis morbus hic innotuerit, ſed iam Cæſaris Germanici tempore, & olim, ut etiam ex Olao Magno patet, in iis viguerit; & cauſſas huius mali domi habeant hi populi, ut aliunde id transportare opus non fuerit. Neque etiam navigationes hactenus docuerunt, morbum hunc in diſſita aliqua ultra mare regione eſſe Endemium, ſicut lues Venerea in India: Sed hoc potius obſervatum, eum à nautis ex his locis in alia quandoq; transportatum fuiſſe.

Impoſſibile tamen non eſt, in aliis quoque regionibus eum generari, ſi ſcilicet locus ſit maritimus, & vliginoſus, vel alius, ubi rarus ſalubris aquæ potus, vel aer, aut victus ratio prava cauſſam huic malo ſuppeditant. Sicut in Arabia felici olim graſſatum fuiſſe hunc morbum refert Strabo, *in fine libr. 16. Geograph.* Cùm enim ſub Auguſto Cæſare in Arabiā exercitū Romanum duxiſſet Ælius Gallus, in ipſa expeditione relinquere cum coactus eſt in Albo vico, maximo Nabathæorum Emporio, ubi æſtatem, & hyemem tranſigere oportuit, ut reficerētur infirmi. Quādoquidem oris, & crurum vitiis, quę ςομακάκκην & σκελοτύρβην, eiusque loci ἐπιχώρια παθήματα nominat, exercitus tentabatur, quorum illud circa os, hoc circa crura reſolutionem quandam fuiſſe, ab aquarum, & fructuum uſu provenientem, ſcribit Strabo. Ita Roderic. à Fonſeca, *conſult. 2.* refert, Luſitanis, qui primi Orientalem Indiam navigando invenerunt, cū in promontorio quodam aquam fluminis cuiuſdam bibiſſent, gingivas ita intumuiſſe, ut os eas vix caperet. Niſi forſan Scorbutum

rum ex victu nautico contraxerunt, qui ſe in promontorio illo primo tumore gingivarum detexit. Vt ita quocunque in loco cauſſa huic malo generando, & præcipue victus ratio ſuppetit, ibi generari poſſit Scorbutus. Sicut & hodie non ſolum in Germania inferiore, ſed & in Miſnia, Bohemia, Moravia, Sileſia, Boruſſia, Haſſia, & locis finitimis non raro reperitur: imo quandoq; etiam in Italia, Gallia, Lotharingia, & aliis regionibus, ut ex Eugaleno, P. Foreſto, Roderico Fonſeca, Carolo Piſone videre eſt: cum nuſquam non in diæta peccetur, & τὸ ποικίλον τῆς διαίτης, ut ille ait, ποικίλα νοσήματα pariat, & ſi ratio diætæ ſit φαύλη, καὶ φλαύρα, cum alii morbi, tum pro errati ratione etiam Scorbutus generari poſſit.

Neq; hic ad aliquam ſingularem regionis proprietatem ab aſtris, aut Natura impreſſam confugere opus eſt. Sufficiunt cauſſæ illæ, quæ mox enumerabuntur, victus ratio, & ſimiles. Quæ cum maris Balthici accolis, & Germaniæ inferioris incolis ſint vernaculæ, & omnes in iis concurrant, mirum non eſt, quod hic morbus iis maxime eſt familiaris. Aliis vero in locis, quibus Scorbutus ignotus, etſi una harum cauſſarum competere videatur, alia tamen deeſt. Veneti quidem in ſtagnis & paludibus maris Adriatici habitant: verum victu longe alio, quam Saxones utuntur Tartari quidem, & Arabiæ montanæ incolæ, aliique multi victu pravo, & inordinato utuntur: veruntamen non eo, quo maris Balthici, & vicinarum regionum accolæ, quibus carnes ſale & fumo induratæ, piſces ſalſi, vel fumo, aut frigore exſiccati victum familiarem præbent, neque aere ſimili, neque aquis ejuſmodi paludoſis utuntur.

Quandoq; eſt ſporacus

Atque ita Germanici, & Svecici Oceani, Balthicique ſinus accolis, & finitimis populis Septentrionalibus Endemius quidem eſt ἐπιχώριος hic morbus: aliis vero in locis, ubi rarius, & non ex communi, ſed ſua cuique, & privata quadam victus ratione contrahitur, in numerum τῶν σποράδων referri poteſt.

Quandoq; Epidemius

Imo quandoq; inter Epidemios morbos referendus; cum ſeu ex victu pravo communi; ſeu ex aeris cōſtitutione humida, & uliginoſa plurimos ſimul in eadem regione invadit, aut multo frequentius, quàm aliàs conſvevit, graſſatur: id quod Rombert. Dodon. *in obſerv. med. c. 33.* anno 1556 apud Brabantos accidiſſe ſcribit. Nam cum propter validam famem ſecalis corrupti ex Boruſſia advecti uſus eſſet, non pauci à Scorbuto male habere cœperunt. Idē annotavit Foreſtus, & ſimile quid anno 1562. accidiſſe refert, *l. b. 20. obſerv. 12.*

10. *Morborũ ex ſymptomatum in Scorbuto congeries.*

Etſi autem malum hoc hodie ſatis cognitum, & plurimis locis familiare quaſi eſt: tamen in quo ejus natura conſiſtat, non ita planum eſt; cum maxima morborum & ſymptomatum in eo concurrat congeries.

Adeſt enim ſæpe Lienis intemperies, ejuſdem, & venarum portæ obſtructio, ſoluta unitas, & ulcera crurum; magnitudo modo aucta, modo imminuta; ſymptomata plurima in facultatibus penè omnibus læſis, & qualitatibus mutatis, ipſisq; excretis non bene ſe habentibus. Et tanta omnino morborum, & ſymptomatũ farrago in hoc affectu concurrit, ut vix alius ſit tàm πολύμορφος, & qui ſub tot morborum ſpeciebus latitet, ac Medicos, etiam cum caviſſe maximè videntur, ſæpe decipiat & deludat. Neque enim gingivarum ulcera, & oris fœtor, dentium vacillatio, & crurum maculæ; atq; ulcera; vel illa σκελοτύρβη ſtatim, ac ſemper apparent, neq; ubi apparent, ſolùm conſpiciuntur, ſed & dolores in cruribus ὀστεοκόποι, nauſea, ac vomitus, ἀτροφία, alvi nunc conſtipatio, nunc fluor, & dyſenteria, ſputum copioſum & perpetuum, dolores vagi, cardialgia, & anxietas, lipothymia, febrium varia genera, deliria, convulſiones, paralyſis, hydrops, arthritis, pleuritis, eryſipelata, varia ulcera, & alia. Non tamen idem morborum, & ſymytomatum in omnibus concurſus, ſed in hoc iſta, in illo alia, in hoc plura, in alio pauciora apparent; quæ tamen omnia ab una cauſſa variè dipoſita, & ad hanc, vel illam partem ruente ortum habent. De quibus omnibus præ cæteris diligenter egit Severinus Eugalenus, in ſuo de Scorbuto tractatu, qui prolixè omnes morbos, & ſymptomata, quæ Scorbuto conjungi ſolent, deſcripſit, & Scorbutum ita depinxit, ac in lucem produxit, ut jam amplius latere facilè non poſſit. Et dicentur de hiſce plura poſtea de ſignis.

Itaque cum ex tam multis, iisque 10.
Scorbuti definitio.
diverſi generis, & diverſas partes occupantibus morbis, & ſymptomatibus quaſi componatur Scorbutus; humoris vero, qui proxima omnium cauſſa eſt, natura planè cognita non ſit, una, & perfecta definitione naturam eius exprimere ſi non impoſſibile, tamen difficile eſt. Ne tamen ſine definitionis luce in hoc tractatu verſemur, qualem poſſumus, afferemus, & ita commodiſſimè Scorbutum deſcribi poſſe putamus: *Scorbutus eſt prava & occulta qualitas, ſeu diſpoſitio, toti corpori; præcipuè verò viſceribus nutritioni dicatis impreſſa, ab humore melancholico craſſo, ſeorſo ſeu ichoroſo, peculiari modo corrupto orta; cum ſpontanea laſſitudinis, & gravitatis, in cruribus præcipuè, ſenſu, pectoris anguſtia, & reſpirationis difficultate, gingivarum corruptione, & oris graveolentia ac maculis purpureis in cruribus inprimis, aliisq; morbis, ac ſymptomatibus plurimis ab eadem cauſſa pendentibus, conjuncta.*

CAPVT. II.

DE
USU LIENIS ET NATURA
Humoris Melancholici.

1. *Inprimis viis, & meſenterio plurimorum morborum cauſſa hærent.*
2. *Vſus Lienis è Caroli Piſonis ſententia.*
3. *Lien aquoſa attrahit.*
4. *Idem craſſa etiam attrahit.*
5. *Lien non eſt officina ſanguinis arterioſi, nec radicationis arteriarum.*
6. *De Natura humoris melancholici.*
7. *De Cacochymia ſeroſa.*
8. *Quid ſit ſerum, & Ichor.*
9. *Serum quotuplex.*

SEd ut iſta clariora fiant, & Natura Scorbuti penitius, quantum poſſibile, cognoſcatur, duo inprimis declaranda ſunt: Humoris Scorbutum producentis Natura, & generationis modus; ac morbi, & ſymptomata, quæ Scorbutum comitari ſolent.

Et prius quidem ut rectè expediatur, Natura humoris Scorbutici à prima origine inquirenda.

1. *Inprimis viis colluvies vitioſorum Humorum.* E cibo in ventriculo chylus fit: chylus in ventriculo elaboratus per venam portæ dictam ad Epar, & Lienem deducitur, ut ibi in ſanguinem totius corporis alimentum convertatur. In quibus ſanè coctionibus ſi omnia ſe rectè habeant, id ex totius corporis commodo eſt. Verùm quia plerumque cùm ob errata, quæ in victu committuntur, tùm ob partium debilitatem coctiones hæ, &, quæ iis conjunctæ ſunt, excrementorum ſeparationes non rectè perficiuntur, humorum vitioſorum ſæpe colluvies tanta cumulatur, ut à deſtinatis à Natura receptaculis tota capi non poſſit. Ac tùm humores ſuperflui & vitioſi in partes vicinas, meſenterium, & pancreas protruduntur. Partes enim hæ non ſolum laxiores ſunt, ſed & plurimas glandulas, quarum caro σομφώδεστέραν, & bibula, obtinent, & totius corporis quaſi ſentina ſunt. Recipit eoſdem & Omentum, ac cavitas illa in ſiniſtro *multorũ morborũ cauſſa cõtinetur.*

hypochondrio ſub diaphragmate, ex ventriculi, omenti, coli & viſcerum connexu orta, & exitum non habens, ſed ita concluſa, ut aquam quoque & flatus continere poſſit, ab Hier. Fabricio de Aqua pendente, *in hiſtoria ſeu ſtructura omenti* luculenter deſcripta, nec Hippocrati ignota, qui 7. *Aph.* 54. ſcribit: *Quibus inter ventriculum & ſeptum tranſverſum pituita concluditur, & dolorem adfert, in alterutrum ventrem viam non habens; iis per venas in veſicam verſa pituita morbi fit ſolutio.* Atque hoc in loco ut morbi hypochondriaci ſedes ſæpe hæret, ita non raro Scorbutus ex illius morbi cauſa peculiarem corruptionem ulterius ſortita inde oritur. Cavitate enim illa natura interdum ſimul utitur ad recipiẽdos ſuperfluos humores, pituitoſos, craſſos, limoſos, feroſos & aquoſos, melancholicos, atros, flatusq; etiam. Et quidem ex tribus membris in illam cavitatem excrementa iſta transmittuntur, ex liene, epate, ventriculo. Ac ſæpe in Anatomia obſervatum, marſupium & hanc omenti cavitatem nunc aquoſo, nunc atro humore refertam fuiſſe. Flatus etiam in ea contineri extra dubium eſt, ob quos, cum abdomen comprimitur, aut venter attollitur vel deprimitur, ſonus manifeſtus percipitur. Novique ſtudioſum, qui quoties manu ſiniſtrum hypochondrium comprimit, manifeſtus ſonus etiam ab adſtantibus percipitur. In his nimirum locis choleræ, melancholiæ, diarrhœæ, dyſenteriæ, cachexiæ, atrophiæ, languoris, lentarum, errantiumq; febrium, latentium denique morborum cauſſas ſe deprehendiſſe, rectiſſimè Fernelius, *lib. 6. de part. morb. & ſympt. c. 7.* ſcribit. Imò ex vitioſis humoribus in hiſce locis cumulatis, præter enumerata mala alia plurima, utpote ſcabies, maculæ, ulcera, & tumores varii, arthritis, paralyſis, convulſiones, ventris tormina, dolores varii, & vagi in corpore ortum habent, ferè nihil morborum in corpore fit; quod non ab excrementis in hiſce locis cumulatis provenire poſſit. Cum enim ſemina iſta corporis plena eſt, pars vitioſorum humorum non pauca venæ cavæ, & arteriæ magnæ communicatur, per quarum ramos poſtea in totum corpus diſtribuitur, & pro ut conſtituta, ac diſpoſita eſt, ac in hanc, vel illam partem à Natura protruditur, nunc hoc, nunc illud mali, ac morbi genus excitat. Atq; ita rem ſe habere experientia confirmat, ac in demortuis ſæpe (cum in viventibus cauſſa mali ſatis deprehendi non potuerit) in meſenterio ulcera ſordida, & abſceſſus deprehenſi ſunt, è quibus nunc febres acutæ, cum ſanguinis nigerrimi vomitu, & per alvum, excretione copioſa, cum animi deliquiis, nunc epate, liene, & inteſtinis ſalvis ventris tormina intolerabilia, & tandẽ mors; nunc nauſea, vomit⁹, melancholia, cachexia, atrophia; nunc dolores Colicis ſimiles, urinæ puru-

In totum corpus per venas & arterias diſtribuuntur.

purulentæ; nunc perpetuæ vigiliæ, lipothymiæ, ſudores frigidi, & ſimilia mala originem habuerunt.

2. *De Vſu Lienis.* Facit ad iſtorum in meſenterio, vitioſorum humorũ coacervationem inprimis Lien, dum ſuum officium non facit; lienq; generationis horũ pravorum humorum plerumq; præcipua cauſſa eſt, meſenterium ac vicina loca receptaculum & ſedes, ac in hiſce locis morborum, & ſymptomatum, quæ Scorbutum comitantur, cauſſa quærenda eſt.

Quod ut recte expediatur, duo hic diſcutienda videntur: Primum, quod officiũ Lienis ſit: deinde quid ſit humor Melancholicus & ſeroſus. Etſi enim de illo, *lib.* 1. *Inſt.cap.*9. de hoc verò *lib.* 2. *part.* 2. *c.*8. non pauca dixerimus: hîc tamen etiam quędam addenda, & explicanda videntur; cum ab eorum noticia tota de Scorbuto, & hypochondriacis affectionibus tractatio dependeat.

Et primò quidem, ut quæ de uſu Lienis, *in Inſt. loc. alleg.* & præcipue *pag.*60. diximus, non repetamus, ea ſaltem, quæ vel contra, vel pro illa ſententia ex recentioribus, & præcipue pro illa ſententia ex recentioribus, & præcipue ex doctiſſimi Caroli Piſonis, *libro de morb. à ſeroſo humore ortis*, addi poſſunt, adjiciemus.

Car. Piſonis ſententia. Eſt autem Carolus Piſo in ea ſententia, cor minime eſſe officinam ſanguinis arterioſi, ſed Lienem eſſe officinam ſanguinis tenuis, & calidi, qui in arteriis continetur, quem ſanguinem ex tenuiore chyli portione attracta gignat, genitumque pulſu in univerſum corpus diſtribuat, reſpõdentem in nobis carnoſæ ſubſtantię; ſimulque docet, Lienem eſſe principium radicationis venarum gaſtricarum, & Epiploicarum, nec non radicationis arteriarum, fontemque alterum, eumque præcipuum ſeri in corpore neceſſarii.

Et primò quidem Lienem etiam aquoſa attrahere, antiquum dogma eſt Autoris lib. 4. de morb: & Ariſtotelis, qui 3. *de part. animal. c.* 7. ſcribit: ὁ σπλὴν ἀντισπᾷ ἐκ τῆς κοιλίας τὰς ἰκμάδας τὰς περιοσσάς: ut & Hippocratis, qui *lib.* 1. *de morb. mulier* ſcribit: αἴρεται ὁ σπλὴν ὑπὸ ποτοῦ, καὶ μᾶλλον, ἢν ὕδωρ ᾖν τὸ ποτόν. Conſentit veró id cum ipſa experientia. Nam ut, quæ alibi diximus, hîc non repetamus, patet hoc primum ex eo, quod obſervatur, eos, qui plurimum bibunt, præſertim vinum, & cerevîſiam tenuem, vix hauſto potu, primum à menſa ſurgentes aqueam potus partem mingere; qnod fieri vix poteſt, potu ad inteſtina transmiſſo, & à meſaraicis attracto (cum pylorus tunc clauſus ſit, & per viam tàm longam, ac perplexam tàm brevi tempore potus tranſire non poſſit) ſed immediatè è ventriculo per vaſa gaſtrica, & breve inprimis fieri neceſſe eſt, potu ad Lienem transmiſſo, & alimentaria ejus parte in Liene reſtitante, aquea ad renes transmiſſa. Unde quoque accidit, ut Spleneticis, poſtquam

Lien aquoſa attrahit.

ſeu aquam, ſeu cereviſiam copioſius biberunt, non ita multò poſt murmura, & rugitus circa Lienem oboriantur. Deinde liquidiorē alimenti partem ſtatim ad Lienem trahi, vel ipſa famis ſedatio, quæ ferè ſtatim ſumto cibo, præſertim liquido, accidit, teſtatur. Nam cum fames non aliter ſedetur, niſi ubi venarum ad ventriculum pertingentium ſuctio quieſcit, & ſedatur, quod evenit, cum pars alimenti liquida à vaſis trahentibus in viſcera defertur, & ita tractioni eorum ſatisfacit: at verò tractioni venarum meſaraicarum, & quæ ex inteſtinis immediatè chylum alliciunt, ſtatim ſumto cibo ſatisfieri non poſſit; cum ſumto cibo orificiū ventriculi inferius per plusculas horas arctè claudatur, nihilque à ventriculo ad inteſtina ſtatim ſumto cibo deſcendat: ſequitur, famem, quæ ſumto cibo ſedatur ſtatim, non à ſuctione & tractione venarum meſariacarum ortum habuiſſe, ſed à venarum, quæ ipſi ventriculo inſeruntur, tractione. Hæ autem ſunt venæ gaſtricæ, & Epiploicæ, atq inprimis vas breve; ex porta ſplenica propagatæ, & ventriculo imediatè inſertæ.

4. *Idem etiā craſſa attrahit.* Deinde craſſa etiam attrahere Lienem ſatis, ***lib.2.Inſtit.p.226.*** monſtratum opinor. Neque ad contrarium probandum illud ſatis efficax eſt, quo dicitur, in prima, quæ fit in ventriculo, coctione terrenas partes inutiles ita ſeparari, ut in ſecunda coctione non niſi igneas, & aqueas ſeparari neceſſe ſit; cum per vaſa anguſta chylus non niſi defęcatus, & liber prorſus à partibus craſſis deſtribui, & tranſire quear, utpote quæ admodum ſunt anguſta, & puncti cujuſdā inſtar exigua. Etenim ſi coctiones in corpore humano conſideremus, ſatis apparet, Naturam per gradus quaſi, & pedetentim ad perfectionē tendere, neque in prima coctione omnia craſſa planè ſeparari: id quod vel ex eo apparet, quod Lien ita facile obſtructionibus, & ſcirrhis obnoxius eſt; quod non fieret, ſi tantum tenues humores attraheret. Et quā craſſæ partes ſæpe ad officinas ſecundæ coctionis perveniāt, vel ex urinis ſatis apparet. Imò ipſi, qui contrariū ſtatuunt, affirmant, chylum eſſe mixtum quiddam ex quatuor diverſis ſubſtantiis, totidem Elementis primis reſpondentibus, iisque imperfecte coaleſcentibus, ac unitis aggregatum. Nec diffiteri poſſunt, ſed ex iis, quę ipſi admittunt, fundamentis concedere neceſſe habent, Lienem, quia celeriorem Epate facit attractionem, & ex ipſo ventriculo chylum ſtatim trahit, multa terrena, & lutoſa cum aquea chyli parte, per vas breve quidem, ſed amplum alioquin, attrahere; quod ſi intemperantius fiar, obſtructiones in Liene excitantur. Et quamvis viæ illæ in cadaveribus fere conniveant, & puncti inſtar anguſtæ ſint: tamen in viventibus longe patentiores eſſe, extra dubium eſt; ut id vel calculorum è renibus

nibus in veſicam tranſitus docet, et iſtin cadaveribus viæ multò minus, quam in meſaraicis apparent. Et quã patula ſint vaſa in corporibus viventibus, quæ in demortuis plàne conclùſa cernuntur, vel hiſtoria docere poteſt, quam Joh. Langius, *in Epiſt. de morb. novis*, recitat, de juvencula quadàm in Principis cujuſdam Germani gynæceo, quæ cum ſeſe ad ſpeculum adornaret, detentis in ore acubus, quibus peplum affigeret, ab amaſio à tergo clanculum accedente intra ſcapulas percuſſa, acus deglutivit, quas poſt biduum illæſis ureteribus eminxit.

Lien nõ eſt officina ſanguinis arterioſi. Magnum verò valdè poſtulatum eſt, ſtatuere, officinam ſanguinis arterioſi nõ Cor eſſe, ſed Lienem, eundèmque principium radicationis arteriarum: cum ſenſibus ſatis manifeſtum ſit, quod ſicut circa epar, quod principium eſt radicationis venæ cavæ, maximus venæ cavæ truncus eſt: ita etiam ad Cor maximus arteriæ, à quo omnes arteriæ, quæ in lienem tendunt ortum habent. Ductusque ipſi etiam, e quibus ſanguis ex Epate ad ſiniſtrum cordis ventriculum transmittitur, ſatis manifeſti ſint; ut dubitare de materia (quod illi faciunt) e qua in corde poſſint ſanguis generari, nullo modo opus ſit. Ex Epate enim ſanguis per venam cavam in dextrũ ventriculum cordis; ex hoc per venã arterioſam in pulmones; e pulmonibus cum aere per arteriam venoſam in ſiniſtrum ventriculũ cordis transfertur. Neque illud ſufficit ad probandum, Lienem eſſe officinam ſanguinis arterioſi; quod fluxibiliorem chyli partem attrahit. Ipſis enim cõcedentibus, etiam aqueas attrahit; unde & Hippocrates aquæ ſedem eſſe affirmat, & hinc ſæpe in tumores aquoſos incidit. Quid verò aqua ad ſanguinis arterioſi generationem facere poteſt? Hoc probabilius eſt, aqueas chyli partes ad Lienem eo fine tranſire, ut craſſiores diluant, ne illæ facile obſtructiones pariant.

Alterum verò quod attinet, nimirum naturam humoris melancholici, diximus de eo ſatis, *lib. 2. Inſtit. part. 2. cap.* 8. Hic ſaltem hoc addimus, poſſe fieri, ut quandoque craſſæ partes præcipue abundent, qui humor tunc propriiſſime melancholicus appellatur, id quod ſæpe in corporibus ſiccis, ſcabie ſicca, & ſimilibus morbis ex humore melancholico laborantibus accidit. 6. *De natura humoris melancholici.*

Frequenter verò multo ſero diluitur, utpote quod ſimul à Liene attrahitur; & quidem tanto maiore copia, quanto humor Melancholicus craſſior eſt, & ut multũ diluatur, neceſſe habet. Humor tamen ille craſſus, multa aqua, ſeu ſero dilutus etiam Melancholiæ nomine appellari poteſt: ſicut & Hippocrates per aquam procul dubio humorem Melancholicum intelligit.

Si quis vero e ſeroſo humore peculiarem, & quartam cachymiæ ſpeciem 7. *De Cacochymia ſeroſa.*

ciem conſtituere velit, cum eo non
contendero. Etenim ſeroſi humoris
abundantia etiam ſine humore craſ-
ſo reperiri poteſt, ut in hydrope, &
ſimilibus morbis videre eſt. Caroli
Piſoni equidem religioni eſt pleni-
tudinem, ſeu colluviem ſeroſam, aut
aqueam cacochymiam appellare, ea
de cauſſa, quod aqua pura puta,
quæ non nutrit, ſucci, ſive χυμȣ̃,
alibilis ſcilicet ſubſtantiæ, no-
men ſibi vendicare non poſſit. Ve-
rum enim verò fallitur. Neque
enim ſerum pura puta aqua eſt, ut
poſtea dicetur: neque chymi nomen
alibili ſaltem ſubſtantiæ competit,
ſed humorem tàm nutriendo cor-
pori aptum, quàm incommodum
ſignificat: unde τȣ̃ εὐχύμȣ & κακοχύμȣ
nomina deducta, & cacochymię no-
mine vitioſi humores alendo corpo-
ri inepti veniunt.

8. *Quid ſit ſerum & ichor.* Quid autem ſerum ſit, rectè ex-
plicandum eſt, de quo *Inſtit. lib. 2. part.*
2. cap. 7. dictum. Carolus Piſo puram
putam aquam, ſeu aqueam humidi-
tatem, ſive cum cibo, & potu inge-
ſtam, ſive chyli partem aqueam ſe-
rum eſſe dicit, idque ab Ichore diſ-
cernit, qui ſcilicet ſit cujuſq; humo-
ris pars fluxa ejuſdem coloris, & na-
turæ cum propriis humoribus. Ve-
An ſerum & ichor differant. rum etſi quandoq; Autores has vo-
ces diſcernant, ut ἴχωϱ ſit vel ſan-
guis crudus & imperfectus, vel te-
nuior pars maſſæ ſanguineæ cor-
ruptæ, & colliquatæ; ὀῤῥὸς verò ſeu
ſerum ὄχημα τῆς τϱοφῆς: tamen &
ἴχωϱ ſæpè nomine ſeri, & ſerum no-
mine Ichoris appellatur, & frequen-
ter iſta duo vocabula ſunt ſynonyma,
ut monſtrat doctiſs. Caſpar Hoff-
mannus, *in Collect. de Ichorib. numer. 12.*
& 13. Qui idem non malè ichorem
in mitem, & acrem diſtinguit, illum-
que ſanguinem ab ἀπεψίᾳ dilutio-
rem eſſe dicit, qualis in hepaticis cō-
ſpicitur: acrem verò illud tenue,
quod ex ſanguinis, & humorem ſeu
colliquatione, ſeu corruptione ori-
tur. Ut ita tria ſint, quæ nunc ſeri,
nunc Ichoris nomine veniunt: Pri-
mò illud aqueum, quod potui, & ci-
bis ineſt; ſecundò ſanguis aquoſior,
& dilutior; tertio tenuis humor, ſed
acrior, qui ex colliquatione, vel cor-
ruptione ſanguinis, vel etiam ex pra-
vis cibis, & mala coctione provenit.

Verum cum ſerum illud primũ, ſeu 9.
pura puta aqua in corpore ſolum vix *Serũ quo-*
reperiatur, neque ſymptomata, & *tuplex.*
morbi, quos Eugalenus, & Piſo re-
cenſent, plurimi à pura puta aqua
poſſint provenire, ſed quod ipſe Pi-
ſo, *in præfatione*, fatetur, ſerũ inter de-
currendum per vaſa abſtergat, dilu-
atque, & ſibi neceſſario immiſceat
partem aliquam ex iis ichoribus, qui
in ſanguine redundant, eamque ſibi
affuſam ſecum devehat, ac tranſpor-
tet, quocunq; fertur: rectiſſime col-
luviei; & abundantiæ ſeu ſeroſæ, ſeu
ichoroſæ duo genera conſtituere li-
cet, uti dictum: Vnum mite, quod eſt
ſanguis aqueus, & dilutior; alterum
acre, & ſalſum, quod ſuam acrimo-

niam ex humoribus ſeu colliquatis, ſeu corrnptis, ſeu quæcunquè de cauſſa ſalſis, & acribus acquirit: Ut ita ſerum propriè dictum ſit aquoſus humor, ſalſedinis, & acrimoniæ particeps, ut pluribus hâc de re *lib. 2. Inſtit. part. 2. cap.* 7. dictum & plura poſtea de Scorbuti cauſſis diceutur.

CAPUT. III.

DE GENERATIONE, SUBJECTO, & Cauſſa Scorbuti,

1. *In ciborum coctione fit quædam* πνευμάτωσις, *& rarefactio.*
2. *Craſſior Chyli pars à liene attrahitur.*
3. *Generationis Scorbuti modus.*
4. *Scorbutica colluvies ubi generetur.*
5. *Ubi contineatur.*
6. *Cauſſa Scorbuti proxima eſt humor Melancholicus.*
7. *Non ſolum aqueus.*
8. *Nec ſolum craſſus, ſed aqueo & ſeroſo dilutus.*
9. *Peculiari modo corruptus.*
10. *Quomodo generetur.*
11. *Aceti generatio.*

Sed ut ad Scorbuti Naturam explicandam propius accedamus, quænam ſit humoris Scorbutum producentis natura, quo in loco, & quomodo generetur, explicandum. Primò autem hoc præſupponendum, coctiones quibus alimentum corpori noſtro alendo idoneum elaboratur, idque ab inutilib⁹, & excrementitiis partibus ſecernitur, quadam quaſi fermentatione, & πνευματῶσι (liceat hiſce vocabulis uti) perfici, quibus, quæ antea erant craſſa, & fixa rarefiunt, ſpiritaſcunt, ut ſic dicam, & ut Chymicorum termino utar, volatilia redduntur, perficiuntur, & ab excrementis ſuis liberantur, ut eò facilius corpori noſtro non ſolum aſſimilari, eique utile, & purum alimentũ ſuppeditare, ſed & ſpiritibus materiam præbere poſſint. Apparet hoc etiam in alterationibus fructuum. In maturatione enim, quæ primò erant au-

1. *Cibi in coctione rareſiunt & Spiritu-aſcunt.*

ſtera, & acerba, ac omnino fixa, & ſpirituoſi ferè nihil obtinebant, omnia dulceſcunt, & partes illæ longè ſubtiliorem, & ſpirituoſiorem, ut ſic dicam, naturam induunt, ut ex iis ſpiritus etiam φλογιςὸς elici poſſit, qui ex immaturis non poterat: Multò verò magis apparet hoc in fermentatione ea, quæ in muſto, cereviſia, & ſuccis è pyris, & pomis, aliiſque fructibus expreſſis accidit, è quibus ante fermentationem nihil ferè ſpiritus, poſt fermentationem vero is ſatis copioſus elici poteſt. Eademque omnia ante fermentationem cruda, ac impura, ac proinde minus ſalubria ſunt, fæcibus nimirum adhuc permiſta, & in quibus calori noſtro plurimum laborandum eſt: Vbi autem fermentantur, cum excrementis ſuis quaſi pugnam ineunt, ſpiritu-aſcunt, μετεωρίζονται, ut Hippocrat. 3. *De vict. rat. in acut. t.* 38. loquitur, rareſiunt, & in majorem molem attolluntur, atque exaltantur, ac finita fermentatione fæcibus ſubſidentibus longe ſubtiliora, puriora, & ſpirituoſiora redduntur. Idem in pane videre eſt, qui ſi fermentetur bene, & ipſe rarior redditur, atque ad coctionem longe aptior eſt, quam non fermentatus. Et quidem cibos, dum coquũtur, & ut alimentum corpori fiant, elaborantur, attenuari, rarefieri, & (liceat ſic loqui) ſpirituaſcere quaſi, ita evidens eſt, ut doctiſs. Planerus in eam venerit ſententiam, *lib. 2. m. m. c. 4. p.* 72. cibum, & potum in ventriculo in halitus reſolvi; qui in venas meſaraicas ſubeant & inhalent, ibiq; in ſpeciem ſanguinis concretione quadam mutentur: id quod diſputatione quadam peculiari ſe demonſtraſſe ſcribit.

Neque ſolùm aliæ alimenti & potûs partes hoc modo raræ & volatiles quaſi in corpore noſtro redduntur, ſed & ipſe ſal, qui alimentis ineſt, & cum iis aſſumitur, ex fixo volatilis, ſpiritualis quaſi, & animalis redditur. Atque his quivis, qui ſalem volatilem è cornibus, & oſſibus animalium, ex ſanguine, & urina deſtillando elici vidit, non ita difficulter fidem habebit.

Itaque dum omnia ſe ſe recte in corpore habent, alimenta in ventriculo reſolvuntur, partesque ad alendum inutiles ſecernuntur, & per alvum excernuntur: quę vero ad alendum utiles ſunt, propria ventriculi, & inteſtinorum vi elaborantur, & naturæ humanæ conſentaneæ redduntur. Cum vero eam formam, & ſimilitudinem, quam cum corpore alendo habere debent, in ventriculo, & inteſtinis adipiſci non poſſint, ad jecur, tanquam ſanguinis officinam, amplius elaborandæ mittuntur. Vt autem ſanguis purior in Epate elaboretur, craſſiores chyli partes, mediante ſero copioſo, quo diluuntur, & ad fluxum ac motum aptiores redduntur, à liene avertuntur, & attrahuntur: qui tamen & ipſe craſſum illum chylum ponticis & acetoſis *2. Craſſiores chyli partes a liene attrahuntur.*

toſis qualitatibus (ſalis Vitr. & aluminoſi natura referentibus, ut Chymici hac de re loquuntur) præditum elaborat, & in ſanguinem ſibi, & vicinis partibus utilem, & commodũ mutat: quod vero plane corpori alẽdo inutile eſt, per deſtinatas à Natura vias expellit, ut *lib. 1. inſtit. cap. 9.* pluribus hac de re agimus.

3. *Generationis Scorbuti modus.* Atque hæc omnia ſi recte, & decenter in corpore perficiantur, homo bene valet: ſi vero (ut generationis Scorbuti modum brevibus comprehendam) ob vivendi rationem incommodam, & crudum, craſſum, ac pravum victum multa alimenta ἀνεπιτήδεια, ἄκρητα, καὶ ἰσχυρὰ, ut appellat Hippocrates tanta copia aſſumantur, ut à corpore, aliàs etiam ſano, & forti, at vi coctrice pro viribus in iis conficiendis laborante, omnia ſatis concoqui, & ab excrementitiis partibus liberari non poſſint, & chylus multis partibus craſſis, ac tartareis, ut à Chymicis appellantur, abundans, ad viſcera ſecundæ coctioni deſtinata perveniat: accidit, ut partes illæ craſſæ, ſalſæ, fixæ, nec omnes à liene attrahi, nec ſatis elaborari poſſint. Atque ita coctio, & πνευμάτωσις illa, quæ omnia alimenta fermentari, & quaſi ſpirituaſcere debent, impeditur, & partes cibi craſſæ, ſalque eſculentus, & fixus tartareus copioſe cum cibis ingeſtus craſſam ſuam, & fixam naturam deponere, ac rarefieri, volatilis, ac animalis reddi, ut debebat, non poteſt, & partes impuræ, inutiles, ac tartareæ ab utilibus, & puris probe ſeparari nequeunt. Vnde viſcerum coctioni ſecundæ dicatorum facultas tandem oneri & copiæ humorum iſtorum craſſorum ſuccumbit, paulatimque debilitatur, ac indies ad alimentorum coctionem, & elaborationem ineptior redditur, ut nimiam humorum craſſitiem & deficientem πνευμάτωσιν corrigere non poſſit. Quod vitium atq; id, quod in rarefactione & attenuatione humorum deficit quomodo unica voce exprimi poſſit, non planum eſt: & proinde de nomine modo de re conſtet, cũ nemine litigabimus. Remb. Dodonæus *in praxi Med. de magn. lien.* & Cl. Dn. D. Gr. Horſtius μόλυνσιν ſive cruditatem appellat, & eam proximam hujus morbi cauſſam eſſe dicit.

Sal ergò ille fixus, ac tartareus, & partes chyli craſſiores, cum omnes à liene attrahi, & elaborari, atque ab Epate ſine incommodo attrahi non poſſint, utpote quod ſubtiliores tantum chyli partes, tanquam ſibi familiares, & ſanguini bono generando aptiores naturaliter appetit; neque etiam ob copiam, & ineptitudinem à Natura omnes expelli poſſint; inprimis viis hærent, & in venarum meſaraicarũ, ac portæ ramis, adeoque ipſo meſenterio, pancreate ac omento ſubſiſtunt, ac propter cauſſas, quę talibus humoribus materiam ſuppeditare ſolet, continuationem, quotidie augentur, hisque ſal-

ſis, craſſis, & fixis humoribus alii crudi, & vitioſi humores quivis coniunguntur, & permiſcentur, & ab iis hiſce in locis detinentur; atque ita tartareorum, ut Chymici appellant, humorum colluvies in primis viis coacervatur.

Detenti autem hi humores in hiſce locis, & hac quaſi corporis ſentina diutius, ulterius corrumpuntur, & variis hypochondriacis affectibus cauſſam præbent, uſque dum tandem pravam, ac contagioſam, & Scorbuto peculiarē diſpoſitionem acquirant. Humores hoc modo corrupti, & Scorbuticam diſpoſitionem adepti, etſi aliquandiu in primis viis delitescant: tamen ubi tandem magna eorum copia coacervatur, adjuvante inprimis, & motum promovente ſeroſo humore, quo diluuntur, ad Epar deferuntur, eiuſque αἱματώσιν ſępe vitiant: & in venas, ac arterias effunduntur; ac cum ſanguine permiſcentur, eumq; inquinant, & cum eo in varias corporis partes, etiam in muſculos, tendines & articulos diffunduntur, ac varios morbos, & ſymptomata, pro partium, à quibus recipiuntur, varietate excitant.

Morborum & ſymptomatum ſcorbuticorum generatio. Extra enim in habitu corporis extra venas effuſi, cum neque corpori aſſimilari, & apponi, neque exire commodè queant, ibi detenti partiū nutritionem impediunt, corpus gravant, ac laſſum reddunt, vel hinc inde moti dolores vagos excitant. Ad gingivas ſalſi huius & corrupti humoris portio miſſa mollem earum, & teneram carnem in laxum tumorem attollit, tandemque acrimonia ſua eas arrodit; unde pruritus in gingivis ſequitur, earumque caro levi ſuctione, & attritu ſanguinē effundit, flacceſcit, exulceratur, ac putreſcens à dentibus abſcedit, & gravem odorem de ſe emittit; ipſiq; dentes vacillant, & ex ore excidunt. Quæ verò pars ad inferiora corporis per venæ cavæ crurales ramos à natura propellitur, per capillares venas, mediante ſero, ad ſuperficiem cutis cum ſanguine detruſa, maculas nunc rubras, nunc purpureas, aut lventes excitat, aut ad tendines, & ligamenta, ipſosque muſculos delata crurum gravitatem, laſsitudinem, & imbecillitatem excitat, & partes has vel laxat, vel ibi diutius hærens à ſero, quo diluebatur, deſerta, exſiccatur, & induratur, unde tendines rigidi redduntur, cruraque motu privantur & ambulandi impotentia, paralyſeos quandam ſpeciem mentiens, excitatur. Ad alias quoque partes delāta dolores, tumores, eroſiones, & ſexcenta alia, quæ Eugalenus omnia diligenter enumerat, producit, de quibus poſtea plura dicentur.

4. *Scorbutica colluvies ubi generetur.* E quibus etſi colligere facile ſit, & quod Scorbuti ſubiectum, ſeu locus potius ſit, vel ſedes materiæ Scorbutum excitantis, & quis humor ſit, à quo Scorbutus habet originem, &

quomo-

quomodo generetur: tamen ut Scorbuti natura manifeſtior fiat, de ſingulis in ſpecie dicendum. Et primo quidem Scorbuti ſubiectum quod attinet, dum de ſubiecto Scorbuti agimus, non intelligimus hic partes corporis humani, quæ ſymptomata, & morbos Scorbuticis familiares patiuntur; cum nulla ferè corporis pars ſit, quæ nō mali aliquid in Scorbuto pati poſſit; etſi nunc plures nūc pauciores afficiantur, pro ut malum vel recens vel antiquum eſt, ſed colluviei illius Scorbuticæ, & humorū vitioſorum, qui ſymptomatum & morborum in Scorbuto cauſſa ſunt, fontem, & ſedem inquirimus. Atque hoc ſubiectū duplex ſtatuimus, fontem, & locum, in quo generatur, & ſedem, in qua generata continetur.

Fontem primò huius colluviei quod attinet, hanc niſi è contagio contrahatur, meſenterium, & primas corporis vias, ſeu venæ portæ ramos, quæ illas perreptant, ſedes eſſe ſtatuimus. Etſi enim rarò accidat, ut ſine lienis actione læſa Scorbutus excitetur, & plerumque humorum vicinorum pravorum, & corruptorum cōtactu & ipſe afficiatur, & labem contrahat: tamen quandoque ſalvus eſt, & ipſe in cadavere Scorbuto extincto aperto omentum quidem totum ferè putridum, & corruptum, in liene verò nihil, quod quantum ad ſenſum culpari poſſet, deprehendi; & in quodam Hollandiæ Præſide, Scorbuto laborante, magis Epar, quàm Lienem affectum fuiſſe Foreſtus, *lib.* 20. *obſ.* 11. annotavit. Etenim licet, Lien ſanus, ac ſalvus ſit: tamen ſi chylus fæculentus ſalſis, ac tartareis excrementis, & ſuperfluitatibus ſcateat, lien omnes illas nec attrahere, nec elaborare poteſt, atque ita in agendo fine ſuo fruſtratur ob errorem externum; eodem modo ſicut actio ventriculi alias benè conſtituti ſæpe læditur, ſi materia concoquenda aut nimis multa, aut aliena, & vitioſis Qualitatibus infecta ipſi offeratur. Si tamen Lien ipſe debilis, vel obſtructus, vel quocunque modo malè conſtitutus ſit, multo magis in agendo officio ſuo non ſatisfacit. Poteſtque utrumq; fieri, ſcilicet vel ut primo à craſsis humoribus Lien obſtruatur, eoque propterea officiū ſuum non faciente, in meſenterio, & primis viis humores Melancholici cumulentur; vel ut primo in venæ portæ ramis ob alimentorum vitium tales humores cumulentur; & deinde lienem obſtruant, vel debilitent, qui obſtrictus, vel debilitatus ad copiam eorum in dictis locis augendam facit, & ut humores vitioſi longè copioſius, quàm antea cumulentur, in cauſſa eſt. Vt ita ſedes, & fons primus colluviei Scorbuticæ ex victu contractæ ſit in meſenterio omento, & primis viis, locisque inter ventriculum, Epar & Lienem mediis, & utrique viſceri vicinis, ſupra, *cap.* 2. *num* 1. deſcriptis.

Etſi vero hiſce locis primam ori-

ginem debeat colluvies Scorbutica: & in recenti morbo etiam iis fere concludatur: tamen ſi malum jam diutius duraverit, & materia iſta vitioſa copioſior ſit, non ſolum hiſce locis coercetur, ſed per venas, & arterias in totum corpus diffunditur; unde totum venoſum genus tam venas portæ, quam cavæ complectens, ſedes colluviei Scorbuticæ dici poteſt. Et chylus dum è ventriculo per loca hujuſmodi vitioſis humoribus repleta tranſit, inquinatur: ipſum præterea Epar & lien à vicina & affluente ejuſmodi colluvie, eiusque vaporibus debilitatur. Iſta n. prava, & occulta diſpoſitio non intra humores ſemper ſe continet, ſed vicinis viſceribus, tum humorum ipſorum corruptorum contactu, tum vaporibus & fumis eorum imprimitur. Ventriculus quidem ſæpe etiam afficitur, & labem à vicinis pravis humoribus contrahit: ſæpisſimè tamen appetitus ſatis validus, & tantum non integer permanet: & ſi quæ circa ventriculi actiones apparent ſymptomata, potius per conſenſum vicinorum viſcerum, quàm per primarium ventriculi affectum fiunt. Viſcera poſteaquam diſpoſitionem illam pravam receperunt, eam rurſum alimentis affluentibus & elaborandis imprimunt: ſicut idem in luce venerea, & Elephantiaſi accidere ſolet. Atque ita cum alimentum corrumpatur, potius morbificæ cauſæ accedit, eamque auget, quàm ut corpori alimentum præbeat; & hoc modo totum corpus cacochymia Scorbutica inficitur. Idque ex ſanguine vena ſecta emiſſo apparet, qui manifeſtas corruptionis notas exhibet, & plerumque parte ſuperiore pituita, aut mucore potius flaveſcente aut vitreſcente, quaſi pelle obducitur. Imò ubi per contagium extra admiſſum cõtrahitur Scorbutus primo ſanguis in vena cava corrumpitur, etſi in primis viis nullum ſit vitium.

..ii- ..ur col ..vi s Scorbutica

Secundò cauſſam Scorbuti, & eorum, quæ Scorbuto laborantibus p.n. accidunt, quod attinet, Antecedens equidem cauſſa eſt humor melancholicus, crudus, ſimulq; ichoroſus ſeu ſeroſus, cui interdum & alii humores crudi & corrupti permiſcentur, id quod vel urinarum varietas & cerebra permutatio oſtendit. Vt autem is proximæ cauſſæ naturam hîc induat, peculiarem & huic morbi propriam corruptionem induat, neceſſe eſt. Eſſe Melancholicum non ſolum victus præcedens ratio, quæ ad nullum alium humorem, quàm melancholicum procreandum inclinat, tum effectus morbi ſcilicet, & ſymptomata quæ in Scorbuticis apparent, pleraque humoris melancholici ſoboles teſtantur, ut poſtea patebit. Et ineſſe talem ſuccum ſanguini, qui à liene attrahitur, Galenus recte ex colore, qui quàm epatis ipſo viſu teſte nigrantior eſt, & ſapore acerbo, qui

6. Cauſſa Scorbuti eſt humor melancholicus.

qui carni etiam elixæ eius ineſſe deprehenditur, *lib. de atra bile c. 6. & 7.* rectè demonſtrat.

6. *Non ſolum aqueus.* Neque hic aſſentiri poſſumus Hieronymo Reuſnero, qui, *de Scorbuto exerc.* 4. prolixè, & operosè probare conatur, Scorbutum nullo modo fieri à Melancholico & craſſo, ſed ab aqueo ſolùm, & tenui humore. Hoc enim ejus dogma nullo modo cum iis, quæ de cauſſis Scorbuti externis habet, conſentit. Etenim ſi victus rationem, & aerem, ac omnia, quæ ad Scorbuti generationem concurrere prolixè docet, diligenter examinemus, omnia ad humoris Melancholici, & craſſi generationem faciunt.

Neque tamen hic per humorem Melancholicum glutinoſum quid, quod ille, *pag.* 173. ipſi adſcribit, intelligimus; neque id quiſquam Medicorum doctiorum aſſerit, qui feci vini, & amurcæ illum comparant, non glutini, quod & in urinis ſenſibus ſæpe patet. Etſi nihil prohibeat, quin ut diximus, humores pituitoſi, & vitioſi huic colluviei ſeſe aſſociare poſſint. Idque ſæpe accidere in ſanguine vena aperta emiſſo apparet, qui plerumque in Scorbuticis quaſi glutine albo vireſcente, vel flaveſcente ut modus dictū obducitur.

8. *Nec etiam craſſus tantum ſed ſero dilutus.* Etſi verò humor Melancholicus Scorbuti cauſſa craſſus eſſe rectè ſtatuatur: tamen nō tantùm craſſus eſt ſed ſero multo dilutus. Neque enim ſolùm craſſa, ſicut veſicula fellis purā putam bilem, lien attrahit, ſed chyſi partem reſpectu illius, quæ ab Epate attrahitur, craſſiorem, quæ tamen aquoſa, & potulenta materia, ut facilius, quo debet, penetret, neque obſtructiones pariat, diluitur. Itaque ut in ſtatu naturali craſſior illa chyli pars multa aqua diluitur: ita & in præternaturali idem accidit. Atque ita humor Scorbuti cauſſa non ſolum craſſus eſt, ſed & ichore, ac ſero multo diluitur, ut ſit inſtar lixivii, quod ex aqua, & ſalſis, ac feculentis, & adustis partibus conſtat, ut *lib.* 2. *Inſtit. part.* 3. *cap.* 8. docuimus, idque ex præcedente victus ratione, quæ talibus partibus abundat, & effectibus, doloribus vagis, gingivarum, & crurum ulceribus, ac ſimilibus patet; quæ omnia à ſalſis, & ſeroſis humoribus proveniunt.

Talis cum ſit, & multis ſeroſis partibus diluatur, & inſtar lixivii, quod ex ſale, terrenis partibus, & aqua cōſtat ſeſe habeat, facilè ad lienem cum chylo penetrare poteſt. Neq; enim, quod modo diximus, & diligenter notandum, ſincerus, & ſolus, ſed aliis humoribus permixtus ad lienem pervenit, ideoque etiā ut ſincerus, & ſolus ibi deprehendatur, opus nō eſt.

Verum cum in quartanis, hypochondriacis ac Melancholicis affectibus, vbi ſimilis cauſſa adeſſe videtur, nō eadē planè ſymptomata quaſia in Scorbuto conſpiciūtur appareant; etſi tandem hi affectus ſępiſſimè in Scorbutum degenerent: peculia- 9. *Humor ſcorbuticus peculiari modo corruptus eſt.*

rem

rem ἄῤῥητον, & occultam corruptionem; ac depravationem ſuſcipere neceſſe eſt illam humorum melancholicorum, ſeroſorum, ac tartareorum colluviem, diutius in locis illis detentam, ſi Scorbutum ptoducere debet; quod cùm ex aliis ſymptomatibus, quæ ipſum comitantur, tùm & præcipuè ex contagio apparet, quo alii morbi Melancholici, & hypochondriaci deſtituuntur, Scorbutus verò præditus eſt, ut facilè aliis communicari poſſit; quod evidens peculiaris corruptionis argumentū eſt. Quod & hoc evincere videtur, quod ut in Prognoſticis dicetur, ubi humor Scorbuticus ſimilem Epati, aut lieni diſpoſitionem impreſſit, vix unquam integrè curatur Scorbutus: quod indicium eſt impresſionis longè fortioris, quàm quæ qualitatibus primis competit, ſed talis, quæ venenorum naturam ęmulatur, quorum impresſiones tam fortes ſunt, ut diſpoſitiones ab iis relictæ ſæpe totò vitæ tempore aboleri non posſint.

Ideoque à ſplenis obſtructione, & huumore melancholico, & atro tantum, ac ſimpliciter Scorbutus deduci non poteſt; cum multi ſplenis obſtructione laborent, & humore melancholico, vel atro abundent, nec tamen Scorbuto afficiantur: imò iis regionibus, quibus humoris atri ex aeris, qui humores torret, fervore collectio eſt familiaris, Scorbutus ſit planè ignotus. Maloque etiam hic fateri, nos in communibus humano generi ignorantiæ tenebris verſari, & corruptionis huius modú non ſatis explicare, & non niſi ex effectu dignoſcere poſſe, quàm ea, quę fundamento nullo nitũtur, ad ignorantiam noſtram palliandam proferre.

10. *Quomodo generetur.* Tertiò generationem huius humoris quod attinet, etſi, quæ hic alii tradant, me non lateat, & alios aliter ſentire ſciam: tamen paulo altius huius humoris natura inveſtiganda, & quomodo generetur, indagandum videtur, quod plurimum ad curationem rectè inſtituendam facit. Principio autem hic non in qualitatibus primis ſubſiſtendum, ſed ad illas δυνάμεις, & ἀκρότητας humorum, ab Hippocrat. *in lib. de priſc. Medic.* propoſitas recurrendum, & ad ea, quæ Hippocr. 3. *de vict. rat. in acut. t.* 38. de acido, amaro, ac fermentatione humorum ſalſorum in corpore noſtro tradit, reſpiciendum videtur.

Diximus autem antea, humorem hunc generari ex deficiente ſalis, qui cibis ineſt, & cum iis aſſumitur, potusque, ac cibi crasſioris coctione & πνευματώδους. Cum enim Natura intendat per coctionem tum primam, tùm ſecundam alimenta aſſumta ita attenuare, rarefacere, & omnino pręparare, ut in corpori noſtro affinia, & ei alendo ſint utilia, atque ea de cauſſa in ventriculo ea primum reſolvat, ac coquat, & excrementitias partes crasſisimas per alvum excernat;

poſtea

poſtea verò chylum ad Epar, tanquã ſanguinis, qui totius corporis alimentum, officinam mittat, averſis prius, & attractis à Liene craſſioribus, & ſeroſis pleriſque chyli partibus, ad ſanguinis pro Liene, & vicinarum partium nutritione generationem deſtinatis: ſi hoc non fiat, & vel in prima coctione fæculenta ac tartarea omnia, quæ debebant, non ſecernantur, & ad lienem in majori copia affluant, quam ut ab eo omnes attrahi, vel elaborari poſſint; vel Lien ſeu debilis ſeu obſtructus partes illas chyli fæculentas, ut debet, ad ſe non attrahat: in primis viis, & circa Lienem & locis antea dictis, eæ hærent, & hoc modo humor craſſus, ſalſus, fixus, & quæ omnia Chymici uno vocabulo complectuntur, tartareus, multo tamen ſero dilutus, coacervatur, ibiquè diutius hærens, tandẽ peculiarem, ſpecificam, & Scorbuto propriam corruptionem induit.

Victus ſcorbuto generãdo aptus

Atq; rem ita ſe habere plura ſunt, quæ docent. Nam primò ſi conſideremus victum, qui Scorbutum generare ſolet, omnes in eo conſentiunt, cibos ſale, & fumo induratos Scorbuto producendo aptiſſimos eſſe, & in maritimis locis, ubi homines non ſolum aere craſſo, marinis, ſalſis, ac paluſtribus vaporibus inquinato utuntur, ſed aquas etiam feculentas, & corruptas bibunt, & alimentis in tali aere creſcentibus, ac quæ ejuſmodi aquis nutriuntur, veſcuntur, hunc morbum familiarem eſſe. Cum enim cibis ejuſmodi ſiccis, duris, ſalſis, aquiſque feculentis & corruptis, ſucci humidioris rarioris, & ſpirituoſi, & qui corpori probum alimentũ præbere poſſit, & ut Chymici non ineptè loquuntur, volatilis, vel parum inſit, vel quod in eo fuit, ſale, quo condiuntur, multo corruptum, aut fumo abſumtum, & exſiccatum, aut putredine corruptũ ſit, ut nihil ferè, niſi partes craſſæ, feculentæ, terreſtres, excrementiciæ, ſalſæ, & fixæ plurimæ inſint, & omnino, ut Hippocr. *de priſc. Medic.* loquitur, ἄκρητον καὶ ἰσχυρόν τι in tali cibo abundet, id omne à natura attenuari, rarefieri, volatile, ac ſpirituoſum reddi, & elaborari, ac vicini nõ poteſt. Ac proinde ei reſpondens, & congener cacochymia colligitur, & craſſus, feculentus, ſalſus, ac fixus humor in primis viis coacervatur:

Medicamenta ſcorbutum curantia.

Deinde curandi ratio, & medicamenta, quæ hunc morbum expugnant, evidenter idem demonſtrant. Nam ſi medicamenta, quæ hunc morbum curare experientia longa docuit conſideremus, non ſunt ea quævis aperientia, aut humori Melancholico ſimpliciter oppoſita, ſed omnia ſale volatili abundant; qualia ſunt cochlearia, naſturtium, beccabunga, chelidon. minus, fumaria, raphanus ruſtic. ſinapi, ſedum minus &c. Quæ omnia & guſtata, & trita vaporem ſubtilem, acrem, & citò evaneſcentem ſpirant, qui eſt à ſale volatili Chymicis dictò. Nam

medicamenta, quæ in aliis quidem affectibus, qui maximam cum Scorbuto cognationem habere videantur, proſunt, & aliàs aperiendi vim habent: tamen ſi ſale volatili hoc deſtituantur, in Scorbuto curando non ſufficiunt: monetque aliquoties non præter rem Severin. Eugalenus, doctiſſimos aliàs Medicos Scorbuticorum curam quidem ſuſcepiſſe, ſed cum illa ſolum, quæ aliàs in hypochondriacis affectibus uſurpari ſolent, medicamenta adhiberent, nullo ad ſpecificam huius humoris naturam, & corruptionem reſpectu habito, nihil profeciſſe; ſe verò poſtea idoneis & appropriatis, ut appellant, medicamentis feliciter eoſdem ſanitati reſtituiſſe.

Medicamenta cõtra Scorbutum recentia uſurpanda.

Imò illa ipſa medicamenta antiſcorbutica, ſi ſalem illum volatilem amittant, id quod exſiccatione, & coctura fit ſæpe, parum efficaciæ deprehenduntur: & longè plus virium, & efficaciæ ſuccis, & conſervis harum plantarum, quàm exſiccatis ineſt, utpote in quibus partes illę volatiles ab igne diſſipantur, aut cum humido in exſiccatione evaneſcunt. Ideoque ſali volatili harum plantarum meritò maximam vim Scorbutum curandi adſcribimus, utpote quo præſente & operante malum pellitur, abſente non tollitur.

Occulta vis in medicamentis ſcorbuticis.

Si quis tamen hæc medicamenta etiam occultum quid, quod occultæ & ſpecificæ humoris corruptioni adverſetur, habere ſtatuat, ei non repugnamus: Et videntur inter iſta medicamenta quædam præ aliis habere peculiarem prærogativam.

Quia verò ſecundum Hippocratem curatio morbum indicat, & omnis actio eſt inter contraria, & à contrariis, ut habet Ariſtoteles, *lib. 1. de gener. c. 7. t. 50. & 51.* & agens quatenus in patiens agit, ei contrariũ eſt: ſequitur etiam ſalem volatilem, cujus curatione Scorbuti primæ partes, & vires ſunt, in id, quod ſub eodem genere proximo eſt ipſi contrarium, agere. Opponitur autem inter ſales fixus volatili. Et cum omne fixũ à volatili reddatur volatile ſicut contra volatilia à fixis figuntur, & fixa redduntur, ut Chymicis notum eſt, & omnibus Phyſicis (cum ad plurimarum rerum explicationem multum faciat) meritò notum eſſe debet, ut de conſenſ. Chymicor. *p. 364.* dictũ eſt: Fit etiam ut à plantis, quæ ſale iſto volatili abundant humores, qui in ſale iſto fixo abundant, attenuentur, rarefiant, & ut uno verbo dicam, volatiles reddantur, & à Natura facilius loco moveantur, & diſcutiantur.

Cruditas duplex.

Nequa hæc à Galeni & antiquorum doctrina aliena ſunt, ſed potius eam explicant. Notum enim eſt ex Galeno 8. *meth. medic. c. 5.* duplicem dari, cruditatem nidoroſam & acidam. Acidam eſſe in quartana & humoribus melancholicis, extra controverſiam eſſe puto: cum ipſe Galenus. 3. *de ſympt. cauſſ. cap. 2.* non aliter fieri è vino acetum, quàm è ſan-

ſanguine melancholiam doceat, atque ea de cauſſa Hippocrates, 3. *de vict. rat. in acut. t.* 38. melancholicis acetum noxium eſſe, & ἀναγωγὸν μελάνων ὄξος, id eſt, exaltare nigra aceto (ita enim vertendum, non vero, educere nigra, ut de febribus *lib.* 2. *cap.* 17. docuimus) ſcribat. Jam ergò ſi quomodo acetum è vino generetur explicaverimus, non parvam ea res huic materiæ & doctrinæ de morbis hypochondriacis lucem afferet, & quid ſit illa deficiens πνευμάτωσις, quæque ſint prima Scorbuti initia declarabit.

11. *Aceti generatio.* Et ne ambagibus utamur, acetum è vino fieri ſpiritus & ſalis volatilis, quæ in vino ſunt, fixione ut Chymici loquuntur, putamus. Neque enim ſpiritus è vino ſeparatione fit acetum: cum è vino, à quo ſpiritus ſeparatus eſt, aut quod corruptum eſt, ſpiritumque amiſit, nullum fiat acetum, ſed quo generoſius vinum eſt, eo fortius ex eo fit acetum: ex vino quoque ex uvis immaturis expreſſo, & quod omni ferè ſpiritu deſtituitur, nullum ſæpe fiat acetum. Neque ſolum ex vino, verùm etiam ex cerevisia, hydromelite, & fructuum nonnullorum ſuccis ſpiritu abundantibus, atque è quibus ſpiritus ſpiritui vini ſimilis, deſtillando elici poteſt, fit acetum: Ex aliis vero, quæ tali ſpiritu deſtituuntur, non fit. Sal enim & humor, qui eſt in talibus, quandoque eſt fixus, quandoque volatilis. In immaturis, acidis & auſteris fructibus fixus eſt: ubi vero ii maturuerunt, & dulciores fiunt, ſuccique inde expreſſi fermentantur, quæ antea cruda & fixa erant, volatilia fiunt, ut ex iis copioſus ſpiritus elici poſſit, ut id de ceraſis, baccis, ſambuci, & ſimilibus notiſſimum eſt. Idem ſpiritus & ſal dum in iis rurſum figitur, ex iis fit acetum. Et quod per ſpiritus & ſalis volatilis fixionem, non vero ſeparationem, fiat acetum, ex ſequentibus ſatis patet. Primo quod poſt deſtillationem vini nihil vel parum ſalis in phlegmate deprehenditur: poſt aceti vero deſtillationem ſalis acerrimi plurimum relinquitur. Deinde quod in vini deſtillatione primo ſpiritus aſcendit, utpote volatilis; phlegma vero poſt ſpiritum: in aceto vero primum phlegma deſtillat, poſt phlegma demum ſpiritus acidus, fixior ſcilicet & ad evaporandum minus aptus iam, quàm ipſum phlegma. Nimirum ſpiritus & ſal, *Fixum & volatile.* qui in vino eſt volatilis, ad lenem ignem, (quæ natura eſt volatilium Chymicis ita dictorum) evaporat, in alembicum attollitur, & à phlegmate ſeparatur; in aceto vero ſpiritus & ſal, quæ in vino volatilia erant, digeſtione, per lentum calorem, quo acetum generatur, fixa iam reddita, non ſtatim in calore elevantur, & aſcendunt, (quæ fixorum natura eſt) ſed ut ſpiritus aceti aſcendat & deſtillet, maiore calore opus

 eſt:

eſt: imò magna pars ſalis acidi fixi in phlegmate relinquitur & in altum non elevatur. Tertiò ſpiritus vini eſt φλογιστὸς & facile flammam concipit: aceti vero ſpiritus nullo modo, ſed etiam ne alia facilè accendantur prohibet.

Melancholici humoris generatio.

Quod ergo in generatione aceti accidit, tale quid etiam melancholici humoris generatione fieri, & hæc eſſe prima Scorbuti initia ſatis probabile eſt, atque ex iis, quæ modo dicta ſunt, patet. Et cum Chymicorum axioma ſit experientiæ reſpondens; Omne volatile figi a fixo, & contra fixum reddi volatile à volatili; cibi vero ſcorbuto generando apti ſale fixo plurimo abundent: non mirum eſt, ab iis etiam volatiles in cibo & potu partes figi, id eſt, impedire, ne rarefiant & attenuentur.

Scorbuti generatio.

Non tamen iſta cruditate, ſeu ϖυδματώσει denegata ſcorbuti generatio planè abſolvitur; cum ea proculdubio aliis morbis melancholicis & hypochondriacis ſit communis: ſed humor iſte crudus porrò corrumpitur. Etenim, quod cùm ex naturæ operibus plurimis, tum operationibus Chymicis patet, calor nunquam otioſus eſt, ſed in ſubjectam materiam continuò agit eamque afficit.

Ideoque poſtquam crudi iſti humores in primis viis multiplicantur & hærent, ac cum iis aliorum vitioſorum colluvies miſcetur, & corporis noſtri calor continuo in eos agit; ipſi vero ad alendum corpus inepti ſunt, nec in alimentum verti poſſint: indies magis corrumpuntur, donec tandem iſtam ſpecificam & ſcorbuto propriam corruptionem ac naturam induunt: id quod in aliorum malignorum ac veneratorum humorum in corpore generatione quoque accidere ſolet, qui quo diutius in corpore hærent eo deteriores redduntur.

CAPUT IV.

DE CAUSSIS SCORBUTI Remotis, Procatarcticis, & Externis.

1. *Cibus.*
2. *Potus.*

3. *Aer.*

3. *Aer.*
4. *Motus & quies, ac vitæ genus, ætas, ſexus.*
5. *Evacuationum conſuetarum ſuppreſſio.*
6. *Somnus, & vigiliæ.*
7. *Animi pathemata.*
8. *Febres.*
9. *Viſcerum diſpoſitio.*
10. *Contagium.*

Cauſſæ ſcorbuti remotæ. HÆ cum ſint cauſſæ Scorbuti proximæ, ut & antecedentis, natura, ac generationis modus, ad eas omnes cauſſæ reliquæ remotiores, evidentes, & extrinſecus advenientes, quocunque nomine veniant, reducendæ ſunt; utpote quæ omnes ad generationem Scorbuticæ cacochymiæ faciunt. Cauſſæ verò hæ omnes in duas claſſes redigi poſſunt. Vel enim humor melancholicis ex diætæ vitio, & rerum non naturalium vitioſo uſu contrahitur; quo etiam faciunt Febres, & viſcerum mala diſpoſitio: Vel ſanguis in corpore, etſi bonus ſit, à contagio Scorbutico inquinatur & corrumpitur.

1. Cibus. Et primò quidem victus rationem quod attinet, poteſt in hoc morbo producendo plurimum cibus, qualis iis regionibus, quibus Scorbutus domeſticus, & vernaculus eſt, ſcilicet Aquilonarium regionum incolis, maris accolis, nautisq; familiaris eſt. Nimirum caro bubula, caprina, hircina, aprugna, & inprimis ſalſugine & muria aut aceto macerata, & fumo ſiccata, ac indurata, lardum rancidum: aut crudum devoratum; piſces lacuſtres, & maritimi, & ipſi coctu difficiles, ac mali ſucci, & ſale, aut muria conditi, vel fumo, aut calore Solis, aut frigore ſiccati, induratique quales ſunt aſelli, paſſeres, haleces, & huius generis alii; aves in aquis ſtagnantibus, & locis paludoſis degentes, & edulia ex ſanguine, carne, & aruina ſimul miſtis, ſale conditis, & fumo exſiccatis, quæ farcimina vulgo vocant, & alia ſale, atque aceto condita, qualia nautis familiaria ſunt. *Cibi ſcorbuto generando apti.* Utrumque enim horum vim ſiccandi obtinet. Sal quidem cum fixus ſit, ſi copioſius aſſumatur, à Natura omnis volatilis reddi facilè non poteſt, ideoque in primis viis hæret, & Scorbuticæ materiæ congerendæ occaſionem præbet. Acetum vero ut choleræ mors, ita Melancholiæ vita eſt; ſeu ut Hippocr. 3. *de vict. rat. in acut. t.* 38. habet: Αἱ ἀπὸ ὄξεος ὀξύτητες πικροχόλοισι μᾶλλον ἢ μελαγχολικοῖσι ξυμφέρουσι. Τὰ μὲν γὰρ πικρὰ διαλύεται, καὶ ἐκ-

 φλεγμα-

φλεματοῦται μετεωριζόμενα ὑπ' αὐτοῦ. Τὰ δὲ μέλανα ζυμοῦται, καὶ μετεωρίζεται, καὶ πολλαπλασιοῦται: ἀναγωγὸν γὰρ μελάνων ὄξος; quorum ſenſus hic eſt: *Acida bilioſis potius, quam melancholicis conveniunt. Amara enim dum ab acidis fermentantur, quaſi diſſolvuntur, & in aqueum humorem convertuntur. Melancholia verò, dum ab acido fermentatur, multiplicatur. Exaltat enim melancholiā acetum.* Faciunt quoque ad mali hujus generationem frumentum corruptum, tempore pluviæ collectum, & non probè aſſervatum panis biscoctus, ſubmucidus, vel ad perennitatem infumatus, nauticus, & præcipuè frumento corrupto paratus; braſſica, cæpæ, lentes, fabæ, & legumina alia, de quibus Galen. 1. *de aliment. facult. cap.* 16. *&* 18. 2. *de facult aliment. cap.* 44. *& in lib. de cibis bon. & mal. ſucci c.* 1. præſertim negligentius recondita, & corrupta. Obſervavitque Hippoc. 6. *Epid. ſect.* 4. *t.* 11. quod in Aeno, qui continenter leguminibus veſcebantur, crurum impotentia afflicti fuerint, in eaque perſeveraverint, & qui ervo in cibum utebantur, ex genuum dolore laboraverint. Caſeus item antiquus. Omnia enim hæc ut pauci ſunt alimenti; ita excrementitio humore craſſo plurimum abundant. Et in ſumma omnia huc pertinent, quæ humorē craſſum ſiccum, & melancholicum generare poſſunt, quorum longū catalogum recenſet Galen. 3. *de loc. affect. cap.* 7. Quod ii ipſi, qui à liene ſolum tenues, & aquoſos humores attrahi & hinc Scorbutum generari ſtatuunt, inviti concedere, & fateri coguntur. Debet verò inter cauſſas externas, & internas eſſe quædam analogia; & internæ ab externis, præcipuè cibis, habent ſuam originem.

Quanquam verò non ſemper à cibis craſſis, & melancholicis generetur Scorbutus: tamen ſi talis victus ratio continuetur diu, talesque humores diu in corpore hæreant, & aer, ac aliæ cauſſæ accedant, tandem corruptionem Scorbuto propriam & ſpecificam induunt.

Talis vero victus ratio cum nautis, iisque, qui mare Balthicum accolunt, vel ei vicini ſunt, ſ miliaris ſit, non mirum eſt, tot Scorbuticos ibi reperiri. Nam ut hac de re Balduinus Ronſeus, qui iis in locis vixit, & Medicum egit, *de ſcorbuto cap* 5. ſcribit, ſatis ſuperque notum eſt, eos cibis nimis quam Melancholici ſucci veſci. Nam præter aquaticas volucres, quarum apud illos quotidianus uſus eſt, etiam fumum, ſi dicere liceat, deglutiunt, dum bubulas carnes ſale prius conditas fumo exponunt, atque eaſdem uſu exigente commedunt, ferculum ſi quod aliud, melancholico ſucco materiam ſuppeditans. Nam etiamſi quàm maximè boni ſucci ſit, quod fumo asſervatur, per fumationem tamen alienam quandam naturam induit, atque innato ſucco orbum atri humoris cauſſa efficitur. Aliis tamen

quoque in locis Scorbutus quandoque generatur, ubi vel annonæ caritate homines ad pravum victum adiguntur, vel etiam quacunque de cauſſa cruditati vel cacochymiæ tali cauſſam præbent.

2. Potus. *Aqua.* Poſt cibum proximum locum obtinet potus, & primo aquæ corruptæ, & ſæpe verminoſæ, quarum in navibus, in dulcium, & puratum defectu ſæpe neceſſarius uſus eſt, præſertim in aere calido, à quo facilius corrumpitur; item aquæ craſſæ, crudæ, impuræ, graves, ſubſalſæ, & quæ ex fontibus, qui ex locis abſtruſis, & concluſis, non perſpirabilibus, & liberiori aeri, & radiis Solis inacceſſis ſcaturiunt, de quibus Hippocr. *lib. de aer. aq. & loc. cap.* 3. Sive *Vinum.* *Cerevisia.* eæ bibantur, ſive cibi in iis coquantur, ſive cerevisia, aut juſcula ex iis parentur. Referendum huc & vinum, ſi non probè in ventriculo coquatur, ſed aceſcat, inprimis ubi pendulum fit, & corrumpi incipit: Cerevisia item feculenta, ex aquis modò dictis, vel corruptis parata, & quæ vitium aquarum retinet, & præcipuè pauco lupulo condita, & minus rectè cocta eſt. De tali enim cerevisia verum eſt, quod Dioſc. *l.* 2. *cap.* 80. ſcribit inflationem parere, & vitioſum ſuccum creare: lupulus vero admiſtus hoc vitium corrigit, dum abſtergit, obſtructiones aperit, ſanguinem mundat, & craſſa venarum, renumque excrementa educit. Malti (𝔐𝔞𝔩𝔱𝔷) quoque præparatio, qua, ut Hippocratis vocabulo utar, frumentum ζυμοῦται, καὶ μετεωρίζεται, non parū ad digeſtionem in corpore facilius peragendam diſponit, & præparat, dum partes flatulentæ ſeparantur, & partes nutrientes rariores, ac ſpirituoſiores redduntur, & ab excrementitiis partibus aliquomodo liberari incipiunt. Plurimum vero poſtea in recta cerevisiæ fermentatione ſitum eſt, qua ipſa non ſolum ſpirituoſa redditur, ſed & defecatur, & ab excrementis purgatur; quod niſi fiat, non ſolum coctu difficilior, & flatulentior cerevisia redditur, ſed & facilè obſtructiones parit, & feculenta, ac tartarea excrementa multa ſuppeditat.

Tota nimirum, quam modo enumeravimus, victus ratio, ac ciborū, & potus materia ita comparata eſt, ut feculentis, craſſis, melancholicis, ac tartareis humoribus in corpore materiam præbeat, & illam, quæ in coctione alimenti fieri debet, ζύμωσιν, & μετεωρισμὸν, aut πνευμάτωσιν, ſi ita appellare libet, impediat. Ex qua quomodo ſaltem aquoſam, ichoroſam, & tenuem cacochymiam deducere poſſit Reuſnerus, ipſe viderit.

Poſt cibum, & potum ad ſcorbutum generandum multum facit Aer, *Aer.* cæli ſtatus, regionum ſitus, & locorum cōſtitutio humida, frigida, craſſa, & ſalſuginoſa, ac impura. Qualis Aer eſt Aquilonius, frigidus, humidus, craſſus, ſalſuginoſus, maris

vapori-

vaporibus, & exhalationibus, quæ ab inquinamentis, ab æſtu maris & fluminum inundatione relictis, aut ex locis uliginoſis, paluſtribus, & lacuſtribus attolluntur, inquinatus, qui inſpirando attractus, & per poros cutis intra corpus admiſſus, ſanguinem & ſpiritus inficit ac inquinat, calorem nativum obruit & ſuffocat, & ad cruditates generandas facit. Augetur hæc conſtitutio aeris auſtrino, & pluvioſo cælo. Et ipſa experientia teſtatur, locis paludoſis, uliginoſis, lacuſtribus, maritimis, Scorbutum maximè familiarem eſſe, aridis ignotum. Et ea ipſa de cauſſa accidit, ut in Belgio, & Germania inferiore, ubi eadem omnes victus ratione utuntur, in quibuſdam tamen locis, quam aliis frequentior, & gravior fit Scorbutus, quæ ſcilicet magis paludoſa, & paluſtria ſunt. Ita Ronſſeus, ut in epiſtola ad Hadr. Junium teſtatur, obſervavit, in Hollandia multo periculoſius & frequentius ſcorbuto affici illos, qui Alcmariam, Amſterodamum & vicina loca inhabitant: minus vero & rarius, qui Goudam & Roterodamum incolunt, quamvis eodem victu utantur. Et Clariſs. Dn. D. Greg. Horſtius, *in tract. de Scorbut.* annotavit, in Saxonia veterique Marchia Brandeburgenſi in aliis locis malum hoc rarius & levius, in aliis vero frequentius & periculoſius eſſe, iis ſcilicet, quæ ſunt paluſtria & uliginoſa, quorumque incolæ cereviſia minus pura & defecata utuntur. Excitatur quoque, & fovetur Scorbutus à domiciliis humectis & ſitu obſitis, ſubterraneis, frigida & humida murorum exhalatione; atque ea de cauſſa in carceribus uliginoſis detenti ſæpe Scorbuto corripiuntur: quo tamen victus ratio prava, & motus privatio facere poteſt. Et Olaus Magnus, *in ſep. gent. hiſtor. lib. 16. c. 51.* ſcribit, frigida murorum exhalatione morbum hunc foveri, intra tabulata miteſcere.

Vere etiam, & Autumnò magis affligit, & gravius infeſtat Scorbutus. Vere quidem, quod humores vitioſi tempore hyberno collecti tum fundi, & agitari incipiunt: Autumno vero, quod aeris inæqualitas, & jam incipiens frigiditas hnmori melancholico generando fit aptiſſima.

Atque aeris hanc conſtitutionem nonnulli inter cauſſas remotas, vel ſolam vel præcipuam ponunt, ſtatuuntque, Spiritus ſalinos, & vapores à ſulphure ſuo deſtitutos juxta mare ab aſtris elevatos, ſed non percoctos, à maritimis & navigantium turba inſpirando attrahi, qui attracti pulmonem primo inficiant, indè ipſum Epar, & venam portæ, tandemque lienem, quæ partes tales tartareas impuritates eo derivatas quaſi ſibi cognatas ad ſe recipiunt. Verum ut aerem talem ad Scorbutum facere non negamus, ſed adiuvantem cauſſam eſſe modo diximus: ita ſeu unicam, ſeu præcipuam eſſe inficiamur, nec

Pulmones in ſcorbuto non primò afficiuntur

nec iſtum generationis Scorbuti modum admittere poſſumus. Neq; enim in Scorbuto, qui frequentiſſimè ex victu contrahitur, primò pulmones inficiuntur, ſed in primis viis humor Scorbuticus primùm cumulatur. Ac multis locis Scorbutus ſatis familiaris eſt, qui à mari ſalſo ſatis diſtant; & contra multis in locis maritimis Scorbutus planè incognitus eſt.

Vitæ genus, ætas, ſexus. Vitæ genus etiam ad Scorbutum generandum conferre poteſt, nimirum otium, & vitæ genus deſes, atq; iners, exercitium, & motus intermiſſus; unde calor, quo coctio omnis perficitur, debilitatur, & ſuffocatur, & coctiones, excrementorumq; ſecretiones, & evacuationes non rectè perficiuntur. Hinc ii, qui in otio vivunt, magis Scorbuto obnoxii ſunt, quam qui laboribus exercentur; fæminæ, viris; urbani, agricolis.

5. *Evacuationum ſuppreſſio.* Ut & evacuationem conſvetarum, puta menſium, & hæmorrhoidum præcipuè, ſuppreſſio.

6. *Somnus & vigilia.* Somnus itidem, ac vigiliæ; ille quidem crudos in corpore ſuccos augendo, teſte Galeno, 11. *m.m. cap.* 3. hæ autem cruditates augendo, & calidum nativum abſumendo.

7. *Animi pathemata.* Inter animi motus, ut aliàs ad humorem melancholicum generandum multum facit triſtitia: ita & hic eundem cumulare, & Scorbuto materiam præbere poteſt, adeò ut ſcribat Severin. Eugalenus, *p.* 3. quos cum craſſiore victus ratione diuturnior mæſtitia exercuit, de his ægrotantibus ſe conſtare ſemper prædicere auſum fuiſſe, eos à ſcorbuto morbo vel ſolo, vel aliis permixto teneri.

8. *Febres.* Faciunt ad Scorbuti generationem ſæpe etiam febres; cum per eas humor Melancholicus facilè cumulatur, ut Galenus, *de loc. affect. lib.* 3. *c.* 7. ſcribit. Nam humores calore febrili aduruntur, & quod de bile quodammodo reſtinctum eſt, in atrum humorem vertitur; id quod maximè accidit circa ſtatus finem, ubi & continuæ, & intermittentes febres bilioſæ in quartanas, & hinc in Scorbutum degenerant. Et præcipue quartana in ſcorbutum degenerare ſolet; nonnunquam tamen & tertianæ diuturnæ. Febris etiam tertianæ, quæ tempore verno incipiunt, & poſt ſeptimum paroxyſmum quotidie infeſtant, maxima ex parte ſunt diuturnæ, & tandem in ſcorbutum abeunt.

9. *Viſcerum diſpoſitio.* Verum cauſſæ iſtæ omnes eo facilius, & ptomtius malum hoc excitant, ſi viſcerũ, & in primis lienis, intemperies, debilitas, vel obſtructio adſit, ſive nativa, & primigenia, ſive ex colluvie, & contactu vitioſorum humorum contracta, ob quam humores affluentes, & melancholicam redundantiam ſequeſtrare, elaborare, atque excrementa excludere non poteſt. Et in primis magni momenti hic eſt ἰδιοσυγκρασία, & peculiaris cuique corpori natura,

venarum item in viſceribus hiſce anguſtia, ob quam craſſi, & feculenti humores facilius in iis hærent.

Etſi verò etiam abſit viſcerum nativa conſtitutio non recta: tamen ſi actio vitioſorum humorum diuturnior ſit & continua, à violentia eorum viſcera diu ſe defendere non poſſunt, ſed humores pravi, propriã & peculiarem huic malò corruptionis formam adepti; adjacentia & vicina viſcera vel ſua ſubſtantia & contactu, vel fumis depravant; eorumque naturalem temperiem & conſtitutionẽ corrumpunt, donec eandẽ labem ſucipiant, & infecta, & debilitata alimentis ingeſtis ſimilem corruptionis formam imprimant, eaque inquinent, & corrumpant.

Contagiũ. Quibus cauſſis omnibus tandem merito contagium, alterum cauſſarum genus, addimus, quod etiam abſentibus cauſſis modò enumeratis, ad ſcorbutum excitandum ſatis efficax eſt, quod vel à matre in ſobolem per ſanguinem menſtruum, generationis alterum principium, impurum & inquinatum derivari, & ita malum hæreditarium, ſive σύμφυτον, & συγγενὲς excitari, vel à matre, aut nutrice cum lacte inſtillari, vel alio modo per contactum & converſationem, pocula ſcilicet ægrotantium uſu, in bibendo præcipuè, inquinata, oſcula etiam, ut nonnullis placet, aut aerem exhalationibus, exſpirationibus, & fœtidis halitibus ægrotum infectum inſpiratione attractum communicari poteſt. Quare ipſa cauſſa non parum facit, quod in Saxonia inferiore Scorbutus tam frequens ſit. Nam cum raro fiat, ut inter convictores plures unius menſæ omnes à ſcorbuto immunes ſint: nihilominus mos in pleriſque locis invaluit, ut pocula ſint communia, eaque ſatis magna, & capacia, in quæ inter bibendum ſæpius ab iis, qui gingivas laxas, cruentas, & os graveolens habent, contagium deponitur, & commenſalibus facilè communicatur. Cenſent etiam nonnulli per Venerem communicari poſſe ſcorbutum, ſi ſcilicet vir cum fœmina ſcorbutica, fluxu albo laborante, concumbat.

Ex halitibus quoq; & fœtore cadaverum ſcorbuto exſtinctorum ſcorbutus contrahi poteſt. Cujus rei notabile exemplum obſervari in viro illo, cujus ſupra, *cap.* 1. *n.* 6. me-mini, & *c. ſeq. n.* 5 & 30. mentio fiet.

Quomodo per contagium ſcorbutus communicetur. Qua ratione autem per contagium malũ hoc comunicetur, equidem non ita planum eſt. Videtur tamen eadem eſſe ratio, quæ in lue Venerea. Ut enim illud contagium quidem per diverſas partes corporis admitti poteſt: in corpus tamen admiſſum ſenſim in univerſum ſe ſe penetrat, & non ſolum Spiritus, ac humores inquinat; ſed & ſimilem diſpoſitionem partibus ſolidis imprimit: ita & contagium Scorbuticum ſive per ſalivam ſive per halitum, ſive per lac, ſive per cutem in corpus admiſſum

miſſum ſanguinem inficit, ac inquinat, & viſceribus nutritioni dicatis ſimilem diſpoſitionem imprimit, ea debilitat, ut & ipſa poſtea non ſanguinem probum, ſed vitioſum, & ſcorbuticum generent. Et quamvis unum μίασμα per varias corporis partes admitti poteſt; tamen non omnibus æque adverſum eſt, ſed ut omnia venena ac contagii ſeminaria determinatis in corpore partibus adverſa ſunt, alia cordi, alia pulmoni, alia aliis partibus, ac præcipue iis, in quibus generata ſunt, atque ex oculis effluentia μιάσματα tantum ὀφθαλμίαν inducunt, non phthiſin; contra habitus contagioſi phthiſicorum pulmoni, non oculis nocent: ita etiam in ſcorbuto ſeſe res habet. Cum enim illud contagioſum in eo circa lienem generatum fit, ac pravam diſpoſitionem ibi acquiſiverit, facultati etiam naturali in liene & vicinis partibus maxime adverſatur.

CAPUT. V.

DE
SIGNIS SCORBUTI, ac de Morbis, & Symptomatibus, quæ Scorbutum comitantur.

1. *Scorbuti ſigna generalia.*
2. *Incipientis Scorbuti ſigna.*
3. *Augmentum ſumentis ſigna.*
4. *Ingraveſcentis ſigna.*
5. *Raræ, & novæ de ſcorbuto obſervationes.*
6. *Multitudinis ſymptomatum, & morborum in ſcorbuto cauſſæ.*
7. *Laſſitudo ſpontanea corporis & gravitas, in cruribus præcipuè.*
8. *Pectoris anguſtia, & difficilis reſpiratio.*
9. *Gingivarum corruptio, & oris graveolentia, ac dentium vitia,*
10. *Maculæ.*
11. *Vrinæ.*
12. *Pulſus.*

13. *Dolores crurum, ſurarum, circa talos, & juncturas manuum, digitorum, nuchæ, dorſi, genuum, membranarum, & variarum partium vagi.*
14. *Dolor ventris.*
15. *Hypochondriorum.*
16. *Lumbago.*
17. *Dolores nephritici.*
18. *Capitis dolor.*
19. *Dentium.*
20. *Pleuritis.*
21. *Arthritis.*
22. *Stupor, & Paralyſis.*
23. *Tremor.*
24. *Convulſio, & convulſivi motus; Epilepſiæ.*
25. *Contractio, & rigiditas membrorum, & in ſpecie genarum.*
26. *Apoplexia.*
27. *Cæcitas ſubitanea.*
28. *Somnus nimius, ac vigiliæ.*
29. *Triſtitia.*
30. *Deliria.*
31. *Læſa memoria.*
32. *Palpitatio cordis.*
33. *Lipothymia.*
34. *Oeſophagi obſtructio, & ſtrangulationis metus.*
35. *Appetitus dejectio. Sitis, ac oris ſiccitas.*
36. *Ructus.*
37. *Vomitus, & vomendi conatus.*
38. *Sputatio continua, & Salivatio.*
39. *Alvi fluxus.*
40. *Alvi fluxus ſanguinolentus.*
41. *Alvi adſtrictio.*
42. *Sudor copioſus.*
43. *Hæmorrhagia narium, è cruribus & labiis.*

44. *Menſes*

44. *Menſes albi, & ſemen aquoſum.*
45. *Color faciei.*
46. *Icterus.*
47. *Odor corporis, & anhelitus.*
48. *Horrores.*
49. *Calor nocturnus.*
50. *Febres.*
51. *Tertianæ.*
52. *Quartanæ.*
53. *Quotidianæ.*
54. *Continuæ.*
55. *Peſtilentes.*
56. *Tumores.*
57. *Eryſipelas.*
58. *Tumores crurum. Ventris & Hydrops.*
59. *Veſica in toto corpore.*
60. *Vlcera, & Penis exulceratio.*
61. *Gangrænæ.*
62. *Atrophia, crurum, totius.*

Scorbutus eſt farrago plurimorũ morborum & ſymptomatum.

MAgnam in Scorbuto eſſe morborum, & ſymptomatum συνδρομὴν, & farraginem, ſuprà diximus, quæ hic ut eius effectus, ex quibus cognoſcitur, perpendenda. Neque enim, quod non ſolum è vulgo homines, ſed & Medici interdum, quibus hic morbus parũ cognitus eſt, facere ſolent, ii ſaltem Scorbuto laborare dicendi ſunt, quibus crura maculis pinguntur, gingivæ corrumpuntur, dentes vacillant. Sunt enim hæc jam ingraveſcentis tantum mali ſigna: & homo malum hoc diu circumferre poteſt, etſi nihil tale appareat, Et non raro accidit, ut homo prius hoc morbo è medio tollatur, quam ipſi gingivæ exulcerentur, aut maculæ in cruribus emergant. Neque eadem, ut ſupra, *cap.* 1. dictum, in omnibus apparent ſymptomata. Nonnullis dentes & gingivæ tantum afficiuntur, partibus inferioribus ſalvis: aliis contrarium evenit. In aliquibus nullæ erumpunt maculæ, aliis tota crura colore violaceo pinguntur, ut tibi alia ejus coloris ſuperinducta jurares.

Sunt verò morbi huius quidam

Scorbutus in principio difficulter cognoſcitur. quaſi gradus. Et quidem ubi adolevit, facilis cognitu eſt: in principio verò, quod ſatis longum plerumq;, difficilius cognoſcitur; cum ſigna ejus, ut corporis totius gravitas, & ſpontanea laſſitudo, cum aliis morbis ſint communia. Artificioſam tamen conjecturam ſi Medicus adhibeat, ita planè latere non poterit, quin agnoſcatur. Si nimirum non ad unum, vel alterum ſymptoma tantum reſpiciat Medicus, ſed totam ſymptomatũ, & ſignorũ συνδρομὴν uno intuitu diligentius conſideret. Pathognomonicum enim unum ſignum aliquod, quod ſoli, & omni competat, non reperitur, præſertim in initio. Et licet ubi iam incrementum ſumſit, latere non poſſit, ſi diligenter in eius naturam inquiratur: tamen ſæpiſſime alios morbos ſimulat, incautosque decipit; cum nullus ferè morbus ſit, ſub quo non latere, aut cui non aſſociari Scorbutus poſſit, ut ex ſequentibus patebit.

1. *Signa ſcorbuti generalia.* Principio igitur conſiderandũ, ſi de ſcorbuto ſuſpicio incidat, an in ea regione vivat æger, cui ſcorbut⁹ aliàs eſt familiaris, & omnino an diæta Scorbuto generando apta uſus ſit. Unde Eugalenus ſcribit, ſi quos cùm craſſiore victus ratione diuturnior mæſtitia exercuit, de iis ægrotantibus ſe cõſtanter ſemper prædicere auſum fuiſſe, eos ſcorbuto vel ſolo, vel aliis morbis permiſto laborare. An parentes habuerit Scorbuticos; an ſit ſplenicus, & morbo aliquo melancholico, & hypochondriaco, quem ſequi Scorbutus ſolet; antea laboraverit, ex quo nõ ſatis reſtitutus fuerit.

Hinc ipſa ſymptomata præſentia, quę mox exponentur, conſideranda. In quibus & hoc notandũ, quod per quaſdam periodos, & circuitum recurrunt aliàs tertianũ, aliàs quartanum, alias quintanum, aliàs ſeptenarium; aliquos etiã quotidie, pro humoris ipſius qualitatę, & conditione, infeſtent. Et ſi in regione aliqua cui ſcorbutus familiaris eſt, occurrat aliquis morbus rarus, aut antiquis non ſatis cognitus, aut qui cum deſcriptione & ſignis, quæ in antiquorum libris exſtant, non ſatis congruit, Scorbutum ſub ſchemate & ſpecie alterius morbi latere, ſuſpicandũ, ideoq; in eum diligenter inquirendum & ex cauſſis, quæ præceſſerunt, urina, pulſu, & ſymptomatibus, an ſcorbutus adſit, indagandum.

Perpendenda etiam iuvantia. Etenim ſi medicamenta, quæ aliàs videntur commoda, Scorbuto verò in ſpecie non adverſantur, parum proſint, contra ex uſu medicamentorum huic morbo accomodatorum æger melius ſeſe habeat, & illud ſcorbuti indicium eſt: ideoq; in illorum medicamentorum uſu perſiſtendum, nec ad alia tranſeundum, de conſilio Hippocratis. 2. *aph.* 52.

Pertinet huc & iſtud, quod interdum vomitus, & alvi deiectiones copioſæ, & frequentes accidunt, è quibus tamen nihil levaminis, vel commodi æger percipit, & anxietas, & ſymptomata non remittunt.

Incipientem autẽ ſcorbutũ eiusq; prima

2. *Incipientis ſcorbuti ſigna.* prima quaſi rudimenta ac principia produnt, laſſitudo ſpontanea, in abdomine, & cruribus gravitatis ſenſus crurum debilitas, ac dolor obtuſus, pectoris anguſtia, ac reſpiratio difficilis, & anhelatio, quæ tamen à minꝰ attentis non animadvertitur, niſi à validiore corporis motu: homo plerumque præter ſolitum fit corpulentior, & quaſi pinguior, cũ vividi corporis coloris ad lividum mutatione.

3. *Argumenti ſumentis ſigna.* Hinc paulò poſt ſubſequitur rubedo; & pruritus quidã in gingivis; facies fit pallida, & ex violaceo nonnihil liveſcent; urina ſæpe tenuis eſt; nunc turbida. Pulſus eſt parvus, debilis, & inæqualis, ac ſæpe vermicularis; vel magnus, & durus abſque inflammatione. Quæ ſi adſint, non levem de Scorbuto ſuſpicionem faciunt; quæ magis confirmatur, ſi, uti modo dictum, victus ratio ſcorbuto generanda apta, vel alia cauſſa ſcorbutum generans præceſſerit.

4. *Ingraveſcentis ſigna.* Malo incrementum ſumente; ſymptomata modo dicta augẽtur, & graviora redduntur, & alia accidunt, ut jam de Scorbuto amplius dubitare opus non ſit. Anhelius difficultas ſæpe ita augetur, ut dum ſe movent, & erigunt ægri, aut aliquãdo erecti ſedere conãtur, animi deliquio tentẽtur, decũbentes rurſus reficiantur, & reſpirent liberius, ac ſe melius habere, ac ſanos eſſe dicant. Ventris tormina, ac torſiones accidunt; gingivę intumeſcunt, ac laxæ, ac flaccidæ reddũtur; & ad attactũ ſanguinem ſeroſũ effundunt, graveolent; & corrumpuntur, & caro ad dentiũ radices abſumitur, dentes vacillant, ũt abſq; negotio & dolore ex alveolis ſuis eximi poſſint. Crura ad ambulandũ & corporis onꝰ portandũ impotẽtia fiũt, & quaſi Paralyſin quandã patiuntur. Maculę, ac liturę variæ, rubrę, purpuræ, fuſcæ nõ ſolũ in cruribus, ſed & in dorſo, ac lũbis effloreſcunt, & tota crura interdũ eiuſmodi colore pingũtur. Crura ſępe etiã ἀτροφίᾳ laborant; ſæpe intumeſcũt; & ſępe ita exulcerãtur, ut Elephantiaſin Arabũ æmulẽtur, cuiꝰ rei exẽplũ ante paucos años & hic vidi.

Quibus mala alia ſępe accedũt, ſenſusq; gravitatis; dum malũ augetur, incrementum ſumit percipiturq; in pluribus quarto, in aliquibus tertio, & quibuſdã, ſed rarius ſingulis diebꝰ. Et quidẽ plerumq; ſine febri, quandoq; tamen etiã cũ febre. Febres autem, quę ſcorbutũ comitantur, nõ unius generis, ſed variæ omnino ſunt, & nõnunquã intermittentiũ, inordinatarũ, quotidianarũ, tertianarum, quartanarũ, quinto, vel ſexto die redeuntiũ, nonnunquã continuarum, imò & malignarũ naturã ęmulantur. Quibuſdã alvus toto morbi tempore eſt adſtricta, alii cõtra ventris fluxu laborant, qui nõnunquã in periculoſam, & ſæpe lethalem dyſenteriã mutatur: ſæpe accidit vomitus, vel inanis vomẽdi conatꝰ, paralyſis, motus cõvulſivi, Epilepſia, deliria, Carꝰ, lethargus, lipothymia, dolores vagi, dentiũ dolor, pleuritis, dolor articulorum, eryſipelata, hydrops, ἀτροφία, gãgræna; ut iſta omnia annotavit, & hiſtoriis illuſtravit Eugalenꝰ uti antea diximꝰ.

Imo

5. *Rara & nova de ſcorbuto obſervationes.*

Imò plura adhuc ex eodem humore mala excitari poſſe, obſervare in praxi promtum eſt. Et inprimis ſcabiei ſæpe coniungitur Scorbutus, & tùm ex humorum vitioſorum ad interiora recurſu graviſſima ſymptomata excitantur Memini Anno Chriſti 1615. ſtudioſum quendam Svevum, cum humores tales aduſtos multos cumulaſſet, & Natura eos ad ambitum corporis protruſiſſet, ſcabiesque inde excitata fuiſſet, iiſdem ad interiora recurrentibus ſubitò cæcum evaſiſſe, & per triduum nihil vidiſſe, nullo extra in oculo apparente vitio, & reliquis ſenſibus integris. Idem de ſumma pectoris anguſtia, & difficili reſpiratione conquerebatur; urinæ nigræ reddebantur, turbidæ, ac ſubruffæ, quæ cum quieſcerent, ſuperiore parte claræ nonnihil evadebant, nigro ſedimento ſubſidente. Per alvum idoneis, & levibus medicamentis purgatus, ac iis adhibitis, quæ humori huic contraria ſunt, ſimulque per urinas expellunt (quo natura vergebat) fumaria, cochlearia, & ſimilibus, intra quatriduum viſum recuperavit, & paulò poſt ſanitati reſtitutus eſt. Idem quadriennio poſt eodem ferè morbo correptus eſt: conquerebatur de pectoris anguſtia, & difficili reſpiratione, ac tenebras ſæpe oculis offundi referebat. Viſu tamen tunc privatus non eſt, ſed ſemel circa veſperam Epilepſia correptus, à qua tamen clyſtere, & aliis medicamentis idoneis adhibitis liberatus eſt, & paulò poſt convaluit, atque etiamnũ vivit.

Eodem fere morbo ante paucos annos corripiebatur puer annor. 12. ex intempeſtiva contra ſcabiem inunctione, qui urinas reddebat nigras, viſu privabatur, & accedente, ac recurrente ſæpe Epilepſia extinguebatur.

Dolores, ac punctiones pectoris, ac nothas pleuritides ex iiſdem humoribus, & ſcabie intempeſtive curata ſæpius obſervavi; ut & febres tertianas, quartanas, quæ ſcabie erũpente ceſſarent facilè, eadem evaneſcente redirent. Obſervavi & hæmorrhagias narium frequentes, & copioſas in Scorbuticis; cruentas alvi dejectiones copioſas; ſanguinis è vena in cruribus ſponte aperta effuſionem, Icterum cum cardialgia, de quibus omnibus poſtea in ſpecie dicetur.

Obſervavit etiam notatu digna, & rariora in Scorbuticis vir Cl. Dn. D. Dôringius, Medicus Vratislavienſis, affinis meus honorandus, Icterum ſcilicet, cui ſucceſſit hydrops Aſcites; Aſthma; Favum, qui non tantum univerſum caput, ſed & totam frontem occupavit; Herpetem brachii ſiniſtri; Gangrænam in indice digito; Hæmorrhagias narium frequentes; Hæmorrhagias e labiis non conſpicuo venæ oſtio; palpitationem cordis; ardorem, & dolorem intolerabilem in plantis pedum cum maculis ſublividis in cruribus; putridæ,

tridæ, & putidæ materiæ ex utero effluxum. Ita Clariſs. Dn. D. Timotheus Vlricus, Medicus Magdeburgenſis, amicus meus honorandus, præter genua retracta ad faciem, totumque corpus quaſi contractum, obſervavit, carnem in oculis ſub palpebris luxuriantem & creſcentem, ſanguinis colore, oculi albo, icteri faciem, palpebris vero iridis colorem referentibus, ex ceruleo, puniceo, & flavo mixtum in aliquibus, ſed rarius, ad quoſvis articulorum motus & inflexiones ſonitus exactiſſimos & manifeſtos, ac ſi digiti comprimerentur fortius, vel quales ex confractis oſſibus aut nucibus evenire ſolent: Cuidam hydropicæ habitæ, dentes una nocte omnes vacillare cæpiſſe, ut univerſorum caſum metueret, qui tamen altero die firmiter alveolis ſuis hærebant: Nobili cuidam nullas maculas, etiam medicamentorum ope, erupiſſe, ſed ſudoriferis adhibitis ſparſim muſculoſas brachiorum partes ardore correptas fuiſſe, ſenſu guttularum ferventiſſimarum aquæ adurentis aſperſarum, nullo interim externo apparente veſtigio: Viduam quandam in febre continua toto corpore maculis nigris, violis obſcurioribus, ſatis magnis fœdatam fuiſſe, raro aſpectu: cui tota facies (albis tantum circa oculos & naſum circulis ac lineis puerilis digiti craſſitiæ remanentibus) eum colorem contraxit, quem exactè ſuilli petaſonis fumo indurati & cocti corium repræſentat; puſtulæ inſuper elatæ & atræ magnitudinem fabæ æquantes in malis frequentes aderant, ſanguinem merum aliquatenus nigrum ac ſeroſum effundentes. Et omnino tanta eſt morborum, ac ſymptomatum varietas in ſcorbuto, ut non ſolum è vulgo homines, ſed & Medici, quibus hic morbus cognitus non eſt, eam vix ſatis mirari queant, & ſæpe in eam opinionem veniant, ægros veneno infectos eſſe.

6. *Multitudinis morborum & ſymptomatum in ſcorbuto cauſſa.*

Neque verò quis meretur, tantam malorum farraginem ab una cauſſa provenire poſſe. Nam etſi primo circa Lienem præcipuè, & intermediis inter Epar, Lienem, & ventriculum ſpatiis hic humor cumuletur: tamen ubi magna huius copia coacervatur, tandem ad Epar redundat, & in venam cavam, ut & arterias ſe ſe penetrat, ac ſanguini in iis vaſis permiſcetur, eumque inquinat, & per hæc vaſa nunc in hanc, nunc in illam partem, nunc etiam in totum corpus diſtribuitur, & varios affectus in variis partibus excitat. Ad quod non parum facit propria illa, & peculiaris humorum corruptio, multifariam nocere promta.

Seroſus humor ad plurima mala excitanda aptus.

Inprimis verò ad iſtam varietatem malorum producendam apta eſt, natura humoris ſeroſi, & ſalſi, qui plures alterationes, & mutationes ſuſcipere aptus natus eſt, ut nunc forma aquæ, nunc vaporis ſubtilis, & levis, nunc ſalis erodentis, & penetrantis

apparet, nunc lapidis ſiccitatem, craſ-
ſitiem, & duritiem refert; atque hinc
inde facilè in omnes corporis partes
penetrat, & moveri aptus eſt. Etenim
cum in venis, & arteriis ſuam ſedem
habeat; ex eorum vaſis majoribus in
minora, quorum extremitates in ſin-
gula membra tàm interna, quam ex-
terna propagantur, derivatur, & huc
illuc moveri, & in univerſas corpo-
ris, cuius ob hanc vaſorum commu-
nionem ξύῤῥοια & ξύμπνοια eſt, par-
tes fluere, atque ab internis ad exter-
nas, ab externis ad internas, e ſuper-
nis ad infernas, ab infernis ad ſuper-
nas, à latere ad latus variè moveri
poteſt; id quod ſæpe in doloribus
corporis vagis animadvertitur. Ad
quam motus proclivitatem & illud
facit, quod ſalſi, & ſeroſi hi humo-
res non perfectè cum ſanguine per-
miſcentur, ſed ab eo facilè ſeparan-
tur, & reliquo ſanguine ita nō com-
moto, quotieſcunque efferveſcunt,
vel aliam ad motum occaſionem ac-
cipiunt, hinc inde moventur, & præ-
cipuè ſi totus ſanguis efferveſcat, ipſi
fluxibilitatem præſtant. Quò tan-
dem facit & hoc, quod hic humor
peculiari modo nervis, & nervoſo
generi infeſtus eſt, unde non tantum
convulſio, Paralyſis, ſed & tot dolo-
res in membranoſis partibus oriri
ſolent.

Humor ſcorbuticus nervoſo generi infeſtus.

Multum etiam ad ſeroſi huius hu-
moris in plurima membra diſtribu-
tionem, & derivationem caput facit.
Cum enim caput cum intra, tùm ex-
tra cranium innumerabiles venæ, ac
arteriæ percurrant, & ſanguis qui-
dem, qui in iis eſt, ad nutritionem
capitis abſumatur: Serum autem
quod cum ſanguine in hiſce vaſis
continetur, alendis illis partibus
aptum non ſit, neq; tamen per iter,
unde affluxit, facilè refluere, neque
per cranii denſitatem, ut in aliis par-
tibus, excidere ſenſibiliter, neque
etiam inſenſibiliter, ob loci tempo-
rem & calorem remiſſiorem, diſcuti
poſſit: cumulatur, & cum loco decli-
vi contineri nequeat, è capite ſecun-
dum ductum membranarum & ner-
vorum in externa membra deſtillat.

Caput ad ſeri in reliquum corporis diſtributionem facit.

Verum ut hæc clariora fiant, de
ſingulis in ſpecie dicemus: cum mul-
ta de plurimorum morborum, ac
ſymptomatum generatione utilia
cogitanda ſuppeditent. Etſi vero
non multum referat, quo ordine iſta
ſymptomata, & morbi proponantur;
ea tamen primo loco ponemus, quæ
huic malo magis familiaria ſunt; ni-
mirum laſſitudinem ſpontaneam,
gravitatem in cruribus, pectoris an-
guſtiam, reſpirationis difficultatem,
gingivarum corruptionem, & oris
graveolentiam, maculas in cruribus
purpureas, urinas, pulſum; Quibus
reliqua poſtea ſubiungemus.

Laſſitudo primum ſpontanea, &
gravitas corporis, præcipue crurum,
κόπος ἑλκώδης Galeno 3. *de ſanit. tuend.*
cap. 5. & 2. aphor. 5. cum tendi mem-
bra, & pondere quaſi appenſo gra-
viora videntur, excitatur, cum hu-
mores

Laſſitudo ſpontanea & gravitas corporis.

mores ſeroſi, & vitioſi cum ſanguine per venas in ambitum corporis diſtribuuntur, & ad muſculos ipſos penetrant. Quia vero ut corpus nutriant, eiq; aſſimilentur, inepti ſunt, ibi hærent, & vires gravant, ac hanc laſſitudine excitant, ita, ut ægri in principio huius mali ſe langvere magis, quam ægrotare conquerantur, cum vix ſenſibili virium decremento, & citra aliquem evidentem morbum. Sentitur etiam hic gravitatis ſenſus in abdomine, cum ibi, & inprimis viis materia primo colligatur.

Difficilis reſpiratio & pectoris anguſtia.

Difficilis reſpiratio, & pectoris anguſtia frequens huius mali ſymptoma eſt, quæ plerumque quidem excitatur, cum vapores maligni, & pravi in ventre inferiore præcipue circa lienem excitati in ventriculo, & circa ſeptum transverſum procul dubio etiam in cavitate illa omenti, ſupra, *cap.2.num.*1. deſcripta, collecti hærent aliquamdiu, illiusque liberum motum, qui in reſpiratione neceſſarius eſt, impediunt, aut ipſi etiam humores vitioſi, lienem, & vicinas partes diſtendentes, diaphragma comprimunt: eodem modo, quo hydropici aut uterum geſtantes, aut alia de cauſſa ventrem turgidum habentes difficilius reſpirant. Undè etiam ægri nihil de thorace conqueruntur, ſed locum affectum, ubi gravitatem ſentiunt, & cuius cauſſa cum difficultate reſpirare coguntur, ſub diaphragmate ad ventriculi regionem monſtrant, teſte Eugaleno *pag.*10. & ipſa experientia. Quo ſigno etiam hæc ſcorbuticis familiaris difficilis reſpiratio à ſpirationis difficultate, quæ cauſſam primariam in thorace habet, facilè diſcernitur. Conqueruntur etiam ægri magis de anguſtia (es ſeyſhnen bange / vnd angſt) quàm reſpirationis difficultate, eamque tolli unicè petunt; quæ anguſtia interdum adeo augetur, ut lipothymiam minetur, & caligo oculis offundatur, at niſi tollatur, ægri ſtatim animam reddituri videantur. His accedit, quod reſpirationis hæc difficultas ſeu potius anguſtia non eſt perpetua, neque eadem vehementia moleſtat, ſed brevibus intervallis vel ceſſat, vel remittit, ac poſtea recurrit, vel augetur. Nulla tamen in hac reſpirationis difficultate, ſicut in thoracis affectibus, adeſt tuſſis, ſtertor, ſibilus, orthopnœa, & ſimilia. Non crediderim tamen impoſſibile eſſe, vapores illos pravos, ac malignos etiam per venas, & arterias pulmoni, & cordi communicari, atque hinc iſtam anguſtiam excitare poſſe; quod vel ex eo patet, quod non ſolum per intervalla vaporibus ſurſum adſcendentibus oculi obſcurantur, & caligant, ut ægri adſtantes agnoſcere non poſſint, ſed etiam lipothymia ſæpe accedit. Inprimis vero poſt validum exercitium, & vehementiorem corporis motum malum hoc augeatur, humoribus in hypochondriis

commotis, & aliquomodo ex calefactis, & vaporibus inde, quaſi camarina moto, excitatis. Hujus anguſtiæ meminit Severin. Eugalenus, *obſ.6.* 7.8.12.18.19 20.37.40.48.69.

9. *Gingivarum oris & dentiũ vitia.* Porrò cum Natura adhuc cauſſam morbi ſuperat, quàm longiſſimè humorem vitioſum à partibus nobilioribus amovere conatur, partim verſus ſuperiora, & in gingivas, partim in pedes; unde gingivarum rubor, pruritus, ac putrefactio, & crurum maculæ exoriuntur: quæ ſigna ubi apparent, tàm certò Scorbutum indicant, ut lippi etiam ſcorbutum inde agnoſcere poſſint. Primò enim ex materiæ parte acriore & ſubtiliore, quæ vel à natura ſurſum movetur, vel à calore eo attollitur rubor, pruritus & eroſio ac putrefactio gingivarum excitatur. Etenim cum caro gingivarum ſit mollior, tenera, & lava, facilius à ſalſis, & feroſis ejusmodi humoribus afficitur, quàm aliæ partes, quarum caro durior eſt, & ſolidior. Hinc primum in gingivis rubor, & pruritus excitatur, caro earum intumeſcit, & contrectata ſanguinem ichoroſum fundit, poſtea flacceſcit, intumeſcit, putreſcit, & odorem fætidiſſimum de ſe exſpirat. Inde carne, qua dentes reguntur, abſcedente, pravoque humore alveolo, & partes, quibus dentes in locis ſuis continentur, occupante, omnibusque laxis partibus laxis redditis, dentium compages ſolvitur, ut vacillare incipiant, nulloque negotio ex alveolis ſuis eximi poſſint. Et quidem ut iſta dentium vacillatio ſæpe ſubito accidit, ita ſubito etiam evaneſcit, obſervatumque, ut ſupra, *num. 5.* dictum, ægris una nocte dentes omnes vacillare cepiſſe, ut univerſorum caſus metueretur, altero vero ſtatim die rurſum firmiter in alveolis ſuis hæſiſſe. Quod proculdubio ob varium affluxum & refluxum feroſi & ſcorbutici humoris accidit. Dentes ipſi ſæpe nigreſcunt, & quaſi ſiderationem patiuntur, ſola tamen ſuperficies tali colore tincta eſt. Quanquam verò ſimili vitio interdum in lue Venerea os afficiatur; tamen à Scorbuto id facilè diſcernitur, cum aliis ſignis hi morbi multum diffideant; ac præterea oris hoc vitium lui Venereæ non ſit perpetuum, ſed poſt uſum hydrargyri accidat, cuius vi dum venenatus humor feroſus per ſalivationem expurgatur, facies, & os ſimul afficiuntur.

Quod autem craſſum & gravius ad crura decumbit, ibique maculas varias excitat, quæ in principio rubicundæ, illis, quæ à pulicum morſibus relinquuntur, non abſimiles, hinc purpureæ, & ſublividæ erumpunt, tandemq; ad nigrum colorem inclinãt. Nonnunquam tibiæ magno ſpatio, vel etiam undique lividæ, vel cum nigrore, aut livore purpureæ evadunt. Vnde nonnulli maculas Scorbuticas diſtinguunt in amplas, & maiores (Germani flecke appellant) 10. *Maculæ.*

ſant) & minores pulicum morſibus ſimiles. Videnturque hæ maculæ non multum differre ab iis, quas Paracelſus, *lib.*4. *chirurg.* von offenen Schaden / *c.*16. ſub nomine Cancrenæ deſcribit. Ubi hoc notandum; quod ſcribit, maculas iſtas ſine exulceratione ad annum 30. vel 40. durare: cui experientia reſpondet. Novi enim in vicinia virum hypochondriacum, & arthritidi obnoxium, qui iam ab annis 30. crura eius modi maculis colorata habet, de dolore tamen inſigni non conqueritur. Cum enim ſeroſæ, & ichoroſæ in ſanguine partes ad corpus alendum inutiles ſint, extra venas in cutem à Natura protruduntur, & per ἐκχύμωσιν, & ναυσιώσιας τῶν βλεβῶν, ut Hippocrat. *lib. de fractur. comm.* 2. loquitur, ibi has maculas excitant. Et quidem frequentius hoc accidit in cruribus; cum natura vitioſos humores ſoleat ad partes ignobiliores, & remotas depellere: quandoque tamen, & ubi maior eſt eorum copia, & in dorſo, & in brachiis huiusmodi maculæ conſpiciuntur, eæque non ſolum minores, ſed & maiores, de quibus infr. *num.* 13. Imò interdum etiam circa pectus, & in collo, & facie efflorescunt, modo evaneſcentes, modo iterum erumpentes, ut obſervavit Eugalenus *obſerv.* 59. Vidi nuper puerum nobilem biennem, cui primum in præputio hæ maculæ apparuerunt, poſt menſes verò aliquot in toto corpore, imo etiam facie effloruerunt. Hæ lituræ nonnunquam in quaſdam quaſi ſquamas reſolvuntur, quæ à reliqua cute non ſecus, ac Eriſypelate ſeparantur. Salomon Albert. *theſ.*119. Quandoq; ſubitò ante mortem maculę evaneſcunt, & rurſum poſt mortem efloreſcunt, aut quæ paucæ, & ſparſim apparebant, copioſè erumpunt, & continuo livore tota ferè crura pinguntur.

Urinæ quoq; non parvam ad demonſtrandum Scorbutum vim habent, & quandoque ſolæ ad patefaciendum eum ſufficiunt. Sunt autem eæ non unius generis, ſed pro ægri corporis conſtitutione, & humorum natura variâ variæ. In initio quidem, & cum humorum corruptio nondum magna eſt, urinæ nunc tenues, & citrinæ, materia tartarea in viis ſubſiſtente, nunc craſſæ, & albæ conſpiciuntur, ex quibus, utpote cum aliis morbis, in quibus cruditas humorum adeſt, communibus certi nihil prædici poteſt. Si vero corruptione humorum incrementum ſumente, urinæ ſint quidem claræ, verum rubræ, & intenſæ rubedinis, & ad fuſcum declinantis, & cum ſplendore quodam inſtar lixivii claræ appareant, ſimiles iis, quæ in febribus ardentibus, vel quartanis â ſudore redduntur, non leve ſcorbuti argumentum ſunt: Et ſæpè in talibus urinis multæ rubræ arenulæ parietibus matulæ adhærent: cum quibus ſi nulla, aut nullius momenti ſitis, putre- 11. *Vrina ſcorbuticorũ.*

factionis, quas urina exhibet, notis non reſpondens adfuerit, certiſſimũ ſcorbuti ſunt judicium & ab humoribus ſalſis multis admiſtis originem habent; maximè vero ſi obambulantibus, & omnia vitæ munia ſine offenſione adminiſtrantibus tales reddantur. Ut enim lixivii colorem eo magis ad quandam rubedinem vergere videmus, quò plures ſalſæ, & aduſtæ partes ei inſunt: ita etiam quò plus ſalſi, & aduſti humoris urinis admiſcetur, eò colorem rubicundiorem acquirunt.

Nonnunquam verò, & frequenter apparent craſſæ, rubræ, & vel turbidæ minguntur, vel ſtatim turbantur, quæ aut tales permanent, aut craſſum, & rubrum ſedimentum, quod farinam laterum refert, ad fundum deponunt, & clareſcunt; ſæpe etiam multa cruda, & pituitoſa excrementa ſupra iſtud ſedimentum quaſi ſuſpenſa hærent, eidem tamen non permiſcentur, atque ita totam urinæ partem ſuperiorem turbidam reddunt. Et cum hæ urinæ calore aquæ, vel ignis iterum claræ redduntur: color tamen ex fuſco rubeſcens eſt, atque inſtar lixivii ſeſe habent hæ urinæ. Atque iſtæ urinæ certum ſcorbuti ſignum ſunt, ſi ſitis, & oris ſiccitas adſit modica, aut nulla, & quæ modica liquidi aſſumtione ſedetur, febris non adſit, aut nullum typum obſervet, adſit totius corporis languor, & æger paulatim ſine evidenti cauſſa contabeſcat. Et ut Eugalenus ſcribit, in quorum urinis majora putrefactionis indicia adſunt, quàm quæ foris ex calore, & ſiti apparent, morbo lento exiſtente, & ad nullum veteribus cognitæ febris typum accedente, de his certò tecum ſtatuere potes, ac debes, à ſcorbuto tales detineri. Cauſſamque huius rei hanc reddit; quod humor Melancholicus huius mali cauſſa, putrefactus, & accenſus ſuæ quidem putrefactionis notas in urina exhibeat, ſæpe febribus ardentibus, partes aut non multò diſſimiles; ſed quia craſſus, frigidus, ac terreus ſit, neque facilè accendatur, neque accenſus, ut cæteri humores, urat; deinde etſi labiorum, oriſque ſiccitatem inducere poſſit, non tamen idem ſemper bibendi deſiderium afferat, neque talem inquietudinẽ, ac moleſtiam excitet, ac febris continua, & ardens, utpote qui fumoſis ſuis vaporibus magis, quam igneo calore, cor ferit. Aliquando craſſa, & alba eſt urina, quæ ſtatim conturbatur; & licet ſæpe plura corpora rotunda & alba, arenarum inſtar, vel fractæ polentæ ſimilia ſubſideant, quæ à fundo matulæ non niſi fortiore matulæ motu elevantur: tamen clarior urina non fit, ſed turbida permanet ſubſtantia ſua craſſa matulæ parietibus ſæpè adhærens, Eugalenus *pag.* 34. & nec à catharticis, nec attenuantibus clareſcit, & attenuatur, ſed magis conturbatur. Eorum, qui intemperantius

perantius vixerunt, & craſſiore victu uſi ſunt, ac cutis anguntur, urinæ, ut Eugalenus docet, ſunt craſſæ, nigræ, turbidæ, quæ vel tales permanent, vel turbidum, ac nigrum ſedimentum in fundum deponunt. Cum his urinis plerumque ſitis gravior, & oris, ac labiorum ſiccitas moleſta conjungitur; quæ tamen modica liquidi aſſumtione facilè ſedatur, ſed non ita multò poſt recurrit.

Maloque hic aſſentiri Eugaleno, qui iis in locis, ubi familiariſſimus eſt Scorbutus, Medicinam fecit, præſertim cum experientia idem me edoceat, quam Hieronymo Reuſnero, qui iis in locis vivit, ubi ſcorbutus non adeo familiaris, neganti, urinam in ſcorbuto eſſe turbidam, rubicundam, craſſam, feculentam, ad modum vini rubri recentis, aut qualis fervente quartana, potiſſimum à ſudore, ſolet apparere, aut certè rarius hoc evenire concedenti, contrà vero affirmanti, ſæpius in ſcorbuto urinas tenues, aquoſas, ſubpiceas, ſubpallidas, ſine ſedimento, carnis ſemicrudæ juſculo, vel aquæ bilis mediocri infuſione dilutæ ſimiles mingi. Falſæ enim hypotheſi iſta omnia ſuperſtruit, nimirum ab aquoſa, & tenui humore tantum oriri ſcorbutum. Contrarium enim experientia docet, &, ut diximus, initio quidem tales urinæ minguntur: tamen vix aliquod certum ſignum Scorbuti exhibent. Et ipſe concedit, urinam ſcorbuticorum frequentiſſimè putere & fætere, quod certè urinis craſſis, & turbidis magis, quàm tenuibus, aquoſis, ſubſpiceis, ipſa experientia teſte, convenit.

Obſervatum quoq; eſt, præcipuè in iis quibus hæmorrhoides ſuppreſſę malo hoc originem dederunt, materiam tartaream, ut appellant, quãdoque cum urina, quæ cum ſummo dolore, & ardore, plerumque guttatim emittitur, copiosè evacuari, eamque turbidam mingi: quæ ubi ſubſidet, ſæpe tertia, vel quarta pars matulæ materia eiuſmodi tartarea, mucoſa, ſalſa, nonnunquam alba, nonnunquam nigricante repletur, quæ incautioribus vel calculi, vel exulceratæ veſicæ ſuſpicionem movet. Soletq; iſta materiæ evacuatio invadere cum horrore quodam quem calor p. n. ſub noctem præcipuè ſequitur. *Vrina ardor.*

Sæpiſſime variant urinæ, & in eodem ægro ſine cauſſa aliqua evidenti permutantur, & hodie turbidæ, ac craſſæ, poſtridie aqueæ, & tenues, hinc rurſum citrinæ, aureæ, rubeæ, vel craſſæ redduntur, ſæpe etiam ſanorum ſimiles ſunt; quod variorum humorum permiſtorum, & plurium affectionum, quæ nec eandem curationem, neque ſolutionem & finem habent indicium eſt: Solentque tales urinæ tenues ſumtis medicamentis antiſcorbuticis poſtridie in craſſas mutari, craſſo ſedimento ſubſidente.

Pulſus eſt varius, nunc debilis, & in- 12. *Pulſus.*

& inæqualis, ac ſæpè vermicularis, ut repere magis, quam pulſare videatur, ut Italum Medicum harum rerum ignatum miraturum ſcribat Eugalen. *obſerv.* 53. cum tali pulſu hominem non ſolum vivere, ſed & obambulare, & domi ſua officia obire poſſe; nunc magnus, & durus absque inflammatione. In pulſu etiam hoc notatu dignum in ſcorbuto accidit, quod in animi deliquio imminente, & ſummis illis anguſtiis pulſus major, ac fortior eſt, fortiusque ferit digitos, quàm reliquo morbi tempore, aut ubi deliquium ceſſat. Cum enim reliquo morbi tempore pulſus ſit parvus, & inæqualis, ubi deliquium animi, & illa anxitas ad præcordia infeſtat, quæ ſæpe tanta eſt, ut æger ſtatim exſpiraturus videatur, pulſus fortior eſt, & magis, quàm ante percipitur: proculdubio propter ſummam eius neceſſitatem, & quod Cor vapores pravos, quibus moleſtatur, expellere conatur. Eſt verò huius exemplum apud Eugalen. *obſerv.* 69. quale, & ſimile plane nuper etiam mihi in ægro quodam occurrit.

Dolores varii. Præter hæc ſymptomata adhuc alia multa, ut & morbi quidam Scorbuto coniungi ſolent, alia tamen in his, alia in illis; de quibus etiam dicendum. Et primo quidem actiones læſas quod attinet, varia dolorum genera Scorbuticos infeſtare ſolent: Inter quæ eſt ſatis frequens dolor
Crurum. crurum obtuſus, aliquando tenſivus, plerumque ὀστοκόπος, quo ſcilicet in profundo, & circa os afficiuntur ægri, qualis etiam in quartanis, & morbo Gallico deprehenditur, & præcipue ſub noctem affligit, ac adeo ingraveſcit aliquando, ut ne horam in lecto ægri quieſcere poſſint & crura ſibi quaſi malleo contundi, conquerantur. Excitatur autem, cum ſeroſi humores, vel etiam vapores à capite via declivi deſcendentes circa oſſium membranas hærent, vel etiam è ſede colluviei ſcorbuticæ per venæ cavæ ramos crurales extra venas effunduntur, & crurum muſculis, membranis, ac nervis ſeſe inſinuant. Suntque ideo hi dolores non continui, ſed per intervalla affligunt, præcipuè, uti dictum ſub noctem, quod eo tempore humor Melancholicus moveri ſoleat.

Alii de ſurarum dolore conque- *Surarum.*
runtur, præcipuè inter eundum, cuius exempla ſunt apud Eugalen. *obſerv.* 41. 50.

Non raro dolor excitatur circa *Circa talos*
talos, & iuncturas, & plantas pe- *& plantas*
dum, qui etiam ſcorbuti prodro- *pedum.*
mus eſt, eumq; ſequuntur maculæ, & gingivarum corruptio. Dolor mordicans eſt, & ob tenuitatem materiæ, quaſi penetrare videtur partes, es ſcheuſt / vnd ſticht drinnen. Poſt triduum ſequuntur maculæ,
quas vocant die Nachtgrieff / pro- *Nachtgrif*
pter veſtigia digitorum, quibus quaſi
prehenſæ videntur. Sileſii Allbflecke *Allbflecke.*
nominant, Augeſcente malo auge-

tur

tur cruciatus iſte intolerabilis, nec ceſſat, priusquam maculæ, quæ ſæpe dimidium femur occupant, maxima autem ex parte amplitudinem unius manus æquant, prorumpunt.

Dolores manuum.

Quoſdam dolor vexat circa manuum, & digitorum extrema, qui ſub noctem, ut & crurum dolor ſolet, gravior eſt: aliis poſt veſperam advenit, alios poſt mediam noctem affligit, ſpeciem morbi Gallici præ ſe ferens. Eugalen. *p.* 18. Detegit tamen hunc pulſus parvus, & inæqualis, de quo Eugalen. *obſerv.* 41.

Coxendicis Genuum.

Quidam continuis, & gravibus coxendicis doloribus infeſtantur. Eugalen. *p.* 141. *obſerv.* 13, 14, 15. Nonnullis genua dolent. Eugalen. *obſ.* 41.

Nucha.

Quidam etiam Eugaleno *pag.* 82. teſte graviſſimis nuchæ doloribus, iisque tenſivis, & prementibus afficiuntur.

Vagi.

Nonnulli variarum corporis partium vellicationem, & lancinationem percipiunt, & carnes ſibi quaſi divelli, & dilacerari conqueruntur; alii tales dolores ſe percipere dicunt, ac ſi digitis carnes evellerentur, alii de pungentibus, alii de exedentibus doloribus conqueruntur, alii ne quidem eos explicare poſſunt. Qui tamen omnes accidunt, cum membranæ partium à ſeroſis humoribus, & acribus vaporibus vellicantur. Idem dolores varias corporis partes, brachia, dorſum, genua interdum occupant; interdum vagi ſunt, & modò hanc, modò illam corporis partem affligunt. De quo Eugalen. *p.* 214. *obſ.* 45.

14. *Ventris dolor.*

Eſt & ventris dolor huic malo familiaris, ut etiam ab eo nomen acceperit, & Schörbuck / quaſi ventris ruptura, nominetur. Tanta verò in Scorbuticis ventris tormina, & lancinationes adſunt, ut divelli ſibi, & dilacerari omnia exclament ægri, & præ doloris vehementia, quò ſe vertant, neſciant, ut hac de re ſcribit Eugalen. *obſ.* 69. Imo ut quandoque diſtentionibus iſtis & cruciatibus in peritonæi rupturam incidant, ut idem Eugalen. *p.* 86. annotavit. Sed vexant hi dolores non continuo, ſed per intervalla quædam; eſtque pulſus plerumque parvus, & inæqualis, ac urina, qualem in ſcorbuticis eſſe ſuprà diximus, atque aliæ notæ ſcorbuti adſunt.

Carol. Piſonis obſervationes ad ſcorbutum referendæ.

Atque cum hiſce doloribus Scorbuticis cum planè convenire videantur ea, quæ Carolus Piſo *in lib. de morb. à colluvie ſeroſa ortis* habet, de doloribus ventris inferioris, ac de rebus utilibus cogitandi & diſſerendi anſam præbeant: ea nullo modo ſicco pede hîc prætereunda videntur. Nam cruciatus illi abdominis, quibus, *obſ.* 74. 75. *& ſeq.* Monachos quoſdam torqueri vidit, planè cum iis ut ſuprà dictum, quæ Eugalenus paſſim de ſcorbuto tradidit, conveniunt, & evincunt, Septentrionalibꝰ quibuſdam locis, Scorbutum eſſe familiariſſimum; alibi tamen etiam, ubicunque eadem ſcilicet cauſſa da-

tur, generari poſſe. Refert enim dolores illos cum tali alvi ſtupore, conjunctos fuiſſe, ut nihil prorſus emitterent infernè, atq; cum crebris vomitibus, ructibusque, & id genus aliis ſymptomatibus, & præterea cum febre, eaque mediocri quidem ſed pertinaci coniunctos fuiſſe: Alios autem hiſce ventris doloribus jam liberatos fuiſſe, ſed quoſdam ex iis inveterata paralyſi emortua penè brachia quaſi inutile pondus traxiſſe; quoſdam Epilepſiæ inſultibus ex intervallo vehementer concuſſos; nonnullos lethargo, & inevitabili ſopore oppreſſos. Ægros autem illos fuiſſe fuſco corporis colore, ſqualido, ſtrigoſoque corporis habitu, ad calidam, ſiccam, & atrabilariam conſtitutionem declinante; uſos fuiſſe pleno victu, & in otio vixiſſe; ædesque ſilvis undique cinctas, & in loco uliginoſo ſitas inhabitaſſe. His addit, dolores hos plerumque febribus, modò tertianis modò quartanis, modò ſeptenarium circuitum habentibus, modo continuis ſucceſſiſſe, quales etiam Eugalenus deſcribit: hiſque Paralyſin ſæpius ſuperveniſſe; quibuſdam quoq; alvum longo tempore fluidam fuiſſe; urinas varias mutationes ſuſcepiſſe ex brevibus intervallis, & ex claris in turbidas, & ex turbidis in perſpicuas fuiſſe mutatas.

Doloris ventris ſcorbutici à Colico differentia.

Dolores autem hi etſi cognationem aliquam cum dolore Colico qui à flatibus inteſtina diſtendentibus ortum habent, obtinent: tamen multis ab eo differunt. Ille enim non ita pertinax eſt, & diuturnus, ſed ſoluta alvo, & flatibus exeuntibus brevi evaneſcere ſolet, doloresque illi ſitu inteſtini coli circumſcribuntur, venterque ſolet intumeſcere, & attolli: Hi verò dolores ſæpe ſatis diuturni ſunt, & quandoque ad 40. diem, & ultrà extenduntur, dolorque non ſolum Coli ductu circumſcribitur, ſed modò hæ, modò illæ abdominis partes, imo ſæpe univerſum abdomen dolore corripitur, venterquè non attollitur, ſed deprimitur potius, & cum umbilico introrſum, revellitur, ut umbilicus lumbis quaſi videatur eſſe annexus, venterque excavatus. Diſtenſio etiam potius ſecundum longitudinem, quàm latitudinem percipitur; inteſtinumque rectum revellitur ſurſum, ut non ſolum exitum fecibus intercludat, ſed & aditu glandes, acclyſteres prohibeat, ut non niſi vi intus adigi poſſit. Tandem dolores ventris à flatu, non in tam gravia ſymptomata & mala commutantur, ſicut dolor ventris ſcorbuticus.

De ortu doloris ventris ſcorbutici.

Qua ratione autem dolores hi generentur, conſideratione omnino dignum eſt. Nam ab inteſtinorũ non ſecundum latitudinem, ſed potius longitudinem diſtenſione fieri, ex iis, quæ iam diximus, patere videtur. Quomodo autem iſta convulſio, & contractio fiat, porrò inquirendum: Duobus autem modis eam fieri poſſe putamus.

Primus

Primus eſt, quem *in Inſt. lib. 2. part. 3. ſ. 2. c. 5.* propoſuimus, quando nimirum materia iſta acris, & corrupta per venas meſaraicas, quæ inter duas inteſtinorum tunicas feruntur, & ad inteſtinorum cavitates non hiant, movetur, & inter duas iſtas inteſtinorum tunicas effunditur, easque diſtendit, vellicat, & ſæpe etiam convulſionem & motum περιςαλτικὸν excitat, vel etiam in membranas effunditur, easque diſtendit: ubi cum exitum non inveniat, non mirum eſt, dolores hos eſſe diuturnos, & brevibus intervallis redire, tandemq; in venas regurgitantem materiam in aliàs partes effundi, & ſæpe Paralyſin excitare.

Alterum modum proponit Carolus Piſo, qui putat, materiam hanc non per venas meſaraicas effundi, ſed à capite deſcendere, hosq; dolores fieri non tàm ob divulſionem inteſtinorum propriam, ſed partis alicuius communis inteſtinis cum cæteris omnibus membranis in ventre inferiore contentis, peritonæi puta, quod in meſenterium propagatum, omnium omnino viſcerum, & partium in ventre inferiore contentarum eſt commune vinculum, imo communis membrana, quę eas inveſtit, involvitq; undiquaque, & deinde nervi ſextæ coniugationis è thorace egreſſi, omnibus omnino partibus inferioris ventris ſeſe communicantis, & ad omnes propagines mittentis. Contractis enim, & convulſis vel ramis ſexti paris vel peritonæo adnatas iis partes neceſſario convelli, contrahique cenſet.

Quod ut non negamus, & fieri poſſe concedimus: ita illud, quod ipſe etiam ultro fatetur, omnino addendum cenſemus, dolores huiusmodi ventris non ſolum à convulſione, & diſtractione peritonæi, vel ramis nervi ſextæ coniugationis fieri poſſe: ſed quaſcunq; partes in ventre inferiore membranoſas affectas in ſui conſenſum reliquas in abdomine partes trahere. Id quod in doloribus nephriticis apparet, in quibus & univerſum peritonæum, cæteræq; ei colligatæ partes in conſenſum trahuntur, & teſticulus affecto ureteri directè reſpondens ita retrahitur, ut in abdomen totus recondatur; & in ani affectibus, & doloribus veſica in conſenſum & contra trahitur. Itaq; materia iſta ſive ad inteſtina, ſive ad quaſcunq; membranas in ventre inferiore detrudatur, graves dolores excitat; ſicut & ſi ad membranam coſtas ſuccingentem effundatur, dolores acerbiſſimos, pleuritidem æmulantes, abſque earum tamen partium inflammatione, excitare ſolet, ut teſtatur Eugalenus, & ipſa experientia. Sicut vero dolores illos Pleuritidi ſimiles non ſolum quantitas, ſeu copia humorum, ſed potius acrimonia excitat: ita & humor, qui dolores hoſce in ventre inferiore parit, non pura puta aqua eſt, ſed ſalſus, & acris humor, ut antea docuimus.

Per quas vias humores hi ad ventrem ferantur.

Per quas autem vias humor hic ad hæc loca feratur, & quomodo dolor hic in Paralyſin degeneret, non ita planum eſt. Per venas id fieri *lib. 2. Inſtit. part. 3. ſ. 2. c. 5.* docuimus, atque puto rem ſatis manifeſtam eſſe, & frequentiſſimè id accidere. Sicut enim in membranam thoracis per venas, è quibus nutrimentum accipit, vitioſi humores effunduntur, & dolores ibi ſæviſſimos excitant: ita & in ventre inferiore hoc poteſt fieri. Carolus Piſo à capite, tanquam ſeri receptaculo humorem hunc in inferiora deſcendere ſtatuit, docetque ſerum, quod vi caloris febrilis, aut vitalis, ſed ab externo, ſive ambiente per mutationem conſtitutionis ejus commoti ebulliens ſub ſudoris, vel urinæ forma confeſtim erupturũ erat, in caput elevatum per vaſa ſoporaria ex eorum finibus extremis exſudare, & effervefcere, & partim quidem extrorſum, partim introrſum ferri: ac extrorſum quidem circa membranas, aut inter eas effuſum, irruere, ac impetere vel principium nervorum ſpinalis medullæ, vel principium ſexti, ſeptimive parium, atque alterutrum implere, ac diſtendere copia, & fervore, & ſecum tum nervos appendices, tùm verò pariter membranas adnatas; aut fervore depoſito deſcendens, & & decurrens ſiſti in lumbis, atque nervos inferioris ventris, & maximè originem meſenterii, & peritonæi opplere, corrugare, & ſecum revellere, & diſtrahere, quæ finibus adnaſcuntur membra, id eſt, in quibus terminantur, & implantantur, inteſtina ſcilicet, & reliqua in alvo contenta, eaque violenta contractione dolorem in iis excitari.

Verum enim verò ut hæc pleraq; ita fieri quandoque non negamus, & præcipuè dolores illos vagos, qui in brachiis, lumbis, & aliis externis partibus percipiuntur, ex ſero à capite, nocturno præſertim tempore, deſcendente originem habere concedimus: ita hoſce dolores in ventre inferiore ſemper hoc modo excitari neceſſarium non putamus. Nam cum hi dolores præcipuè febribus ſuperveniant, ut ipſe teſtatur Carolus Piſo, quarum focus in viſcerum, partiumque vicinarum vaſis hæret: certè ex iis vaſis longe propior via eſt ad inteſtina, & membranas vicinas. Præterea cum dolores hos non præcedant affectus capitis, Epilepſia, Lethargus, Paralyſis, ſed ſequantur eos: credibile eſt, non ex capite materiam ad ventrem inferiorem deſcendere, ſed potius, ſi in ventre inferiore exitum non inveniat, ad ſuperiora regurgitare.

Multo minus credibile videtur, quod idem Piſo ſtatuit, ſerum adhuc nervorum principium obſidens per eorum corrugationem longe diſſitas, ſed tamen adnatas partes convellere. Quomodo enim probabile ſit, extremos nervos convelli, ut medii non convellantur? Sed probabilius

lius mihi videtur,ſecundum ductum nervorum illam materiam in capite collectam deſcendere, & vel eos madefaciendo, emolliendo, aut ſtupefaciendo Paralyſin, vel vellicando dolorem, & convulſionem excitare. Neque obſtat, aut Carol. Piſonis opinionem ſatis confirmat, quod & capitis affecti ſigna cum dolore ventris in viventibus animadvertuntur, & in cadaveribus ſero caput ac principium nervorum obſeſſum depreheníum eſt. Etenim idem ſerum in corpore abundans diverſa loca corporis occupare poteſt. Neque ſequitur, ſi ſeri in capite abundantis adſint indicia, vel in cadavere id reperiatur, quod etiam dolor colicus, qui cum capitis & nervoſi generis ſymptomatibus conjunctus fuerat, ab illo ipſo ſero provenerit. Sed facile ſerum in ventre inferiore ſimul abundans ibi quoq; dolores excitare poteſt. Præterea ſerum eſt mobile, & nunc verſus inferiora, nunc verſus ſuperiora facile movetur. Quid enim prohibet, ut eiuſdem Carol. Piſonis verbis utar, ſeri in vaſis ebullientis unam partem quidem rapi in caput, & ibi dolores vel alia ſymptomata excitare, reliquam ad renes vel etiam ad inteſtina, & ibi vias, per quas labitur, diſtendendo, & membranas vicinas in conſenſum trahendo dolorem excitare?

Dolor hypochondriorum. Quandoque & hypochondriorum nunc unum, nunc alterum dolore obſcuro afficitur à deliteſcentibus intus flatibus, & exitum non habentibus; qui dolor non uno loco circumſcriptus hæret, ſed modo in lumbos, & inferiora corporis, modo per univerſum corpus oberrat.

16. Lumborũ. Excitatur & in lumbis ſæpe dolor à ſanguine vitioſo in venis eo loci contento. Ut enim ex nimia ſanguinis abundantia, vel humoribus pravis in vena magna lumbari contentis ante variolarum & morbillorum exortum, in fæminis in ſuppreſſione menſium, & ante menſium fluxum, in viris in hæmorrhoidum ſuppreſſione, dolores in lumbis excitari ſolent: ita & in hoc malo ſanguine vitioſo in eadem vena hærente dolores in lumbis excitantur, & homines quaſi elumbes redduntur. Quod malum, quia eo affecti vix progredi, & ſe de loco movere poſſunt, Græcis λόρδωσις, Latinis Lumbago appellatur. *Lumbago.* Poteſt tamen & originem habere hoc malum per modum catarrhi à capite per venas in ſpinalem medullam deſcendentis, & proinde ſæpe à ſcapulis incipit, & ſenſim ad lumbos ſerpit, & interdum etiam ad os coxendicis deſcendit. Dolorque hic æſtate, ut quartana, eſt brevior; Autumno longior, & præcipue ſi usque ad hyemem extendatur. Et ſi humor acrior ſit, qui à capite defluit, non ſolum in ſpinam, verum etiam in acetabula oſſis coxendicis, tabem dorſalem, & graviſſimos dolores, qui nullam requiei tempus concedunt, excitat, ægerque macreſcit, &

contabeſcit, longaque morte enecatur.

Dolores Nephritici Dolores quoq; Nephriticis ſimiles, Scorbuticos quandoq; infeſtant, dum materia Scorbutica, circa lienem & vicina loca hærens, per arterias emulgentes confertim ad renes & vias urinæ tendit; aut dum ſerum ſcorbuticum in corpore quacunque de cauſſa congeſtum, accedente inprimis cauſſa aliqua externa, ut aquilonis flatu, ad majora vaſa, & hinc ἀθρόως ad renes confluit, & quicquid ibi vel in viis, ſabuloſæ, arenoſæ & tartareæ vel etiam calculoſæ materiæ reperit, ſecum ad eaſdem vias rapit. Quæ materia tum in tranſitu vaſa & meatus urinæ evacuandæ deſtinatos diſtendit & vellicat, dolores è regione pubis, circa os ſacrum lumbos, vel etiam umbilicum ſentiuntur, partibus hiſce ob communem è peritonæo membranam in conſenſum tractis. Et tum plerumque urinæ impenſe rubræ aut potius atræ eminguntur, quæque, niſi diligenter conſiderentur, pro cruentis habentur, & e renibus à calculo præſente læſis provenire creduntur: cum tamen tales urinæ turbidæ & ex rubro nigricantes, ac multam tartaream materiam ſecum vehentes, reddi poſſint calculo non præſente & ſine renum vulnere vel ulcere. Quanquam hoc negandum non ſit, ſi materia talis ſæpius ad renes confluat ibiq; eius aliquid ſubſiſtat, tandem calculum inde generari poſſe.

Dolor Capitis. Nonnullos etiam, atque eos præcipuè, qui ex hæmorrhoidum ſuppreſſione hoc malum contraxerunt, circa veſperam dolor, & calor in capite infeſtat, ex vaporibus illis ad caput adſcendentibus, & tota poſtea nocte calor quidam p. n., inſtar febrilis, in toto corpore percipitur, qui ſudationibus matutinis evaneſcit.

Dentium. Dentium prӕterea dolor frequens, & præter rationem recurrens, nonnunquam & continuus, hoc malum ſæpe comitatur, & non rarò Scorbuti præludium eſt, qui non eodem loco perſiſtit, ſed vagus eſt, interdũ dentem nunc hunc, nunc illum relaxat, qui rurſus ſponte firmatur, dolore, & tumore diſcuſſis, ut obſervavit Eugalenus, *obſ.* 40.

Pleuritis. Affligit & Scorbuticos interdum Pleuritis quædam falſa, à vera Pleuritide non parum differens. Etſi enim dolor non minus gravis ſit, quàm in vera Pleuritide, ut æger, quò ſe vertat, neſciat, & ne momentum in loco eodem quieſcere poſſit: tamen dolores hi ſunt ſine omni inflammatione, ortumque habent ſaltem à vapore acri, vel ſeroſo humore ad membranas externas effuſo. Ideoque ægri neque tuſſiunt, neque quid exſpuunt: niſi quid à capite deſtillet; dolor quoque non eſt continuus, ſed per intervalla recurrit: pulſus non, ut in vera pleuritide, durus, ſed parvus, mollis, & inæqualis eſt; urinæ ſcorbuticorum propriӕ;

febris

febris etiam, ſi coniungatur, non acuta eſt, ut in vera Pleuritide, ſed lenta; cum in vera Pleuritide ſit magna, & acuta. Reſpiratio inſuper non admodum læditur.

Arthritis. Eodem modo & Arthritis Scorbutum ſæpe comitatur; quæ tamen & ipſa non in uno loco ad morbi ſolutionem ſubſiſtit, ſed vaga eſt, & ſubinde in alium, atque alium eiuſdem, vel etiam oppoſiti lateris locū tranſit, præcipuè ſi topica frigida, vel repellentia adhibeantur; ita quidem, ut qui jam integrè ſanitati reſtitutus, & dolore omni liber videbatur, præter ſpem & improviſo iterum dolore, cum & ſine tumore, corripiatur: cum Arthritis ab antiquis deſcripta locum non mutet, ſed ad ſolutionem uſque membrū, quod primo apprehendit, obſideat. Eſt etiam huic Arthritidi hoc peculiare, quod plerumque cum levi Paralyſi coniuncta eſt, ob quam membrum affectū loco movere non poſſunt, quæ cum dolore ceſſat, & cum dolore redit, & in eandem partem, in quam dolor, migrat. Adſunt præterea alia ſigna, & ſymptomata ſcorbuto propria. Ortum autem habet ab humoribus ſeroſis, tenuibus, & acribus ad motum promtis, & ad locum mutandū aptis. Exempla ſunt apud Eugalen. *obſerv.* 10. 11. 12.

Multa etiam ſymptomata in capite & nervoſo genere accidunt, dū materia ſeroſa ebulliens in caput ruit, aut vapores ex materia prava agitata in caput aſcendunt, vel nervos & nervoſum genus quocunque modo occupāt. Hinc enim paralyſis, tremor, convulſiones & convulſivi motus, apoplexia, ſopor profundus, deliria accidunt. Et præcipuè hoc evenit in principio paroxyſmorum in febribus, cum à calore febrili ſerū effervеſcit, & vapores multi è materia agitata in totum corpus diſtribuuntur, præcipuè vero in caput elevantur: atque hinc etiam ceſſante febre ſymptomata iſta vel mitigantur vel terminantur.

Primò ſæpe crura ad motum impotentia, inepta, ac reſoluta redduntur, imò nonnunquam alterutrum latus totum reſolvi, & ſubitò quaſi Paralyſi affici videtur. Sanguis enim ille ichoroſus & vitioſus cum & naturaliter deorſum vergat, & à natura ad extrema ac ignobiles corporis partes amandetur; ac præterea ligamenta & tendines ac oſſa naturali quadam inclinatione craſſiorem ſanguinem ad ſe trahant; accidit, ut ligamenta, tendines, & muſculorū ſubſtantia tali ichoroſo ſanguine imbuantur, atque inde crura debilia & ad ambulandum imbecillia reddantur, ac malo procedente & ingraveſcente tandem reſolvantur, & ad motum impotentia fiant; quod malum σκελοτύρβη dicitur; quæ ſpecies quædam παραλύσεως eſt, aut ut Langius, *lib.* 1. *epiſt* 42. nominat crurum enervatio. Differt tamen non parum hæc reſolutio à Paralyſi vera ab antiquis 12. *Stupor & Paralyſis.*

antiquis deſcripta. Nam primo etſi, ut Eugalenus hac de re ſcribit, ut in veterum Paralyſi, pedes transferendi, figendique robur, ac firmitas pereat: in pleriſque tamen decumbentibus aliquis motus remanet, quo reſoluta membra movere, & ad muſculorum capita leviter ea attrahere conſpiciuntur; id quod in Paralyſi antiquorum differt, quod ea permanens, ac continuus affectus eſt, neque intervallum habet: in Paralyſi vero ſcorbutica ſæpe accidit, ut qui pridie pedem vix loco movere poterat, cruribus inſiſtat, & levi adminiculo nixus ambulet, paulo poſt vero omni motu iterum privetur. Sicut & eo à reliqua Paralyſi differt, quod illa fere ſubito invadit; hæc paulatim vero prius tentat, antequam ſedem figit, & nunc partem apprehendit, nunc remittit. Sicut & nonnunquam & momentaneus ſtupor, ac levis poſt ſomnum reſolutio, hanc Paralyſin antecedere ſolet. Atque in eo quidem cum antiquorum Paralyſi convenit, quod ſtuporem imminentis mali quaſi initium habet; in eo vero differt, quod ſtupor hic non ita fixus, & diuturnus eſt, ſicut ille, qui Paralyſin à veteribus deſcriptam antecedit, ſed momentaneus, nunc remittens, nunc ſubito apprehendens. Accidit huic Paralyſi quandoq; etiam Arthritis, & dolor qui omnis ab antiquorum Paralyſi abeſſe ſolet. Tandem etiam longe facilius, adhibitis idoneis medicamentis, & ſæpe intra paucos dies hæc reſolutio crurum curatur; cum antiquorum Paralyſis pertinaciſſimus morbus ſit.

Solet autem Colica quandoque, & dolores ventris graviſſimi hoc malum præcedere, qui ubi deſinunt, Paralyſis iſta ſuccedit, de quo Eugalen. *p.* 114 *num.* 25. Quas ob cauſſas omnes affectionem hanc non tàm Paralyſin, quàm paralyticam paſſionem nominandam cenſet Eugalen. *pag.* 98, *Paralyſis ex Colica ſcorbutica.*

Cauſſa autem hujus rei eſt, quod in antiquorum Paralyſi cauſſa mali in ipſis nervis fixius hæret, & pertinacior eſt; hæc autem à vapore potius, qui ab humoribus corruptis attollitur, aut certe ab humore tenui, ac ichoroſo ortum habet. Atq; hæc Paralyſis, ut diximus, non uni tantum membro quandoque accidit, ſed ſæpe alterutrum latus totum reſolvitur. Ubi tamen ante perfectam ejus invaſionem aliud, atque aliud membrum prius tremor, & ſtupor tentat, ſed is non conſtans, verum qui ægrum ſubito apprehendit, & ſubito remittit: & poſt apprehenſionem, ac ubi æger jam decumbit, aliæ partes ſponte convaleſcunt, aliæ reſolutæ manent, & indies magis reſolvuntur, vel etiam ad convulſionem diſponuntur, & partes quædam, in quarum nervos vaporoſa, vel ichoroſa materia decubuit, iis cõtractis, convelluntur. Quæ omnia magis confirmat antegreſſa victus ratio,

ratio, & urina, ac pulſus Scorbuto propria. Quandoque & totum nervoſum genus ita debilitatur, & ſi curatio vel negligitur, vel non rectè inſtituitur, adeo ad omnem motum impotentes ægri redduntur, ut nec manus admovere ori poſſint, ſed ab aliis cibum ingeſtum ſumere neceſſe habeant, & toto vitæ tempore domi claudi deſideant.

Paralyſin hanc antecedere quandoque ſolent, ut poſtea etiam dicetur, tumores quavis parte erumpentes, qui eadem facilitate, qua oriuntur, evaneſcunt, & cum ortus ſui principio parti affectæ levem & momentaneam Paralyſin inferunt, ut teſtatur Eugalen. *pag.* 109.

Qua ratione autem paralyſis ſcorbutica excitetur, & præcipuè quomodo dolor ventris ſcorbuticus in paralyſin mutetur, variè ab autoribus diſputatur. Hoc quidem verum eſt, & facilè concedimus, paralyſin in Scorbuto à materia ad cerebrum, atq; inde ad nervoſum genus tranſmiſſa, ut & tremores, convulſiones ac convulſivos motus, excitari poſſe. Verùm ſi de paralyſi, quæ dolores illos ventris in ſcorbuto ſequi ſolet, quæratur, non neceſſarium eſſe ſemper, ut materia primùm ex inteſtinis ad cerebrum, & hinc in nervos feratur, ſed propriores vias eſſe putamus, ut *in Inſtit. lib.* 2. *part.* 3. *ſ.* 2. *c.* 5. *& n.* 14. dictum. Hoc ſaltem his addimus, aliam adhuc viam, per quam materia iſta ad ſpinalem medullam deferri, & Paralyſin efficere poſſit, monſtrare recentiores Anatomicos, nimirum ramum quendam, qui ab arteria aorta, non longè à ramo meſenterico porrigatur, & ſerpat in ſpinam, ejusque vertebras. Ab inteſtinis enim per arteriam meſentericam in arteriam aortam, tandemque per ramum hunc in ſpinalem medullam materia transferri, Paralyſinque efficere poteſt.

Neque ab iſta ſententia nos illud dimovet, quod cerebrum motus omnis animalis eſt principium, quodque ſi per venas vel arterias materia transportetur, in totum corporis habitum æquabiliter, non tantum ad artuum muſculos diffundi deberet; quodque humores iſti nervis communicari nō poſſe videntur. Etenim ſolum cerebrum ad motum non ſufficit, ſed nervi & muſculi etiam requiruntur. Deinde etſi materia iſta ſæpe ad varias partes pellitur: tamen à natura ad ignobiliores ſolet depelli; & peculiariter nervoſo generi eam infeſtam eſſe, antea diximus. Sicut & hoc dictum, quod paralyſis iſta non eſt tam contumax, ut vera paralyſis, & proinde ut ipſis nervis inhæreat opus non eſt, ſed ſufficit, ſi tali ichore ſcorbutico ligamenta, tendines & muſculorum ſubſtantia imbuatur, & partes nervoſæ ad motum ineptæ reddantur. Videatur Eugal. *obſer.* 17. 22. 23. 24. 25. 26. 28. 29. 30. 42. 50.

Tremorem etiam paralyſin quandoque antecedere modò dictum, & 23. *Tremor.*

aliàs quoque quàm plurimis ſcorbuto laborantibus familiarem eſſe ſcribit Eugalenus *p*. 219.

24. *Convulſio, Convulſivi motus, Epilepſia.* Convulſiones præterea ſæpe totius corporis, aut potius convulſivi motus, & Epilepſia huic malo accidunt, vaporoſa aut ſeroſa materia, quæ ab humore maligno, ac peculiari modo, & ſpecificè corrupto attollitur, ad caput elevata; quę diſcuſſa ſæpe quaſdam inducias concedit, paulò poſt tamen iterum collecta & in caput elivata idem malum excitat. Et hi convulſivi motus plerumq; cum febre conjuncti ſunt, & eadem facilitate, qua prehendunt, remittunt, iterumque recurrunt. Et ſolent iſtas convulſiones præcedere vel totius corporis concuſſio, vel tremor, vel Paralyſis, vel brachia & manus obrigeſcunt quaſi: ſed brevi tempore, & ſæpe præter omnem rationem ſubitò in alium morbum, cataphoram, paralyſin, modo evaneſcentem, modo præter expectationem redeuntem tranſeunt. Quæ ſigna, inprimis vero urinæ turbidæ, & craſſæ huic malo propriæ, hanc convulſionem à convulſione ab antiquis deſcripta diſcernunt. Eugalen. *obſerv.* 50. 54. 63. 69.

Nonnunquam tamen particulares convulſiones excitantur, vaporè iſtò pravo peculiarem aliquem muſculum, vel nervum occupante, eumque vel acrimonia, vel peculiari proprietate vellicante. Particulares autem iſtæ convulſiones nonnunquam abſq; febre ſunt, nonnunquam cum febris indiciis, & nonnunquam poſt graviſſimos dolores. Accidit interdum & triſtis membrorum omnium jactatio, & concuſſio, cum levi reſolutione conjuncta. Pulſus in hac aliquando eſt magnus, quandoque durus, & rurſum paulo poſt mollis, ſemper vero in uno, ac pluribus pulſibus inæqualis, urinæ inconſtantes, uti obſervavit Eugalenus, *obſerv.* 58.

Quandoq; membrorum ad movendum impotentia ita, & quidem paulatim incrementa ſumit, ut crura planè rigida evadant, tendinibus ad crus movendum deſtinatis rigidis planè, & duris in poplite evadentibus; quandoque malum ita invaleſcit, ut ægri nullum amplius membrum, vel articulum habeant, quem extendere poſſint, & quaſi in orbem, vel globum contrahantur; quo morbo nautas ex longis, & moleſtis peregrinationibus redeuntes affectos, & contractos (hoc enim nomine potius tùm, quam convulſi appellari ſolent) vidit Eugalenus, atque iſtud ſæpe ſatis diuturnum fuiſſe teſtatur. Idem etiam tali ad poplitem retractionem obſervavit, *pag.* 94. *obſ.* 13. 16. Non credibile vero eſt illud à vapore ſolum, vel totum nervoſi generis principium, vel partialem aliquem nervum, occupante, ſed potius a rigiditate tendinum provenire. Cum enim, ut ſuprà diximus tartareus ille, ſed ſero dilutus humor etiam nervos, & tendines occupare ſoleat, 25. *Contractio membrorũ.*

ſoleat, ſi aqueus ille humor abſumatur, & diſcutiatur, ac craſſas partes deſerat, eæ ibi relictæ exſiccantur; unde tendines indurantur, & rigidi redduntur; quod præcipuè in cruribus,& tendinibus crus contrahentibus in Scorbuto laborantibus vel tactu deprehendi poteſt.

Genarum rigiditas. His reſolutionibus, convulſionibus,& contractionib⁹ accedit quandoque ſymptoma, rarius quidem, ſed quod obſervavit ſemel, atque iterum D. Salomon Albertus,& deſcripſit, *theſ.* 112. *de ſcorbut.*, quod ſcilicet nonnullis cardo oris, in quo gena inferior ſub via audiendi vertitur, non aliter, atque compago genuum obrigeſcit, iiſdemque os ſtrictius connivet, quo minus in rectum queat diſpandi; ſqualido, terrenoque humore in juncturam illam,& hujus vincula, quibus maxilla inferior aurium radicibus affirmata eſt, quæque motum liberum, & expeditum cardinis modo maxillæ largitur, altius imbibito, atque infarcto. Idque non ſine ſenſu doloris fieri docet, quem ipſa πώσις in articulo & nervaceis corporibus ipſum circumdantibus excitat, quiq; inter manducandum, & oſcitandum exacerbatur.

26. *Apoplexia.* Apoplexia quandoque etiam, materia ad caput, & Cerebrum adſcendente excitatur. Quam Apoplexiam etſi ſe nunquam vidiſſe ſcribat Eugalenus, *p.* 123. teſtatur tamen ab amicis obſervatam fuiſſe. Et ipſe memini, virum illum Nobilem, de quo infrà, *n.* 59. dicetur, cuius gangræna Scorbutica digitos pedum apprehenderat, Apoplexia iſta extinctum fuiſſe, quod eventurum prædixeram. Videantur etiam de his quæ *in Inſtit. lib.* 2. *part.* 3. *ſ.* 2. *c.* 5. habentur.

Cæcitatem ſubitaneam, cæteris ſenſibus integris, vapore proculdubio craſſo aut humore ſeroſo principium nervorũ opticorum occupante, in ſtudioſo quodam excitatam fuiſſe, ſuprà, *num.* 5. diximus. Neque enim credibile eſt, humorem aliquem craſſum iſtam obſtructionem parere potuiſſe. Aliàs tam facilè & cito cæcitas illa non remiſiſſet. 17. *Cæcitas ſubitanea.*

Sopor quoque profundus noñullos occupat, plerumque cum febre lenta continua, nonnunquam etiam intermittente, à vaporibus ad caput exhalentibus excitatus: ſed qui continuus non eſt, verum cum paroxyſmo advenit, eodemq; recedente & ipſe ceſſat. Alii contrà ob ſalſos, & acres vapores ad caput adſcendentes vigiliis infeſtantur, & ſi dormiunt, terrentur. 18. *Sopor profundus & vigiliæ.*

Ægri ſæpe ſunt triſtes, ob defectum Spirituum purorum, ac lucidorum, & abundantiam vaporum Melancholicorum, quibus Spiritus inquinantur. 19. *Triſtitia.*

Ex iiſdem vaporibus ad caput elevatis nõn rarò deliria excitantur, quę ut inopinatò invadũt, ita ſæpe facilè remittunt, quæ non à calidis vaporibus, ut in morbis acutis accidit, ortum habent, ſed à vaporibus Melancho- 20. *Deliria.*

H 2 lancho-

lancholicis, & malignis, ſpiritus turbantibus, ideoque non cum morbis acutis, ſed lentis coniunguntur: quibus ſignis ab aliis deliriis diſcernuntur, ut & urinis ſcorbuto propriis craſſis, rubris, abſque multa ſiti, pulſu item & victu, quo uſus eſt æger. Quale delirium & hîc aliquando vidi in ſcorbuto cum Paralyſi coniuncto, quod fæda crurum ſcabies, & ulcera præceſſerant: ut & in altero, qui venam in crure apertam ſanguinem copioſum fudiſſe, ſuprà *c.*1.*n.*6. dixi, cui & in dorſo maculæ efflorescebant, quique malum hoc ex fœtore cadaveris ſcorbuto extincti contraxerat.

31. *Memoria læſa.* Quod de deliriis dictum, idem de læſa memoria accipiendum. Læditur enim & illa quandoque in ſcorbuto, & iiſdem ſignis cognoſcitur.

32. *Cordis palpitatio.* Neque Cor ab hoc malo ſemper immune eſt. Primo enim palpitatio cordis per intervalla recurrens a vaporibus hiſce pravis, & malignis ad cor exhalantibus interdum excitatur; uti id in quadam fæmina obſervavit Eugalen. *obſervat.* 3. & ipſe aliquoties annotavi.

33. *Lipothymia.* Lipothymia deinde ſæpe hoc malum comitatur, qua nonnulli, teſte Eugaleno *pag.* 321. ſubito exſtincti fuerunt, vaporibus hiſce ad cor exhalantibus. Unde Lipothymiam pro certo ſigno habet Eugalenus, adeo, ut ſcribat, *p.* 321. Qui in parvo, quantũ ad ſenſum, morbo, ac febre, à qua decumbentes parum, aut nihil pati videntur, ſubitò, ac præter rationem animo linquuntur, aut ad animi deliquium proni ſunt, hos ſcorbuto laborare, certò tibi perſuadere debes. Solet autem Lipothymia hæc maximè ægros corripere, cum in lecto ſe erigunt, vel è lecto ſurgunt; motu proculdubio pravis illis & malignis vaporibus commotis. Eſtque illa interdum tanta, ut ægri ſubitò & inopinato exſtinguantur; cuius rei notabilia exempla habet Eugalenus, *obſerv.* 38.

Pluribus quoque accidit, ũt de obſtructione ventriculi ad os uſque inſtar pali totum oeſophagi meatum obſerante, & ſuffocationem minante, graviter conquerantur, uti refert Eugalen. *obſerv.* 11.41. Et id inprimis cibum ſumturis accidit, qui cum primum bolum deglutituri ſunt, in præſentiſſimo ſuffocationis periculo verſantur; uti id ipſe in duobus viris obſervavi, quorum alter hoc malo ita periculosè affligebatur, ut ſæpe affirmaret, ſe cibum ſumturum non minus metuere, quam eos, quibus Carnifex laqueo ad ſuffocandum paratus adſtat. Neque idem liberè, & abſq; ſuffocationis periculo cibum capere poterat, antequam dimidiũ cereviſiæ cantharum exhauſiſſet. Is plerumque ut ſuffocationis periculo ſeſe liberaret, januæ parte ſuperiore manibus prehenſa, pedibus pendulis totum corpus concutere neceſſe habebat. Quod proculdubio accidit, vaporibus adſtringentibus, 34. *Strangulationis metus.*

& ſtipti-

& ſtipticis adſcendentibus, & vel œſophagum diſtendentibus, & vicinam tracheam comprimentibus, vel tale quid inferentibus, quale pyra, & alii fructus auſteri ſolent. Vidi alium, cui loquendi potentia auferretur, nonnullis Apoplecticum quid eſſe exiſtimantibus; cum potius partium linguam moventium a vapore, vel ſeroſo humore contractio, & quaſi quædam convulſio eſſet; cum æger ipſe poſtea referret, ſe eo loci dolorem, & contractionem quandam ſenſiſſe.

35. *Appetitus dejectio.* Appetitus quidem etiam ſæpe in ſcorbuto dejici ſolet. Sed habet hoc cum aliis morbis commune, neque ipſe peculiare aliquod indicium exhibet. Non raro tamen etiam appetitus integer eſt: quod accidit pro diverſa humoris ex epate, liene ac vicinis partibus in ventriculum confluentis conditione.

Sitis. Sitis vero hoc peculiare habet, quod ſi nulla, aut nullius momenti, inſignis vero corruptionis notas urinæ exhibeant, præcipuè ſi ab obambulantibus, & omnia vitæ munia ſine offenſione adminiſtrantibus tales reddantur certiſſimum ſignum ſcorbuti ſit, ut hac de re Eugalenus p.33. ſcribit.

36. *Ructus.* Ructus perpetui quandoque hoc malum comitantur, ut Eugalenus, *obſerv.*2. docet. Et novi virum, qui hypochondriaca cum non levibus Scorbuti ſuſpicionibus laborabat, qui continua ſputatione, & ructibus ita moleſtabatur, ut ſæpe intra horam unam atque alteram vel centies ructaret.

37. *Vomitus & vomendi conatus.* Quandoq; cum hoc morbo coniungitur Vomitus, imò humores ſæpe, ut in cholera, ſuprà, & infra dejiciuntur, cum variis doloribus, & torminibus: quandoq; tamen nihil conatu illo dignum reiicitur, ſed potius eſt inanis vomendi conatus. Talis autem vomitus ab aliis vomitibus dignoſcitur, quod præter alia ſcorbuti ſigna, nulla ventriculi gravitas, dolor, intemperies, aut aliud quid eorum, quæ vomitum præcedere ſolent, anteceſſit; quodque æger etiam difficilis coctionis cibos & avide appetiverit, & facile concoxerit: ac vomitus interdum præter rationem, & ſpem remittit, rurſum tamen, atque ex improviſo recurrit: neque ventriculum roborantia medicamenta aliquid auxilii afferunt; cum vi adſtringendi materiam circa præcordia detineant, eamque altius imprimant. Et notat hoc etiam Eugalenus, *pag.* 22. *& ſeqq. num.* 5. ubi pluribus de hoc ſymptomate agit, quod à lacte, & lacticiniis aliàs in ſimili affectione læduntur ægri, ſæpe meliꝰ habeant ægri, quàm ab omnibus ventriculum corroborantibus medicamentis; proculdubio, quod à lacte acrimonia & pravitas humoris ventriculum vellicantis demulceatur, & mitigetur. Eugalenus. *obſ.* 33.35.39.43.44.45.46.49.

Eſt & ſcorbuticis familiaris co-

38. *Sputatio continua & ſalivatio.*

pioſa, & continua ſalivæ & ſputi rejectio; quod generatur tùm ex vaporibus, qui ex humoribus in locis ventriculo vicinis hærentibus ad os elevantur; tùm ex cibis maxima ſui parte in ventriculo corruptis, & in eandem ſubſtantiam mutatis, & ſecundum ductum membranæ œſophagũ inveſtientis in os evectis; unde etiam corpus ob alimenti defectũ paulatim extenuatur. Inprimis verò ſalivationis huius copioſæ cauſſa eſt, quod ſerum & aqua illa, quæ partibus craſſis vehiculum præbebat, è liene ad ventriculum effunditur, præcipuè quidem per vas breve, ſed & alia vicina vaſa. Unde & alii quidam melancholici ſcreatores & ſalivatores ſunt. Et hæc illa eſt pituita, quam nonnulli in melancholicis ponunt. Etſi enim fieri poſſit quandoque, ut in morbi progreſſu ac ventriculo jam valde debilitato, pituita aliqua generetur in ventriculo: tamen illud, quod à plurimis pro pituita habetur in melancholicis, eſt illa aquoſa humoris melancholici pars, quæ è liene in ventriculum effunditur. Annotavit tales Sputationis copioſæ hiſtorias Eugalenus 41. *pag.* 205. *obſerv.* 68. Idemque obſervavi in viro, cuius antea, *num.* 36. mentionem feci, qui inter edendum continuò, & copioſiſſimè exſpuebat, & frequentiſſimè ructabat.

Nonnunquam alvi fluor, & diar-
39. *Alvi fluxus.* rhœa quædam in ſcorbuto infeſtat, qua feces nunc quidem compactæ, ſed copia ingeſtum cibum excedentes, coloris variis nunc herbacei, nunc cinerii excernuntur; nunc liquidæ confertim, & magna copia eiiciuntur. Differt hic fluxus à Lienteria, quod in Lienteria cibus crudus, & inconcoctus deiicitur; à diarrhæa verò vulgari. quod in ea deiiciuntur humores liquidi copioſi, & varii coloris, hic verò vel feces compactæ ſunt, ſed copia cibum ingeſtũ excedunt, coloris nunc herbacei, nunc crineritii, aut ſi ſint liquidæ, maiori quantitate, & magis confertim, quàm in diarrhœa fluunt, & nocturno ac diuturno pariter tempore durant; cum in diarrhœa deiectiones interdiu magis fieri ſoleant, ſicut in viſcerum obſtructionibus veſperi, & noctu.

Fluxus autem huius cauſſa plerumque eſt debilitas Epatis, & venarum, quæ alimentum, uti debent, non attrahunt, quod in primis viis relictum corrumpitur, & cum aliis humoribus miſcetur, atque ita per alvum excernitur. Deinde ipſe etiam lien ſæpiſſimè cauſſa eſt huius, ſeu ut *Ariſtotel.* 3. *de part. animal. cap.* 7. loquitur (ſicut hunc locum corrigit Cl. D. Hofmannus, *de uſu lienis cap.* 14.) διὰ τὴν ἐνταῦθα παλίῤῥοιαν τῆς ὑγρότητος, πολλοῖς καὶ κοιλίαι ὑγραὶ γίνονται τοῖς σπληνιῶσιν, ὥσπερ σκληραὶ τοῖς λίαν οὐρητικοῖς, διὰ τὸ ἀντιπερισπᾶσθαι τὰς ὑγρότητας: id eſt, ob humoris, qui ab inteſtinis ad lienem

lienem ivit, ad inteſtina refluxum, quibuſdam alvus humida eſt. Cum enim lien plurimum aquæ attrahat, eandem ad alvum quandoque remittit, unde fit alvus fluidior. Quod docet etiam Hippocrat. 6. *aphoriſ.* 43.48. *&* 1. *de morbis, de leucophlegmatia loquens.*

Poteſt tamen etiam huc facere ſeroſi humoris copia, ſi accedat aliqua cauſſa externa eum commovens, qualis eſt conſtitutio aeris autumnalis. Frigus enim cum poros cutis denſet, facit, ut ſerum per eos, ſeu ſudoris ſeu halitus forma amplius evadere nequeat, & proinde ad inteſtina, quaſi corporis ſentinam, confluat. Imo frigus per corporis poros, qui adhuc à conſtitutione æſtiva & calore meridiano ac tepore lecti patent, altius ſeſe inſinuat, & è vaſis extremis ſerum, quod ſanguini exactè commiſtum non eſt, verſus maiora vaſa repellit. Quod dum per vias, quibus in ambitum corporis fluxit, refluit, & viſcera ac ramos meſeraicos & gaſtricos perfluit, quicquid ibi bilis & aliorum excrementorum invenit, abſtergit, ad inteſtina ſecum rapit; unde deiectiones aquoſæ & ex parte bilioſæ vel limoſæ fiunt.

Nec à vero abſonum, eoſdem alvi fluxus provenire poſſe a febre, dum ſcilicet á calore febrili ſeroſus humor effervеſcit, neque tamen per poros cutis clauſos exhalare vel exſudare poteſt, unde ad inteſtina confluit.

Quacunque autem de cauſſa, & quocunque modo generetur fluxus alvi in ſcorbuto, hoc peculiare habet, quod adſtringentia medicamenta planè noxia in eo ſunt, & ſummam anguſtiam, ſpirandi difficultatem, ac animi deliquii & ſuffocationis periculum inducunt; cum materiam vitioſam in venis detineant, & in viſcera magis impingant.

Sæpe quoque fluxus alvi ſanguinolenti accedunt, dyſenteriam æmulantes, qui accidunt, cum ſanguis craſſus, & feculentus in venis abundans per extremitates earum in inteſtina deſinentes in ea effunditur, & hinc per alvum nõ excrementis permixtus, ſed ab his ſeparatim, & ferè plerumque ſine omni dolore, ac torminibus excernitur: qua ratione à dyſenteria differt, & alia etiam ſcorbuti ſigna, anguſtiam, difficilem reſpirationem &c. coniuncta habet. 40. *Alvi fluxus ſanguinolentus.*

Cuius rei notabile exemplum ſuperiore año in ſtudioſo quodam hîc obſervavi, qui cum febre continua, & malignã æmulante laboraret, non tamen obſcura ſcorbuti ſigna haberet, & victus ratione Scorbuto generando apta uſus eſſet, urinas ſcorbuticas, pulſum parvum, ac debilem, ſummam anguſtiam, febrem lentam, & maligna longè diuturniorem, ſitim ferè nullam, etſi lingua fiſſuras etiam contrahe-ret, haberet: in morbi progreſſu copioſiſſima ſanguinis ſinceri per alvum

alvum deiectio ſecuta eſt; quæ proculdubio accidit, quod cum natura humorem vitioſum per alvum deiicere conaretur, orificiis venarum apertis ſimul ſanguis effluxit, ſicut ſæpe in hæmorrhagiis narium Criticis Natura vitioſos humores ſine ſanguine evacuare non poteſt. Poſt hunc ſanguinis fluxum indies quidem melius habere cæpit, ſed longè tardius, quam poſt Criſes, quæ in acutis, & malignis febribus contingunt, accidere ſolet. Tandem febre ceſſante ipſa Stomacace ſcorbutum apertiſſimè prodidit, quæ febrem hanc cum inſigni oris fœtore ſecuta eſt graviſſima; quæ tamen & ipſa tandem idoneis remediis adhibitis ceſſavit.

44. *Alvi adſtrictio.* Alvus contra in ſcorbuticis ſæpe adſtringitur, ut annotavit Eugalen. p.20. & Foreſt. *lib.*20.*obſ.*11. ut etiam in aliis melancholicis & hypochondriacis fieri ſolet, qui plerumq; ſunt alvi ſicciſſimæ, ut vix poſt tertium aut quartum diem ſemel deiiciant. Cuius rei cauſa eſt, quod aquea illa humiditas, quibus feces dilui debent, aliò, ad lienem ſcilicet & renes, transfertur: & melancholici illi ac ſcorbutici, quibus alvus ſiccior eſt, aut plurimum mingunt, aut plurimum ſudant, quod aliàs etiam fieri conſuevit, ut ex 4. aphor. 83. patet. Quandoque tamen alvi illam pertinacem, & quæ ſæpe nullis medicamentis cedit, adſtrictionem provenire putamus ab inteſtinorum revulſione, & retractione ſurſum facta, de qua ſuprà *num.*14. de dolore inteſtinorum diximus. Quod vel ex eo patet, quod nullum præſentius huius doloris, & alvi adſtrictæ eſt remedium, quam divulſionem, & retractionem membranoſi generis relaxare, & potenter humectare.

Sudor copioſus. Ut in quartanarum declinatione ſudores copioſiſſimi ſunt: ita & in ſcorbuto ſæpe ſudores copioſiſſimi ſunt, qui etiam media hyeme ſub leviſſimis tegumentis erũpunt. Aquoſus enim humor, quem lien copioſius attrahit, non ſolum per urinam, ſed & per ſudores ſæpiſſimè evacuantur: cùm ſit eadem ſudoris & urinæ materia. Et cum illæ anxietates plurimos graviter affligere ſoleant, non ceſſant, niſi vapores illi pravi per ſudores diſcutiantur. Sequiturque plerumque ſudores iſtos copioſos ἀτροφία.

Hæmorrhagiæ quandoq; etiam in ſcorbuto accidunt, proculdubio ſanguine ſeroſo, & ſalſo, imo pravo, & corrupto Naturam ad excretionem ſtimulante. Et quidem narium hæmorrhagia frequentior eſſe ſolet, & ſæpe ſcorbuticos affligere. Rarius eſt, quod a me obſervatum, & ſuprà. *num.*20.30.*&* *c.*1.*n.*6. etiam relatum, venam in crure apertam copioſum ſanguinem per aliquot dies fudiſſe, etſi vix orificii veſtigiũ appareret. Idem in labiis accidiſſe obſervavit Clariſs. Dn. D. Michael Döringius, ut ſuprà, *n.*5. dictum. 45. *Hæmorrhagia nariũ.*

Fæminis

44. *Menſes albi ſemen aquoſum.* Fæminis menſes ſubſiſtunt,& pro menſtruis fluxu albo,ſalſo,& acri laborant, quo viri facilè inficiuntur. Viri etiam ad generandũ inepti redduntur;cum ſemen aquoſum, & vitioſum in iis generetur.

45. *Color faciei.* Facies fit pallida, & livida quaſi, aut ex pallido in fuſcum vergit, & maximè interdum labia,& palpebræ, atteſtante id Eugaleno, *obſerv.* 8.18. 19. Etenim cum quales ſunt humores in corpore, talis ſit color in cute, ſanguisque in ſcorbuticis non purus ſit,ſed nigris &ichoroſis humoribus inquinatus: talem colorem in facie excitari,mirum non eſt. Nonnunquam tamen, & per intervalla quædam facies rubore, & calore quodam, ſed ſubitò iterum evaneſcente perfunditur:Germani appellant, ein fliegende Hitze/ ex vaporibus calidis è colluvie humorum, qui in hypochondriis, præcipuè circa Epar, hærent, elevatis.

46. *Icterus.* Quandoq; Icterus ſcorbuto conjungitur. Anno ſuperiore oblata eſt mihi fæmina curanda, quæ febri cõtinua cum Ictero, & graviſſima Cardialgia laborabat, cujus corporis conſtitutionem cum diligenter perpenderem,ſubeſſe ex urina, & anguſtia pectoris ſcorbutum ſuſpicatus ſum. Neque fefellit me opinio. Paulò poſt enim maculæ copioſæ in tibiis & pedibus eruperunt. Habuit ille Icterus ortum non ex obſtructione veſſiculæ fellis,ſed ex flavo humore in Epate à colluvie ſcorbutica læſo copioſius genito, & in totum corpus effuſo. Quæ facilè, atque intra paucos dies curata eſt, medicamentis antiſcorbuticis cum Epaticis moderatè frigidis miſtis. Curavi & aliam fæminam, quæ cum quartana laboraſſet, & ſcorbuti non levia indicia haberet, faciei & corporis totius color, qui in ſana erat floridus, in lividum,&nigrum mutatus eſt,& non abſimilis nigro Ictero evaſit.

Solet interdum totum corpus odorem gravem, præcipuè ſudantibus,ſpirare. Et halit⁹ oris fere omnibus ſcorbuticis fœtet, ut adſtantes eum vix ferre poſſint, & nares avertere cogantur, ut qui ſæpius cum ſcorbuticis converſatus eſt, non leve hinc ſcorbuti indiciũ capere queat. 47. *Odor corporis & anhelitus.*

Horrores præterea frequentes, quos nullus, aut quàm minimus calor ſequi ſolet, interdũ ſcorbuticos invadunt, & eodem die interdum bis, vel etiam invadunt. Eugalen. *obſerv.* 1.48. 48. *Horrores.*

Accidit etiam interdum calor p. n. febri abſimilis, qui nocturno tempore plerumque invadit, ſine ullo horrore, frigore, vel rigore, duratq; uſque ad tempus matutinum, & plerumq: ſudore ſuperveniente diſcutitur. Diſtinguiturque à febrili calore, tùm quod ſine rigore, aut frigore invadit, tùm quod certa intervalla more quotidianæ obſervat, nec tamen proprietates quotidianæ obſervat, nec tamen proprietates quotidianæ habet. Acciditque procul du- 49. *Calor nocturnus.*

bio, cum vapores, & ſeroſæ humoris Melancholici partes nocturno tempore commoventur. Et frequentiſſimè hoc accidit, cum chylus in ventriculos elaboratus ad lienem & vicinas meſaraicas defertur.

50. *Febres.* Non rarò, & fortaſſe frequentius, quam multi opinantur, febres ſcorbuto conjunguntur; ſicut & quandoque in ſcorbutum degenerant. Plurimæ enim febres, quæ hic ægros infeſtant, omnes notas febrium, à Græcis, & Arabibus deſcriptas non obtinent, & proinde ſuſpicionem non levem de latente ſcorbuto, vel diſpoſitione ad ſcorbutum ſæpe præbent. Sunt autem febres eæ varii generis. Quandoque enim ſunt lentæ, & continuæ; quandoque intermittentes, ſed quæ ſignis, & notis intermittentium febrium ab antiquis deſcriptarũ deſtituuntur, niſi quod typum quendam quotidianæ, vel tertianæ, vel quartanæ referunt. Quandoque etiam nullum typum obſervant, & interdum bis de die, aliquando ter, quaterve invadunt; interdum poſt 3. 4. 5. 6. 7. diem frigore, & horripilationibus quibusdã, ut appellant, ægrum moleſtant, nullo ferè calore ſubſequente, ut annotavit Eugalen. *obſerv.* 48. 49. Interdum tamen, eodem teſte, *p.* 42. æſtuans calor ſubſequitur, cum multa ad præcordia anxietate conjunctus, non infido mali huius ſymptomate.

Febrium ſcorbuticarum ab aliis differentia. Ideoque omnia febrium ſigna, & ſymptomata diligenter perpendenda, & cum ſignis febrium ab antiquis deſcriptarum conferenda, neque febres iſtæ dierum numero & acceſſionibus, ſed ſignorum proprietate æſtimanda ſunt. Tum enim in frigoris ſenſu, & duratione, & ſupervenientibus raris, ac à veteribus non enumeratis malis, & ſymptomatibus, magna inter has febres, & à veteribus deſcriptas intermittentes apparebit differentia.

Nam primò frigoris ſenſus præter aliarum febrium morem, ſatis diu ſæpe ad 6. vel 7. horas extenditur, antequam calor febrilis erumpat.

Deinde pulſus præter rationem febris eſt tardus, debilis, & inæqualis, in declinatione præcipuè; aliàs circa vigorem magnus, & durus eſt: urina, qualem in ſcorbuto eſſe diximus. Ideoq; ſi in loco, ubi aliàs ſcorbutus non rarus eſt, vel præcedentibus cauſſis ſcorbutum generare aptis, quis cum urinis craſſis, rubris, & fuſcis febricitare cæperit, pluribus ſubſidentiis in fundo apparentibus, à quibus tamen urina ſupereminens nihilo clarior redditur, ſed craſſa, turbida, & ſubalbida vel rubra manet, non levem ſcorbuti ſuſpicionem ſuggerit, & non unius, ſed plurium humorum ſimul corruptorum talis urina indicium eſt: Mutationes etiam urinarum variæ latentem ſcorbutum denotant. Sæpe enim in febribus hiſce urinæ variæ ſunt, modo tenues, & citrinæ, modo craſſæ, turbidæ, aliquando rubræ, &

paulo

paulo poſt iterum tenues, iterumque craſſæ, & conturbatæ. De quibus Galenus, 4 *de rat. vict. in acut.* docet; variam, & facilem urinarũ permutationem plures affectiones denotare, quæ nec eandem curationem, nec idem ſolutionis tempus habent. Cum talibus ergo urinis ſi pulſus parvus, debilis, & inæqualis, vel magnus durus, & ſerratilis, abſq; membranæ alicuius oſſibus adhærentis inflammatione, percipiatur, non leve etiam ſcorbuticæ febris indicium eſt.

Præterea initio acceſſionum plerumque tantæ ſunt membranarum, crurum, aliarumq; partium vellicationes, ut divelli, & dilacerari carnes ſibi conquerantur. Eugalen. *pag.* 214. *obſerv.* 45. Dolores iſti ſi in pedibus abſunt, adſunt tamen in dorſo. Ita in quibuſdam frigoris ſenſum, ac ſi frigida intus ad ſpinalem medullam effunderetur; in quodam retro ad dorſum ſenſum caloris, in anteriore corporis parte ſenſum frigoris obſervavit Eugalen. *p.* 43.

Rara quoque, & à febribus ab antiquis deſcriptis, & quæ in locis, ubi Scorbutus notus non eſt, conſpiciuntur planè aliëa ſymptomata in febribus hiſce ſcorbuticis animadvertuntur, motus nimirum convulſivi, lethargus, varii, & vagi dolores & febrium harum in alios morbos præter rationem mutationes.

51. *Febres tertianæ.* Frequentiſſimè autem cum ſcorbuto coniunguntur febres tertianæ; quę licet nothę ſint: tamen ſigna tertianarum ab antiquis deſcriptarum non habent omnia, ſed iſtis, quibus diximus modo, notis ab iis diſcrepãt, tùm etiam hoc, quod ſive alternis, ſive ſingulis diebus invadant, tertianarum ſimplicium, aut duplicium modo nullus vel horror, vel rigor, imo ſæpe nec frigus ullum in iis ſentitur. Inprimis vero urinis ab aliis tertianis facile differunt: quod in veris tertianis febribus urinæ in initio ſunt tenues, citrinæ, & ad monſtrandam iam incipientem humorum coctionem nõnunquam nubecula ſufficit: in febribus vero hiſce ſcorbuticis urina craſſa eſt, & diverſarum partium. Et quamvis in tertiana notha etiam urinæ craſſeſcant, & craſſum ſedimentum tandem ſubſideat: tamen id fit in febris declinatione, & coctionem ſignificat; cum in ſcorbuticis hiſcè febribus tales urinæ craſſæ in principio appareant, & extremam humorum cruditatem ſignificent. Ita etiam Hippocrates, 2. *prognoſt.* 27. & Galenus 4. *aphor.* 71. cum urinas rubras cum rubro ſedimento ad fundum matulæ ſubſidente longiores quidem morbos deſignare, ſed ſine periculo eſſe dicit; id ſaltem de urinis intelligendum, cum ſedimento ſubſidente urina plane clara, & pellucida evadit, & propter coctionem, & naturæ contra materiam morbificam victoriam ſignificat: in hiſce ſcorbuticis urinis etſi quid ſubſideat; rubræ tamen partes

tes crudæ, & inconcoctæ ſuperemi-nentes urinam turbidam reddunt; Idque ſummam cruditatem indicat, & morbum, qui non abſque periculo eſt, eiusque incrementum ſignificat: obſervatumque, plures cum talibus urinis ſcorbuto laborantes præter medicorum exſpectationem extinctos fuiſſe. Tertianæ ſcorbuticæ exempla ſunt apud Eugalen. *obſ.* 51.52.53.54. Neque ab hiſce febribus diſcrepare videntur eæ, quas deſcribit Carol. Piſo, *de morb. à colluvie ſeroſa, obſerv.* 76.77.89.90. Et tales febres ſcorbuti ſuſpicionem coniunctam habentes, ſunt plerumque tertianæ, quæ ſub tempus vernum invadunt, & poſt ſeptimum paroxyſmum quotidie affligunt; id quod ex pulſu & urina apparet.

Quartanæ ut aliquando in ſcorbutum degenerare ſolent: ita ſæpe cum eo coniunguntur. Quæ etſi typum quartanarum: obſervant: ſignis tamē aliis plurimis ab iis diſcrepant. Neque cum horrore, atque calore quartanæ reſpondent; ſicut nec pulſu, qui etiam in ipſo paroxyſmi vigore parvitatem, ac inæqualitatem retinet. Et ipſæ urinę tales, quales ſcorbuto propriæ apparent. Vide Eugalen. *obſerv.* 56. & Carol. Piſonem, *de morb. è colluv. ſeroſa obſerv.* 91.92.93. Neque enim febres hæ a Piſone deſcriptæ Scorbuticis diſſimiles ſunt.

53. *Quotidianæ.* Occurrunt quandoque quotidianæ febres, quæ tamen neque tertianæ duplicis, neque quotidianæ ab antiquis deſcriptæ notas & ſymptomata habent. Frigus enim plerumq; eſt lentum, & longum, ad ſex, ſeptē, vel plures horas durans, in vigore ſitis magna, urinæ variæ, pulſus parvus, & inæqualis in acceſſionis initio & extra acceſſionem, in vigore magnus, & durus. Adeſt proclivitas ad lipothymiam, quoties ſe æger movet, anguſtia ad præcordia, & alia ſcorbuti ſigna. De quibus Eugalen. *obſerv.* 57.

Cum verò materia ſcorbuti cauſſa non ſemper primis viis coerceatur, & includatur, ſed ſæpe in venam cavam, & arteriam magnam effundatur, atque ibi corrumpatur, ac putreſcat; id quod ſæpe ex ſanguine venæ ſectione emiſſo apparet, qui lividus, & viridis quaſi conſpicitur: etiam febres continuæ excitantur, & ſcorbuto coniunguntur, quæ tamen & ipſæ ab aliis continuis non parum differunt. Nam febres hæ continuæ ſcorbuticæ mitiorem calorem habent, & minori cum ſiti, ac inquietudine ſunt coniunctæ; aut ſi hæc ſint graviora, tamen anxietas per intervalla recurrens, & ad præcordia moleſta, & pulſus tardus, ac inæqualis febres has facile ab aliis febribus continuis diſcernit. Quibus ſi accedant urinæ craſſæ, & ſubrubræ, cum craſſo, ſubrubro, ac gravi, & inæquali ſedimento, & ſitis minor ſit, quam pro putredinis magnitudine, ſignum hoc multò firmius eſt. Vid. Eugalen. *obſerv.* 62.63. 54. *Continuæ.*

Frequen-

Frequentiſſima autem fere eſt febris ex continuæ & tertianæ intermittentis typo miſta. Neque enim tales febres, etiam hic locorum ſatis frequentes, tertianæ intermittentes vel puræ vel nothæ ſunt; utpote quæ ad puram ἀπυρεξίαν nunquam deveniunt: neq; etiam tertianæ continuæ; cum hæ ſine omni frigore, rigore aut horrore exacerbentur; in his verò vel ſingulis vel alternis diebus frigus percipiatur, aliaque ſymptomata conſpiciantur, quæ modò enarravimus, & neque in continuis neque in intermittentibus tertianis apparere ſolent.

55. *Peſtilentes.* Imò interdum & peſtilentiales, & malignas febres hę ſcorbuticę æmulantur, & maculæ illæ purpureæ, & nigræ, ſicut & tumores in inguinibus erumpentes, incautis imponunt. Verum qui cauſſas, quæ præceſſerunt, & omnia ſymptomata diligenter conſiderat, has febres à peſtilentibus, & malignis diſcernet. Nam & ſymptomata ſunt mitiora, & facilè urina, & pulſus ante deſcripti à peſtilentibus febribus eas diſcernunt; & ſunt diuturniores hę febres, quàm veræ peſtilentes, atque accedunt alia ſigna, quæ ſcorbuto magis propria ſunt, quàm peſti, ut nervorum reſolutio, & anxietas ſumma circa præcordia. Quæ etſi in peſtilentibus febribus quandoque etiam animadvertatur: tamen non ita, ut in peſte, illa eſt continua, ſed interrupta, ob vapores non continuo adſcendentes ex hypochondriis. Atque hæ febres quoq; non ſunt Epidemiæ, ſed Sporades, & longius, quam peſtilentes, extenduntur. Neque mirum eſt, quod febres ſcorbuticæ peſtilentes æmulentur. Humor enim Melancholicus, præcipuè ſi putreſcat, eſt peſſimus, & varia, pro humorum admiſtione, ſymptomata & morbos inducere ſolet. De quibus Eugalenus.

Variæ quoque tumorum differentiæ, materia ad ambitum corporis protruſa, vel ruente excitari ſolent. Quandoque enim facies intumeſcere, & inflari ſubitò ſolet; qui tamen tumor itidem facilè evaneſcit. 56. *Tumores Faciei.*

Pedum. Sæpe impetu quodam ſeroſa materia deorſum ruit, quæ cum à calore partium illarum, utpote à fonte caloris remotiorum, debiliore diſcuti non poſſit, pedes intumeſcunt, & tumore œdematoſo corripiuntur. Quibus humore craſſo hypochondria repleta ſunt, in iis limoſæ ac craſſæ humoris huius partes in hiſce locis tumorem durum & renitentem efficiunt.

Ruſticis, & nautis, ac qui ſimili iis victus ratione utuntur, tubercula dura in toto corpore erumpunt, nõnunquam & tumores magni, & profundi cùm inguine, & glanduloſis corporis partibus, tùm alibi, & in mediis muſculorum ſpatiis, doloris quidem, dum ægri quieſcunt, aut crus ſuper ſcamno, vel pulvinari re- 57. *In inguine & glandulis, in muſculis.*

 ponunt,

ponunt, experte, intereundum verò, & cruribus pendentibus graviter ægros excruciantia, tumores à Gallicos æmulantia, quæ à materia Melancholica, & tartarea, ut Chymici appellant, in ambitum corporis à Natura detruſa, & iis in locis hærente, & indurata proveniunt. Ortum enim habent hi tumores ex humoribus ſcorbuticis corruptis, dum tenuior pars humorum, à natura ad ambitum corporis depulſorum, diſcutitur, vel a calore febrili abſumitur, craſſa verò relinquitur. Diſcernuntur autem à Gallicis tumoribus, quod in his apertis materia pinguis lardo ſimilis reperitur; quale nihil in tumoribus Scorbuticis apparet: præterea tumores ſcorbutici ſequuntur vitam triſtem, & calamitoſam, Gallici luxurioſam, ut hac de re ſcribit Eugalen. *p.* 92. *n.* 18. *obſerv.* 20. Nonnunquam hincinde ſubitò in corpore tumores erumpunt, qui eadem facilitate & promptitudine, qua orti ſunt, evaneſcunt, & cum ortus ſui principio parti affectæ levem, & momentaneam reſolutionem inferunt, Paralyſimq; antecedere ſolent. Eugalen. *p.* 109. Imo interdum tumores renitentes, duri ſubrubri vel nigri & cruſtoſi in inguine & cruribus erumpunt, bubonibus peſtilentibus non abſimiles, verum ſignis ſcorbuti ab iis diſſidentes.

Earum à Gallicis tumoribus differentia.

Eryſipelas die Roſe.

Eſt & ſcorbuto laborantibus, vel ad ſcorbutum diſpoſitis ſatis familiaris illa phlegmones ſpecies, quæ, quod rubeo, roſeoque colore cutem tingit, vulgo die Roſe appellatur, quæque ſanguineos non ſolum, & plethoricos, ſed & ab hac conſtitutione longiſſimè remotos infeſtat, & nonnullos ſingulis ferè ſeptimanis, alios ſingulis menſibus, alios longiore intervallo, pro cauſſarum cum internarum tùm externarum atq; adjuvantium magnitudine & varietate, cum horrore, magno languore & anxietate, nonnunquam levibus animi deliquiis, invadit, & nunc hanc, nunc illam partem, prout hæc vel illa imbecillis eſt, apprehendit; quod indicium eſt, potius ab humoribus ichoroſis peculiari modo corruptis, aut vaporibus ab ejusmodi humorib⁹ corruptis reſolutis, quàm ſanguinis copia provenire; præſertim cum alia ſigna, quæ ex urina, & pulſu, ac morbi huius motu, & quod facilè de loco in locum, ſicut de arthritide diximus, migrat, conſentiunt: ſicut etiam horrores aliquot diebus ejus eruptionem præcedere quandoque ſolent. Eugalen. *obſerv.* 49.

58. *Hydrops.*

Interdum non ſolum crura, ſed &, ſi morbus protrahatur, venter intumeſcit, ubi ſimul Epar, & Lien plerumque humoribus craſſis ita infarciuntur, ut tumor manifeſtus, & tenſio in iis appareat. Id quod non mirum. Nam cum colluvies humoris ſcorbutici præcipuè circa Epar, & Lienè hæreat, cùm à ſubſtantia, tùm a vaporibus eius facultas horum viſcerum debilitatur, & prava inde in

iis

iis diſpoſitio contrahitur, quam iterum alimentis elaborandis imprimunt; unde vitioſorum humorum, præcipue ſeroſorum, colluvies cumulatur, & tandem ad crura deſcendit; & ſi materia ſit copioſior, ut tota ab iis recipi non poſſit, quod reliquum eſt, intra viſcera hæret, & tùm naturæ robore in abdomen protruditur, tùm pondere ſuo eo ruit, & ventrem in tumorem attollit. Laborant autem hydropici iſti longe maiore reſpirandi difficultate, quam aliàs in hydrope fieri ſolet, nondum ſcilicet valde tumore diaphragma premente, & plerique horum reſpirationem ſibi præcludi, & de anguſtia circa orificium ventriculi conqueruntur. Quæ eum a craſſis vaporibus, & flatibus proveniat, ut ſuprà dictum, iis diſcuſſis hæc reſpirandi difficultas, & anxietas remittit, quod aliàs in hydrope fieri non ſolet, & rurſum iis collectis redit; ac præcipue poſt purgantium uſum difficultas reſpirandi, & anguſtia augetur. Et ſi in corporibus plethoricis hoc malum excitetur, facies ſtatim livida apparet, peccantisque humoris indicium exhibet: tumor quoque multo durior, & tenſior eſt, quàm aliàs in hydropicis fieri ſolet, ideoq; neque alte, neque facile digitorum impreſſionem admittit, ut aliàs in hydrope fieri conſuevit ſolet, & impreſſus digitus in aliquibus nullum, in aliquibus exiguum veſtigium relinquit.

Præter hanc hydropis ſpeciem alia adhuc occurrit, quam à veſicarū toto corpore, & qualibet eius parte extuberantium forma, Belgica lingva Bouckwatter/ appellant. Cognoſcitur, quod iis præcipue accidit, qui victu minus melancholico uſi ſunt, humoresque tenues, & aquoſos cum multis flatibus cumularunt, & quod, antequā ſedem figit certam, aliam, atq; aliam corporis partem momentaneo tumore ac inflatione hic morbus attollit & diſtendit. Quibus vero humores minus mobiles ſunt, pedes primum, poſtea totū corpus duro, & inæquali tumore paulatim aſſurgit, variis tuberibus, ſua ſubinde quaſi cute circumſcriptis, extra reliquum tumorem exſtantibus; præcipue quidem in ingvine, & ſcroto, quandoq; tamen etiā in brachiis, ſcapulis, dorſo, reliquisq; corporis partibus. Accidit pulſus huic malo proprius, urinæ modo craſſæ, rubræ, & lividæ, modo variæ, & inconſtantes, procedente tamē morbo crudæ, & tenues: præceſſeruntq; plerūq; alia ſymptomata, nauſea, alvi deiectiones, languor, oris ſiccitas perpetua, & alia. Eugalen, *pag.* 152. *obſerv.* 20. *Veſica in toto corpore.*

60. Quandoq; non ſolum maculæ in cruribus apparent, ſed & ulcera in iis excitantur, ſicca fere, & neque pus, neq; ſaniem ex ſe effundentia, ut recte Eugalen. ſcribit, à cuius partibus magis eſt experientia, quam Hieronymi Renſneri, qui ulcera ſcorbutica tenui ſanie perpetuo madere *Vlcera crurum.*

Vlcera Telephia. dere ſcribit. Ulcera autem hæc eos magis infeſtant, qui temperamento bilioſo ſunt. De quo Hippocrates, *lib.de intern.affect. Quicunque*, inquit, *ſplenem habent magnum, ſiquidem bilioſi ſunt, hi mali coloris ſunt, & malis ulceribus ſcatent*. Ulcera hæc cum maligna ſint, ea ad Telephia commodiſſimè referri cenſet Balduin. Ronſſeus *de ſcorb.c.*7. Cum enim Telephia dicantur ea ulcera, quòd in tali ulcere Teleph⁹ Myſiæ rex cōſenuerit. Ægineta, *lib.*4.*cap.*46. Nomen hoc ſcorbuticis ulceribus non immeritò tribui putat. Cū enim Telephus omnē operam impenderit, ut pro diuturno ulcere aliquod medicamentum reperiret: tandem ſenio confectus reperit herbam, quam ſibi cognominem eſſe voluit, & ea ſanitatem recuperavit: cenſentque viri quidam docti, Telephium eſſe plantam vulgò cochleariam dictam: alii tamen fabariam eſſe cenſent, & ſatis multis probat Wierus, telephium non eſſe cochleariam. *Telephium* Verum non multum refert, ſive Telephia, ſive alio nomine appellentur hæc ulcera: hoc certum eſt, maligna, & curatu difficilia eſſe ob humorem Melancholicum, & pravum. Sine cauſſa verò hoc loco invehitur in Ronſeum Reuſnerus, qui hæc ulcera maligna eſſe ſtatuit, quod ab atra bile proveniant. Ipſe enim nititur falſa hypotheſi, quod ſaltem ab humore aquoſo ortum habeant. Etſi enim hoc verum ſit, quod Melancholica, quæ ut ſuprà dixi, in ſcorbuto etiam concurrit, non tàm aduſta ſit, ut ea, quæ cancrū excitat: tamen humor Melancholicus quicunque contumax eſt, neque facilè curationi cedit, & in ſcorbuto peculiarem corruptionem ac pravitatem ſortitus eſt. Ipſe tamen diffiteri non poteſt, humorem ſalſum Scorbuticis ulceribus ineſſe. Ulcera hæc interdum ita gangrænoſa fiunt, ut ne quidem ferrum inflictum, vel admotum pyroticum ſentiant. Imo ex tali ulcere cruſtoſo ſæpe mortificatio totius cruris advenire poteſt, niſi maturè cruſta à reliquo ulcere ſeparetur. Eugalen. *pag.* 406.*obſerv.*8.

Penis. Neque ſolum crura, ſed & alias corporis partes ulcera hæc interdum occupant. Ita obſervavit Eugalenus ulcus ſcobuticum, quod cum tumore ingenti ad Elephantiaſin accedente præter dimidiam faciem, & magnam cervicis partem naſum, & labia occupabat. Præter dictam faciei inflationem naſus lividus erat, labia prætumida, & nigra, oculi prominentes, & fuſco colore palpebræ, tinctæ, & variis puſtulis variegatæ: hæ ſerpendo quotidie labiis per totam ferè faciem diſpergebantur, ſubiectas carnes exedentes, & circa tempora in ulcus nigrum, tetrum, malignum, & glomeroſum, quod Carcinoma Græci vocant, deſinentes.

Refert idem Eugalenus, *pag.*221.*n.*48. penem quandoque exulcerari, cum prava iſta materia, dum per penem

nem cum ſeroſa ſanguinis ſubſtantia defertur, inter tranſeundum malignitate & acrimonia ſua teneram penis carnem erodit.

61. *Gangræna ſcorbutica.* Imò non ſolum ulcera ſcorbuticos corripiunt, ſed & graviſſimum, etſi vulgo non ſatis cognitum & rarius malum, ſcorbuto quandoque accedit, mortificatio ſcilicet, & gangræna vel unius, vel plurium corporis partium, præcipuè digitorum pedum. Incipit hoc malum plerumque circa pedis extremum cum nigris, & purpureis maculis, & lituris quaſi, & hinc paulò poſt ulcus cruſtoſum, & gangrænoſum, ſiccum, neq; ſaniem, neq; pus reddens apparet, digitusq; unus vel alter pedis emori incipit, & lineæ rubræ, ac purpureæ lituræ ſupra juncturam pedis ſecundum tibiæ longitudinem apparent. Id quod Eugalenus etiam annotavit, atque ego ipſemet exempla eius rei duo vidi, unum in viro quodam Nobiliſſimo, alterum in Pædagogo. Eſt verò huius gangrænæ, ac Sphaceli à gangræna & Sphacelo vulgo deſcriptis magna differentia. Etſi enim in utraque gangræna pars emoriatur, ac ſenſum omnem amittat, ac malum indies latius ſerpat: tamen non paucis diſcrepant. Gangræna enim illa vulgo non ferè ex cauſſis manifeſtis, & notis ortũ habet, & in membro tali Sphacelo emortuo fætidus, ac aquoſus humor effluit, membrũ molle, ac putridum redditur, & gravem, ac cadaveroſum de ſe fœtorem emittit, multumque brevi tempore ſerpit, & plerumque hominem cito jugulat. Gangræna vero ſcorbutica ferè ſine cauſſa manifeſta invadit, & lentè, ac tardè ſerpit, ac non niſi longo tempore hominem jugulat. Nobilis enim ille, cujus modo mentionem feci, ultra menſes tres; pædagogus vero ultrà ſex menſes cum malo hoc vitam protraxit; ſicut Eugalenus ad duodecimam hebdomadam malum hoc protractum fuiſſe teſtatur.

Pars planè ſicca eſt, nihilq; effluit, & cum corrupta ferro aufertur, licet caro rubra offeratur, color tamen ille ruber paulo nigrior eſt, & ſequenti die & ipſa planè emortua deprehenditur: nullus quoque fœtor percipitur. Præterea ubi primo malum unum ſaltem pedem apprehendit, poſtea, abſque omni cauſſa manifeſta, in altero etiam crure, & pede maculæ, ac lituræ rubræ, vel purpureæ apparere incipiunt, & paulo etiam poſt illius pedis digitus unus, vel alter lividus redditur, & planè emoritur; tandemque homo plerumque Apoplexia, quod Nobili illi accidit, vel Epilepſia accedente moritur.

Tandem etiam Atrophia hoc malum interdum ſequitur. Quibuſdam crura atrophia laborant, & ita gracilia redduntur, ut vix oſſibus hærere videantur: Interdum & totum corpus ita emaciatur, ut vix cute, & oſſibus homines hæreant, & ſceleti formam referant. Quod accidit, quod 62. *Atrophia.*

partes vel etiam totum corpus bono alimento deſtituitur, & à vitioſis humoribus, qui affluunt, calor nativus & vix nutrix partium ita debilitatur, ut nutritionem rectè promovere non poſſint. Et in principio quidem atrophia accidit, quod ob vitioſum nutrimentum facultas in nutritione fruſtratur ob errorem externum: ubi verò temporis progreſſu ipſis partibus ab humoribus continuò, affluentibus vitioſa diſpoſitio inprimitur, non aliter ac in leucophlegmatia, & ſcabie prava, læſa etiam facultate nutrito læditur. Et licet à variis etiam cauſſis aliis ἀτροφία generari poſſit, ut ab ulcere pulmonis, aut alicuius alterius viſceris abſceſſu, à febribus, præcipuè hectica: tamen hîc hæ cauſſæ omnes, earumque propria ſigna abſunt; contrà pulſus, urina, aliaquè, cùm quæ præceſſerunt, tùm quæ adſunt, Scorbutum arguunt, quæ hactenus ſæpius ſunt enumerata, nec toties repetere opus eſt: agitque de iis Eugalenus. *num.* 33. *pag.* 159. *&* *ſeqq.* *obſervat.* 35. 36. 40. 46. Cor tamen à vaporibus putridis continuo afflictum etiam calorem & ſiccitatem præter naturam contrahere poteſt, atque inde tabes & atrophia in toto corpore excitari.

Atque ita morbos, & ſymptomata, quæ Scorbutum comitari ſolent, pleraque recenſuimus, ductu inprimis Severini Eugaleni, qui de hiſce omnibus accuratè & prolixe egit, & ſi curationem ſcorbuti eadem ratione adieciſſet, omnibus qui de ſcorbuto ſcripſerunt, palmam præripuiſſet, & de arte Medica optimè mereri potuiſſet. Etſi autem ex his ſignis omnia apud nos non ita ſemper ſunt evidentia, ut iis in locis, quibus ſcorbutus quaſi patrius, & vernaculus eſt: tamen qui ea, quæ circa ægros etiam in his, & vicinis locis fiunt, diligenter conſideraverit, iſtis ſignis ſatis ſæpe manifeſtis latentem ſub aliis morbis ſcorbutum, aut certè eius initia deprehendere poterit. Si quis verò eſt, qui putet, me nimium in recenſendis morbis & ſymptomatibus ſcorbuticis fuiſſe, is ſciat, me equidem cum iis non facere, quibus nullus ferè morbus offertur, quem non ad ſcorbutum reducere conentur: interim qui experientiam diligenter conſulet, animadvertet, & hæc quæ enumerata ſunt, & forſan plura cum ſcorbuto mala coniungi poſſe.

CAPVT.

CAPVT. VI.
PROGNOSTICA.

1. IN Prognoſtico inſtituendo medicus cautus ſit, & omnes facultates principes earumq; læſiones diligenter perpendat. Etſi enim pulſus plerumque in hoc morbo valde debilis, languidus & parvus ſit, ita quidem, ut medicis morbi huius ignaris mirum videri poſſit, cum tali pulſu hominē vivere poſſe: tamen inde mortem præſagire non licet; cum non morbi lethalis, ſed morbi peculiari modo facultati vitalis adverſantis ſignū ſit. Etenim vitali cordis facultati, ut & nervoſo generi, adverſam qualitatē habet colluvies ſcorbutica. Vnde illę cordis anxietates, convulſivi motus, paralyſis, varii dolores, & ſimiles affectus ſcorbuto tam familiares ſunt.

2. Malum hoc in principio ferè curatu facile eſt, & idoneis medicamentis adhibitis facilè cedit; cum vitium ſaltem in humoribus conſiſtat, nec prava aliqua diſpoſitio viſceribus communicata ſit, & ſæpe ſola diæta, præcipuè aeris mutatio ad curationem ſufficiat.

3. Si vero radices agat, diuturnum malum eſt, & quod multa curatione indiget, & vix unquam radicitus tollitur. Nam & humor melancholicus, à quo hic morbus ortum habet, natura ſua contumax eſt ac tardè movetur, & morbos pertinaces ac diuturnos parit; & poſtquā humor ſcorbuticus ſemel ſimi'em Epati, & Lieni diſpoſitionē impreſſit, vix ea planè exſtirpari poteſt; atq; ob eam vel ſingulis annis, vel longiore intervallo pro victus ratione, & aliis circumſtantiis, malū recurrit: nunc iiſdem, nunc aliis ſtipatum ſymptomatibus: viriquè cum eo ſæpe in annum nonum, decimum, vel plures; fæminæ in vigeſimū vel plures vitam protrahunt; proculdubio ea de cauſſa, quod in fæminis per menſes vitioſæ colluviei pars aliqua evacuetur: donec tādem perpetuo languore contabeſcunt, ægriq; aliis atq; aliis ſymptomatibus ſubinde ſupervenientibus, graviter affecti & diu afflicti tandem ſæpè improviſo moriuntur: *Sicut in* Islandia menſæ aſſidentes, aut aliud quid agentes repentè concidere, & mori quandoque hoc morbo laborantes ſe ex oculatis, & fide dignis teſtibus audiviſſe refert Dodonæus, *in prax. Medic.* Humor enim contumax eſt, & ut non niſi longo tempore in corpore coacervatur, ita etiam non niſi longo tempore tollitur, & optimis etiam remediis reſiſtit.

4. Qui diætæ ſe adſtringi nō patiun-

tur, quique in aſſumendis medicamentis difficiles & moroſi ſunt, raro integrè ab hoc morbo liberantur; ideoque etſi quandoq; ſymptomata demulceantur & ſcorbutus aliquomodo devictus videatur: tamen ſi æger ab uſu medicamentorum deſiſtat, paulò poſt eadem vehementia morbus recudeſcere ſolet, interdum cum iiſdem, interdum cum aliis, ſed æque gravibus ſymptomatibus.

5. Plerumq; ſcorbutus in cachexiam vel hydropem, nonnunquam & in dyſenteriam, ſæpiſſime vero in tabem & atrophiam tranſit, & hominem lenta morte jugulat. Cũ enim, ut ſupra dictum, humores Scorbutici pravam & ſimilem diſpoſitionem viſceribus, inprimis lieni & Epati, imprimant, fit, ut læſa harum viſcerum facultate ſignificatio lædatur, & feroſorum humorum ac flatuum copia producatur. Cum vero vitioſi humoris colluvies ad ventrem protruditur, diarrhœam diuturnam, tandemque hydropem inducit. Cum etiam humores pravi circa viſcera & in primis viis collecti cum ſanguine miſceantur & cum eo in totum corpus diſtribuantur, eum ad corpus nutriendum ineptum efficiunt: vitioſique humores cum ſua ſubſtantia, tum pravis exhalationibus omnibus corporis partibus ſimilaribus vitioſam diſpoſitionem imprimunt, facultatemque nutrientem lædunt: cor etiam à vaporibus putridis continuo afflictum intemperiem calidam & ſiccam contrahit, atque inde tabes & atrophia in toto corpore excitatur.

6. Reſpiratio difficilis, & pectoris anguſtia periculoſum malum eſt, ob quam, ſi & Medicus, & adſtantes ſuum officium non faciunt, ſæpe ægri ſyncope præter expectationem pereunt. Si vero Natura fortior morbum diutius tolerare poſſit, plerumque in hydropem ægri incidunt, præcipue ii, qui catharticis fortioribus ſæpe utuntur.

7. Crurum maculæ quo magis ad lividum, & atrum colorem tendunt, eo peiores ſunt; & ſi in ulcera aperta abeant, difficulter ea ſanantur. Indicat enim talis color latentem humorem atrum, & malignum, à quo excitata ulcera periculoſa ſunt, & difficulter curantur.

8. Scorbutus hæreditarius, & à parentibus propagatus, ut & qui à pueris una quaſi adolevit, difficulter admodum curatur, & vix unquam exſtirpatur, & fere ſemper aliquæ eius reliquiæ remanent, quæ facili de cauſſa repullulant. Habent enim tales ſecum congenitam ſcorbuti cauſſam, & nativam Lienis imbecillitatem, quæ ope medicamentorum vix unquam tollitur.

9. Pueris ϛομακάκη crebrius, σκελοτύρϐη rarius accidit.

10. Periculoſius ſenes juvenibus, & mulieres viris laborant, ſi ſcorbuto afficiantur. Senes enim calorem debilem habent, & cruditatibus obnoxii

noxii ſunt; ideoque morbi malitiam faci è ſuperare non poſſunt. Eadem de cauſſâ & fæminæ magis periclitantur, præſertim eo tempore, quo fluxus menſium ceſſat, aut ante tempus ſubſiſtit; ſanguinis motu ad viſcera nutritionis converſo, humoribusque vitioſis, qui cum menſibus evacuari ſolebant, in corpore retentis, & viſcera debilitantibus.

11. Quibus tormina ventris, & circa umbilicum contorſiones continuæ adſunt, rarò evadunt.

12. Tumores in variis corporis partibus ſubitò erumpentes, iterumque evaneſcentes, Paralyſin præſagiunt.

13. Poſt Paralyſin curatam nervi quidam, in quos ſeroſa, vel vaporoſa materia decumbit, contrahuntur, & convulſionem illorum excitant.

14. Convulſio Scorbutica ſæpe ſubitò in Paralyſin, Cataphoram, vel tumorem, nunc evaneſcentem, nunc rurſum emergentem tranſit; prout materia ſcorbutica nunc huc, nunc illuc movetur.

15. Gingivarum tumor, atq; eroſio; niſi maturè ſanetur, carnem ad oſſa usq; abſumit, & os tandem dentibus privat. Quandoque livor partem oris ſuperiorem, & palati partes penitiores apprehendit; quod malum, & plerumque lethale ſignum eſt, & caloris nativi exſtinctionem ſignificat.

16. Ulcera crurum curatu difficilia ſunt, & periculo non vacant; cum ab iis totum crus interdũ gangræna corripiatur, imò totum corpus in periculum adducatur.

17. Vomitus, & humorum vitioſorum ſuprà & infrà rejectio parum ægris prodeſt, ſed potius ventris, & inteſtinorum doloribus plurimos longiore mora conficit.

18. Febres cum ſcorbuto non curantur integrè, ſi ſcorbuti curatio negligatur. Imò ſi indicationes, quas febris ſuppeditat, ſolùm attendantur, æger ſæpe non parum læditur. Quæ res ipſa facit, ut febres hodie ſæpe tam diuturnæ ſint, quod latens ſub iis ſcorbutus non ſemper attenditur & cognoſcitur. Febresque tales diuturniores vires ſæpe deiiciunt, ægrumq; interficiunt, aut alium graviorem morbum accerſunt.

19. In febribus ſcorbuticis intermittentibus quandoque convulſivi motus, vel carus in ſingulorum paroxyſmorum initio accidunt, qui tamen poſteà ſponte remittunt.

20. Febres continuæ ſcorbuticæ ſi purgantibus medicamentis initio fortioribus, aut craſſo potu, aut medicamentorum calidorum uſu exaſperentur, plurimos ſubito animi deliquio ac ſuffocatione enecant atque occidunt.

21. Tumores crurum œdematoſi in hoc morbo diuturniores eſſe ſolent, minusque prompte diſcutiuntur; cum & ſanguis craſſior ſitus ratione ad hæc loca tendat, & ob caloris in hiſce partibus à fonte caloris

 vitalis

vitalis longè diſtantium debilitatem diſcuti non poſſit.

22. In magnis Lienibus ſanguis è dextra nare fluens malum.

23. Cum etiam quandoque lividæ maculæ in cruribus deliteſcere, quandoque confertim effloreſcere ſoleant, dubiam hoc naturæ cum morbo pugnam indicat, & ubi morbus jam incrementū ſumſit, utrumque iam mortis inſtantis indicium eſt. Evaneſcunt maculæ, cum calor nativus exſtinguitur, & qui reſtat exiguus, ad ſuum fontem refugit, & cum eo ſangvis partes exteriores deſerit. Cum verò in morientibus ubertim hæ maculæ effloreſcunt, materiæ pravitatis, & copiæ argumentum eſt, quæ calore nativo iam ſuccumbente, neque amplius humores regente, iugo quaſi excuſſo, liberè diffunditur.

CAPVT. VII.

DE CURATIONE Scorbuti in Genere.

1. *Indicationes.*
2. *Sanguinis evacuatio per hæmorrhoides, per Venæ ſectionem.*
3. *Præparatio humorum.*
4. *Regulæ generales in præparatione, & alteratione humorum obſervandæ.*
5. *Medicamenta præparantia.*
6. *Purgantia.*
7. *Antiſcorbutica.*
8. *Acidulæ, chalybs præparatus.*
9. *Vrinam cientia.*
10. *Sudorifera, & balnea.*
11. *Roborantia.*

Cum

1. *Indicationes.*

Cum omnia quæ Scorbuticos infeſtant, mala, & ſymptomata ab humore Melancholico, crudo, ſeroſo, ſalſo, & peculiari modo corrupto originem habeant: danda opera, ut illa eius cruditas & pravitas emendetur medicamentis cùm manifeſta, tùm occulta qualitate eum corrigere valentibus; ipſe ex primis viis, ubi præcipua eius ſedes, ut & toto corpore, tollatur; obſtructiones, in Liene inprimis, & vicinis venis, aperiantur; prava diſpoſitio viſcerum, lienis maxime, emendetur, & defectus ille in coctione, & πνευματώσεως ſalis, & humorum craſſorum corrigatur; ac ſcorbuticorum eiusmodi humorum craſſorum generatio, removendo cauſſas ad eorum generationem facientes præcaveatur. Seu, ut Foreſtus hac de re loquitur, quatuor intentiones ſunt curandi ſcorbutum; apertio, evacuatio, alteratio, & confortatio. Niſi enim plenitudo ſit amota, obſtructio aperta, & intemperies ablata, ac lien roboratus, æger nunquam curabitur; & quatuor iſtis adhibitis infinitos ſcorbuticos ſe curaſſe refert Foreſtus. Quod verum eſſe ut facile credimus: ita curationis ab eo inſtitutæ hiſtoriæ docent, eum ſemper talia elegiſſe vel admiſcuiſſe medicamenta, quæ peculiari vi Scorbuto adverſantur. Diæta etiam ſit ita comparata, ut ad generationem, & augmentum humoris ſcorbutici non ſolum non conferat, ſed etiam ei ſit contraria.

Et primò quidem ſanguinis evacuationem quod attinet, ſi natura eius per hæmorrhoides evacuationem ſponte tentaret, id aptiſſimum eſſet. Et ſi per hanc viam Natura aliàs vitioſos humores evacuare conſuevit, danda eſt opera omnibus modis, ut hæmorrhoides provocentur. 2. *Sanguinis evacuatio.* *Per hæmorrhoides.*

Quod ſi de hæmorrhoidum fluxu nulla ſpes ſit, & ſanguinis ſit aliqua abundantia, præſertim ſi febris conjungatur, primis viis vel clyſtere, vel leni aliquo medicamento prius evacuatis, vena, ſi vires id permittunt, aperienda, ut ita vitioſi humores omnes ſimul evacuentur, & Natura reliquos facilius ſuperare poſſit; ſanguisque ventiletur: cum videamus naturæ ipſius ductu non rarò in principio huius morbi ſanguinem è naribus effundi. *Per venæ ſectionem.*

Aperienda autem Vena, ubi opus, in cubito, ſeu mediana, ſeu baſilica, & quidem lato ſcalpello, ut monet Wierus, ut non ſolum tenues ſanguinis, ſed & craſſiores partes evacuentur. Si tamen vires aliquomodo iam ſint debiles, latam ſectionem diſſuadet Foreſtus, ne multum ſpiritum exhalet, & vires amplius debilitentur. Plerique ſectionem in ſiniſtro brachio inſtituendam cenſent. Equidem, ut *lib. 5. Inſtit. p. 2. ſ. 1. c. 17.* dictum, venæ brachii ſiniſtri majorem aliquam cùm liene cognationem, nō habent, quam Venæ brachii *Qua vena aperienda.*

dextri:

dextri: τὸ καθ' ἴξιν tamen, ob ξύῤῥοιαν, & ξύμπνοιαν illam occultam, & conſenſum partium dextrarum cum dextris, ſiniſtrarum cum ſiniſtris, etiam hic obſervare forſan non inutile fuerit. Foreſtus etiam ſalvatellæ in ſiniſtrà manu apertionem in ſcorbuto prodeſſe ſe experientia didiciſſe ſcribit: qua de re experientia conſulenda. Nam ratio eius rei nulla reddi poteſt. Poſtea, & præcipuè ſi melancholicus ſanguis ad inferiora defluxerit, ut non ſine cauſſa ſuadet Ronſſeus, vena poplitis aut malleoli aperiatur, ut materia ibi fixa quoque evacuetur. Et omnino commodum eſt, ut ſanguis peccans non ſemel, & una vice detrahatur, nec una tantum in una parte vena aperiatur, ſed aliquoties id fiat, interiectis intervallis. Ita enim qui per varia corporis loca ſparſus eſt ſanguis vitioſus, commodius evacuari poteſt.

Quantum ſanguinis evacuandum.

Parcius autem ſanguis evacuetur; cùm largiorem ſanguinis miſſionem hîc morbus reſpuat, ut Eugalenus ſcribit.

Si verò morbus iam radices egerit, & ſanguinis iam adſit magna corruptio, ac cacochymia cum nulla ſanguinis abundantia, eaque ita totum corpus occupaverit, ut iam maculæ effloreſcant, & alia externa ſigna in corpore hinc inde appareant, vix venę ſectio tentanda, ne puriore, & ſubtiliore ſanguine effluente, & craſſiore illo, ac viſcido in venis ſubſiſtente, vires ægri debilitentur; ſed tùm potius ad cacochymiæ ſcorbuticæ præparationem, & evacuationem, primis viis tamen, & ventre prius evacuatis, accedendum.

5. Præparatio humorum.

Præparationem ergo, & purgationem quod attinet, cum ſcorbutus fortius purgantia nõ ferat; ſed iis exaſperetur potius, ut aliquoties monet Severinus Eugalenus, omnesq; eruditi Medici ipſa experientia edocti teſtantur; neque una vice humores vitioſi evacuari poſſint: purgatio per ἐπίκρασιν rectiſſimè inſtituitur, ita ſcilicet, ut materia primum præparetur, & coquatur, & corruptio, ac putrefactio humorum ſuperetur, & cohibeatur, deinde purgatio lenis inſtituatur; & cum materia ſcorbutica non ſit eiuſdem ſubſtantiæ, ſed ex diverſis humoribus miſta, iterum ad præparationem accedatur, & hinc, ſi opus ſit, medicamentis idoneis humores præparati rurſum evacuentur. Quod niſi obſervetur, & materia adhuc cruda, & ſpecifica humorum corruptione nondum ſuperata, purgantia exhibeantur, materia mota, & conturbata anxietates multas parit. Imò obſervatum, non paucos citra purgantium uſum convaluiſſe, uſurpatis medicamentis attenuantibus, incidentibus & peculiari vi ſcorbuto adverſantibus.

Præparantia in ſcorbuto qualia.

Itaque primò, ut experientiſſimi medici, Salomonis Alberti, anteceſſoris olim mei, verbis utar, ea uſurpanda medicamenta, quæ terreum, & feculentũ humorem colliquent, atte-

attenuent, incidant, diſſipandoque abſtergant, ut ſoluta obſtructione, quod craſſius eſt, facilius in alvum, corporisque ſentinam excidat; quod tenuius, & ſeroſius, ad vias urinæ derivetur, & utrumque adeo, quò vergit natura, per conferentia loca evacuetur. Nam & craſſiores ſæpe huius humoris partes cum urina excernuntur, & cum ægri commodo urinæ ferè nigræ, & turbidæ, quæque nigrum ſedimentum deponunt, emittuntur.

Regulæ generales in præparatione humorum obſervandæ.

Monendum tamen de iſtis. Primò ad univerſalem methodum ſemper hic reſpiciendum, & naturam humoris, ac corporis conſtitutionem conſiderandam eſſe. Vbi enim frigidi, & craſſi humoris ſunt, & in iis, qui in frigido, humido, ac craſſo aere vivunt, attenuantibus, & incidentibus fortioribus utendum: in aliis mitiora adhibenda.

Deinde ſi morbus radices altius egerit, & diu iam duraverit, fortioribus remediis, & magis attenuantibus, & incidentibus opus eſſe, tàm internis, quàm externis, ſudoriferis, balneis, ac aliis. Tutiſſimum tamen eſt, ſemper à mitioribus incipere, & paulatim ad fortiora progredi. Et ſi morbus curationi non cedat, & cum laudabilibus vrinis incrementum ſumat, ſignum eſt, medicamenta debiliora eſſe, quam morbi, & cauſſæ magnitudo requirit, & propterea ad fortiora progrediendum.

Tertio Aperientibus & attenuantibus medicamentis, quæ in aliis morbis uſurpantur, ſolis fidendum non eſſe, ſed ea addenda, quæ peculiari proprietate huic morbo adverſantur. Non enim eſt de nihilo, quod aliquoties monet Eugalenus, Medicos aliàs doctos fruſtrà in hoc morbo, quem non rectè cognitum habuerant, curando laboraſſe, qui proculdubio & aperientia ac evacuantia, & alterantia, atque confortantia uſurparunt; ſed fruſtra: cum cacochymiam ſcorbuticam cognitam non haberent. Neque enim quælibet aperientia, vel humorem melancholicum alterantia hic ſufficiunt, ſed ſemper ea uſurpanda, & admiſcenda, quę humoris huius naturam reſpiciunt. Ideoque etſi quæ obſtructiones epatis, lienis, ac vicinorum vaſorum aperiunt, & intemperies eorum corrigunt, quæq; in aliis melancholicis affectibus utilia ſunt, & hic locum habeant, ut radices aperientes, Scorzoneræ, garyophyllatæ, helenii, cichorii, polypodii, gentianæ, rhapontici, ariſtolochiæ, ſcillæ; cortices tamariſci, capparum, folia chamedryos, chamæpityos, cuſcutæ, agrimoniæ, fumariæ, hyſſopi, lupuli, ceterach, ſcolopendrii betonicæ, origani; flores geniſtæ, cichorii; e fructibus amygdalæ amaræ, baccæ lauri, juniperi, & ſimilia: ea tamen quæ huius humoris proprium vitium peculiari vi corrigere poſſunt ſemper addenda.

Poterit ergo primo talis potio parari.

℞ *Rad. cichor.*
fœniculi,
polypod. q. an. Unc. j.
Cort. tamar.
rad. cappar. an. Unc. ß.
Cochleariæ
Becabung.
fumariæ, omniũ recent. an. M j.
ceterach
chamædryos
hyſſopi
capilli Vener.
linguæ cervinæ an. M. ß.
paſſullar. 6. Unc. j.
Coq. ſ. an.
Collaturæ clarificatæ Unc. XX.
℞. *dulcoretur ſacchar. cando & adde aq. cinamom.* Drach. ij.
F. potio pro 4. *vel* 5. *doſibus vel addatur ſacchori q. ſ. & fiat ſyrupus, cujus* unc. j. ß. *detur cum aq. ſcolopendriæ, fumariæ, cochlear. naſturt. aquat. becabungæ.*
Vel ℞. *Aq. ſcolopendr. fumar. chamædr.* an. Unc. iij.
ſyr. de ſcolopendr.
de Fumar.
byzantin. ſ. an. Unc. j.
ſpirit. Salis ſcrup. ß.
Fiat potio pro 3. *doſibus.*

D. Sal. Albertus hoc Digeſtivum præſcribit.

℞. *paſſul. minor. ſucco acetoſæ imbutar.* Unc. j. ß.
rad. polypod. quern. Unc. ß.
aſari Drachm. ij.
biſtort. Drachm. iij.
glycyrrhiz.
oxylapathi an. Drachm. ij.
Cort. rad. cappar. Drachm. iij.
tamariſci
ſem. aniſi
fœniculi an. Drachm. j. ß.
agni caſti Drachm. j.
urticæ ſcrup. iiij.
herb. cuſcutæ
acetoſæ,
capill. Vener.
lichen Petrei
Ceterach.
linguæ cervin. an. M. ß.
thymi
epithymi an. pug. ij.
Flor. borrag.
bugloſſ.
Violar. an. pug. j.
Cinamomi q. ſ.
Coq in aq. pura ad ℔. j.
In colatura clarificata diſſolve ſacchar. q. ſ.
Coq. ad ſyrupi conſiſtentiam, cujus Unc. j. ß. *detur quotidiè cum aq. ſcolopendr.*
Capill. Vener.
lupuli an. Unc. j.

Poterit & Spir. Vitr. crem. Tartari, Tartarũ Vitriolatum vel ſpir. Tartari compoſitus, quem vulgo miſturam ſimplicem nominant, in juſculo carnis vel alio convenienti liquore exhiberi.

Materia hiſce vel ſimilibus medicamentis præparata, & viis apertis, ad purgantia accedendum. Licet etiam præparantibus quædam purgantia admiſcere, ut alvus nonnihil laxetur, *Purgantia*

laxetur, & humores ad alvum ſenſim deducantur. Eligantur autem, ut etiam ſupradictum, leniora purgantia; cum fortiorum, & vehementiorum purgantium uſu, ipſa experientia teſte, ægri in hoc morbo in præſentiſſimum diſcrimen adducantur, & vitæ periculum ſæpe coniiciantur. Ideoq; confectionem Hamech plerique docti abhorrent. Si tamen infundatur vel coquatur, mitior fit. Ut R. *decoct. fol. ſenæ ſecund. Auguſt.* Unc. iiij.

Confect. Hamech. Drachm. j. ß.
diaphænic.
roſ. Meſu. an. Drach. ß.
bulliant ſemel atque iterum, & colentur.
Colaturæ adde mannæ Unc. ß.
iterum colentur. F. hauſtus.

Vel R. *rad. polypod. q.* Unc. ß.
Cort. rad. cappar.
fraxini an drach. ij.
abſinthii
Centaur. minor.
chamædr.
Ceterach. an. M. ß.
thymi
epithymi an. pug. j.
ſem. aniſi
fœniculi an. Unc. ß.
hellebor. nigr. præp.
fol. ſenæ elect. an. Drach. iij.
rhabarb. Drachm. ij.
Cinamomi Drachm. ß.
Conſerv. fumar.
Cochlear.
borrag. an. Unc. j. ß.

Contundenda contundantur, & affundatur aq. vel vini, vel ſeri lactis ℔. iij. *ac in vaſe duplici coq. in balneo per horas* ij. *Colaturæ exhibeantur* Unc. ij. *manè & horis duabus ante cœnam.*

Utile eſt etiam hoc medicamentū.

R. *paſſular.*
rad. polypod. q. an. Unc. ß.
jujubar.
ſebeſten an. num. vj.
Coq. in aq. Colaturæ

R. Unc. viij. *in iis infunde fol. ſenæ el.* Unc. ß.
epithym. Cret. Drachm. ij.
turbith el.
helleb. nigr. præp. an. Scrup. ß.
Zinzib.
garyophyll. an. Scrup.
in colatura diſſolvatur mannæ Unc. ß.
Iterum coletur.
F. hauſtus.

Vel paretur talis potio.

R. *rad. polypod. q.* Drachm. vj.
aſari
Cort. tamariſc.
rad. cappar. an. Drachm. ij.
Chamædr.
Capill. Vener. an. M. j.
epithymi Unc. ß.
Flor. borrag.
bugloſſ.
cichor. an. Drachm. ij.
fol. ſenæ el. Unc. j.
ſem. aniſi
fœnicul. an. Drachm. j.
paſſular. exacinatar. Drachm. vj.
Infund. in ſ. q. ſeri lactis.

in colatura Unc. vj.
diſſolve
elect. Indi, vel roſat. Meſ.
prout humoris natura poſtulat
Unc. ß.
Iterum colentur, adde ſyr. de fumar. compos. vel de cichor. cum rhabarb. Drachm. vj. M.
F. potio purgans pro 2. doſibus.
R. *rad. polypod. q.*
ſcorzoneræ an unc. ß.
Fumariæ
Cochleariæ an. M. ß.
ſem. endiviæ
aniſi
fæniculi
Carvi an. Drachm. j.
Cort. rad. cappar. Drachm. ij.
Ceterach.
Capill. Vener.
borraginis an. M. ß.
Fol. ſenæ unc. j.
agar. trochiſcati Drachm. ij.
rhabarb. Drachm. j.
Fl. cordialium pug. j.
ſpica Indica
Cinamomi an. Scrup. j.
ſchœnanti Scrup. ij.
Coq. in ſero lactis
Colatura R. ℔. j. *adde ſyr. de cichor. cum rhabarb. ſol.* an. unc. j.
ſucci cochleariæ vel ſcelotyrbici alicujus unc. j. ß.
M. pro duabus vel tribus doſibus.
Vel R. *Rad. cichor.*
petroſelini
polypod. q. an. unc. ß.
Cort. tamariſc.
rad. cappar. an. Drachm. ij.
helleb. nigr. præp. Drachm. j. ß.
Cochlear.
naſturtii aq.
becabungæ an M. j.
Ceterach
agrimon. an. M. ß.
ſem. aniſi
fœniculi
agni caſti an Drachm. j.
paſſular. unc. j.
Coq. in ſ. q. ſeri lactis caprini
in colaturæ ſ. q. infunde fol. ſenæ el. unc. j.
rhabarb. electi Drachm. j.
Flor. borrag.
bugloſſ.
geniſtæ an. pug. j.
Cinamomi
garyophyl. an. Drachm. j.
Colaturæ R. unc. ix.
ſyr. de fol. ſenæ unc. j.
fumar. comp. Drachm. vj.
cremor. tartari Scrup. j.
M. Fiat potio pro 3. doſibus.
Vel R. *Electuar. diacatholic.* unc. j.
Confect. hamech. Drach. iij.
infundantur decocto vel aq. becabung. & cochlear. unc. iij.
poſtea colentur, adde ſyr. de fol. ſenæ unc. ß.

Pilulæ.

R. *Pilular. tartarear. Querc.* Drachm. j.
F. pilulę mediocres.

Vel.

R. *pilul. aggregativ.* Scrup. ij.
tarta-

tartarear. Scrup. j.
Extract. hellebor. nigr. gr. vj.
Fiant pilulæ XXI.
Vel R. *pulv. rad. gialapæ* unc. ß.
pilular. tartarear. Drachm. j.
tartari vitriolati Scrup. ß.
pulv. ſem ſinapi
naſturtii an. Drachm. ß.
Cum ſucco abſinthii vel fumariæ vel oxymel. ſcillit. F. pilulæ quarũ Drachma ſemis ſæpius ante cœnam exhiberi poteſt.

Pulveres.

R. *fol. ſenæ* unc. ß.
epithymi
cremor. tartari an. Drachm. ij.
Cinamomi
garyophyl.
galangæ
ſem aniſi an. Scrup. j.
diagryd. Drachm. ß.
F. pulvis, doſis Drachm. j.
Vel infundantur unc. ß. in ſero lactis.

Nec incommode exhibetur pulvis ſenæ noſtræ deſcriptionis.

R. *fol. ſenæ el.* unc. j. ß.
Cremor. tartari Drachm. vj.
Cinamomi Drachm. iij.
garyophyl.
galangæ an. Drachm. ß.
diagryd. Drachm. j.
Fiat pulvis, cuius doſis Drachm. j

Poſſunt quoque huius pulveris Drachmæ ij. vel iij. pro ratione viriũ in ſ. q. ſeri lactis per noctem infundi, & colatura mane exhiberi.

Commendatur etiam ad Scorbutum extirpandum hic pulvis.

R. *Aloes, croci oriental.* an. Drachm. ij.
Myrrhæ Drachm. j.
Electuar. de ſucco roſar. in tabul. unc. ß.

Fit pulvis, cuius Drachm. j. exhibeatur mane, & iterum Drachm. j. horis duabus ante cœnam, in lacte caprino, aut ſero lactis caprini, aut in lacte, in quo naſturtium aquaticum coctum ſit. Si propter Aloes amaritiem pulvis hic alicui minus arridet, pro tabulis de ſucco roſar. ipſum electuar. ſumatur, & F. pilulæ.

Vel R. *Fol. ſenæ* unc. ß.
epithymi, polypod. q.
cremor tartari.
rad. rhabarb. monach. an. Drach. j. ß.
ſem aniſi fœnicul. Scrup. ij.
F. pulvis.

Laudatur & hic pulvis cum pituitoſus humor admiſtus eſt.

R. *Fol. ſenæ agarici trochiſc. croci.*
epithymi an Drachm. ij.
F. pulvis. Doſis Drach j. vel Drach. ij.

Paſſulæ purgantes.

Vel parentur paſſulæ purgantes.

R. *Fol. ſenæ el* unc. j.
Mechoacann. albiſſ. polypod. q. an. Drachm. vj.
Flor. cordial. an. P. j.
Cinam. unc. ß.
ſem fœniculi Drachm. j.
Glycyrrhiz. raſæ. Drachm. ß.
Ebulliant in ſ. q. aq. vel vini, & macerentur per noctem in infuſione. Colatura leniter expreſſæ. R. ℔. j. *cui adde ſacchar. alb.* unc. ij. *mannæ* unc. iij. *Coquantur*

ad ſpiſſitudinem Iulepi, cui ſub finem adde ſucci cochlear. unc. ij. *Rurſum ſemel atque iterum ebulliant. Tandem add. crem. tartari* Drach vj. *paſſular minor. lotar.* unc. x. M. *& maneant paſſulæ in infuſione*, De quibus datur unc. ß. vel j. vel unc. j. ß. pro ætatis & virium ratione. Si opus eſt, poſſunt, dum ſummuntur, gr. j. vel ij. extract. ſcammonii acui.

Bolus.

Vel R. *Electuar. diacatholic.* unc. ß.
Confect. Hamech. Drachm. ß.
Pulv. fol. ſenæ, crem tartari an. Scrup. ß.
vel Scrup. j. *Cum ſacchar. F. Bolus.*

7. *Antiſcorbutica Medicamenta* Corpore hoc modo evacuato ad fortiora aperientia, & ea inprimis, quæ morbo huic propria eſſe diximus, accedendum, & medicamenta, quæ ſale volatili abundant, ac humorum cruditatem, & deficientem coctionem, ac fermentationem corrigere, &, ut Wierus loquitur, craſſos & crudos humores penetrare, eosque ſubtiles, & tenues reddere, obſtructiones aperire, & vitioſos humores hinc inde per corpus diſperſos diſcutere, vel per urinas educere, & peculiarem illam humorum corruptionem impedire, poſſunt, uſurpanda.

Cum enim, ut ſuprà diximus, humor hic ex deficiente coctione & πνευματώσει ſalis, ac ciborum craſſorum primam originem habeat, ea ſemper medicamenta, quæ defectum illum ſupplent, & quæ ſale volatili abundant, ac humorem iſtum craſſum, & fixum volatilem reddere, & craſſis ſpirituoſam quaſi raritatem inducere, ea ſuo loco movere, ut ab utilibus facilius ſeparari, & ex corpore per convenientes vias evacuari poſſint, apta reddere valent, quæque occultum illud vitium, & peculiarem hujus humoris corruptionem corrigere valent, uſurpanda.

Medicamenta autem, quæ hæc præſtant, ſale volatili abundant, & acrimoniam quandam cum amaritie coniunctam habent; atque in ſuper longa experientia ad hoc malum profligandum plurimum poſſe, comprobata ſunt, qualia ſunt: *cochlearia*, quæ facilè primas inter iſta medicamenta tenet, & malo huic peculiariter adverſatur, ut longa experientia docuit, ſive cruda comedatur, ſive cum ſaccharo in conſervam redigatur, ſive ſuccus ejus exhibeatur, vel etiam aqua inde deſtilletur. Sale enim volatili acri, cum amaritudine quadam coniuncto, abundat: unde aperit, penetrat, crudos illos ac craſſos humores volatiles reddit, ut Chymici loquuntur, diſcutit, per urinam & ſudores expurgat, viſcera roborat. *Cochlearia.* Nonnullis Britannica dicta putatur, quod in littore Britanniæ oppoſito copiosè proveniat, ut & in aliis regionibus, quibus hic morbus Endemius. *Britannica.*

demius. Creatoris enim optimi ſapientia factum, ut, ubi ob loci naturam morbi aliqui quaſi vernaculi ſunt, domeſtica etiam remedia copioſius creſcant. Britanicam primò à Friſiis Romanis militibus monſtratam fuiſſe, refert Plinius. *Naſturtium, ejusq; ſpecies omnes*, & inprimis aquaticum, quo ad hunc morbum inter cætera utilius eſt. *Becabunga*, cuius uſum quidem nonnulli, ſi ſola uſurpetur, improbant, metuuntque, ne ſua humiditate excreſcentiæ lienis potius materiam ſuppeditet. Verùm etſi hoc ita facilimè metuendum non ſit, & ſale volatili, quem obtinet, eodem modo, ut alia antiſcorbutica medicamenta, in hoc malo efficax ſit: tamen hoc etiam fatendum, ſalem illum volatilem in cochlearia longè eſſe copioſiorem, quàm in becabunga, & becabungam plus humoris aquei obtinere, ideoque ex his duabus plantis miſtis optimum, experientia teſte, emergit remedium, & cum becabunga minus ſit calida, quàm reliquæ illæ plantæ, commodiſſimè non ſolùm ad ipſum ſcorbutum, ſed etiam ubi febris, ac calor p.n. adeſt, exhiberi, eiusque dimidia pars reliquis addi poteſt. *Raphanus ruſticanus*, nonnullis Armoracia, *chelidonium minus*, quod à Germanis peculiari nomine Schorbuyck Kreutlein appellatur; *ſedum minus*, quod illecebram vocant, ſed cum acrius ſit, minus tutum pleriſque putatur. Scripſit tamen ad me nuper vir Excell. Dn. D. Johan. Dietericus, illuſtriſs. Elect. Brandeburg. Viduæ & Berolinenſis Medicus, in Svecia Sereniſs. Sueciæ Regis Chirurgum ſibi retuliſſe, ſe in promtu habere pro copiis navalibus in maxima copia Aquam ſtillatitiam craſſulæ minoris, quæ ibi uberrimè in ſuperficie rupium ſerpit, à cuius uſu ægrotantes, qui ſcorbuto urgentur, initio valde languerent, tandem tamen mirè convaleſcerent; & tantam morbi vim potione hac ſimplici ſe levaturum largè promiſiſſe. *Numularia*, *ſinapi*, unde uſus obtinuit, & commodè fit, ut ſalſis, ac fumo exſiccatis carnibus, & piſcibus condimenti loco ſinapi apponatur; *raphanus, trifolium aquaticum, arum*. Ferunt etiam in Norvvegia, prope Bergas, celebre ob piſces venales Emporium, terram quandam rubram, ſigillatæ ſimilem, effodi, quæ ſit certum, & efficax huius morbi remedium.

Naſturtiũ. *Becabunga* *Raphanus ruſticanus.* *Chelidonium minus.* *Sedum minus.*

Alii referunt in eadem Norvvegia ad hunc morbum profligandum feliciſſime uſurpari fructum chamærubi cuiuſdam, qui ſub nomine Chamæmori Norvvegicæ à Carolo Cluſio, *in hiſtoria plantar. rarior. lib.* 1.c.85. deſcribitur. Cum autem quæ hac de re notatu digna ſunt, ex epiſtola D. Heinrici Hoieri Medici recenſeat, ea hic inſerere libet: *Ex ipſo fructu*, inquit, *Electuarium rudi Minerva, conficiunt, quotanis Norvvegi, atque Finmarchii, in hunc ferme modum.*

Chamærubi fructus.

Baccas

Baccas in fictili aut aheno, per ſe ad mediocrem conſiſtentiam coquunt, nullo alio addito liquore: cum enim ſucci plenæ ſint, molles, alieno humore irrigari non expetunt: quanquam in delicatioribus ſunt nonnulli, qui melicrati Fionenſi, (quo ſumme delectantur Septentrionales iſti) aliquid effundant. Hanc confectionem idoneis vaſis exceptam, & ne corrumpatur ab ambiente aere, butyro diſſoluto obductam, uſui ſtudioſiſſimè reſervant: nobile ſane, & probatiſſimum illis adverſus ſcorbutum remedium. Etenim non facilè credas, quæ miracula iſta gens ſola hac medicinâ faciat quotidie: ut omnino fatendum ſit, nihil ad hanc eſſe vel cochleariam illam, tot encomiis hactenus celebratam, vel becabungam, vel ſiſimbrium cardaminen & id genus alia, quibus Germani ſeſe efferunt. Et meritò admiranda ſingularis Dei benignitas, quod Nordlandiæ longius ad ſeptentrionem remotæ, & fœdiſſimis morbis ob cæli, ſoliq́; inclementiam miſerabiliter ſcatenti, indigenis remediis proſpicere voluerit. Enim verò morborum crudorum putridorum, melancholicorum mira hic ubiq́; ſeges. Idcirco neceſſitas miſeros ruſticanos varia auxilia edocuit, ut nunc vel in graviſſimis caſibus pauperculus aliquis accommodatè ſibi, ſuisq́; mederi ſciat. Ita nonnulli ſcorbuticos, quamvis ridicule, tamen bene, atq́; utiliter hunc in modum curant: In vicinam aliquam inſulam moris abundantem exponunt, ibidemq́; ſolos relictos domum non transferunt, priusquam ſanitati ſint reſtituti. Tunc enim illi, quaſi ab omni humanitate excluſi, vita tamen (quod credibile eſt) cupidi, moris veſci coguntur, ſive ut extremo remedio promiſſam ſanitatem recuperare tentent, ſive, ut ſitim, qua ut plurimum torquentur, extinguant. Dumq́; hoc ad ſatietatem agunt, ſine dubio intra paucos dies oppido convaleſcunt. Hyeme verò, quando id non licet, electuario ſuo non minus feliciter utuntur, ſine certa doſi aut cuſtodia. Alioqui toto curationis tempore nullo alio alimento utuntur. Hactenus Hoierus.

Idem Dn. Doctor Johan. Dieterus ad me perſcripſit, in Finlandia ad morbum hunc ſive debellandum ſive præcavendum in uſu eſſe Rangiferorum ſanguinem, quem, dum mactantur, manu exceptum hauriunt: An quia hoc animal abundanti paſtione chamæmori, cuius fertilis, ut fertur, eſt iſta regio, qualitatem huic morbo adverſam ſibi conciliat. *Rangiferorum ſanguis.*

Sunt præterea & alia quædam, quæ, etſi cum prioribus æqualem efficaciam non habent, & ipſa tamen ad hoc malum ſatis utilia ſunt; ut *fumaria, abſinthium, idq́; vulgare potius, quàm Romanum, ſeu ponticum*; cum non ſolum aperiat, & detergat, ſed & roboret, *carduus benedictus, cuſcuta, ceterach, ſcolopendrium, hyſſopus, capillus Veneris chamædrys, betonica, agrimonia, polypod. quernum, bugloſſum, borrago, radices helenii, oxylapathi, aſari, cortic. tamariſci, capparum, flores & ſemen geniſtæ, flores ſambucci, ſem. agni caſti, epithymum: &*, ubi febris ac calor adeſt, *cichorium, endivia, acetoſa, acetoſella, ſuccus citri, limonum, aurantiorū:* Quorum loco etiam *Spiritus Vitrilis, Vitrili, Veneris* exhiberi poſſunt. Hoc

Admonitio de medicamentis antiſcorbuticis. Hoc enim hic omnino etiam notandum, cautione quadam in exhibendis illis antiſcorbuticis medicamentis, quæ omnia ferè ſunt calida, & acria opus, opus eſſe. Nam cum iſti humori crudo, & craſſo varii alii humores in corpore abundantes admiſceri poſſint, iique ſæpe bilioſi, & calidi, ac humores in hypochondriis detenti efferveſcant quaſi, & calorem quendam concipiant, cavendum, ne medicamentis nimium calidis malum exaſperetur. Itaque non incommodè cum ſero lactis talia medicamenta exhibentur.

Rectè autem de medicamentis ſcorbuto propriis monent authores, in ſuccis maiorem efficaciam eſſe, quam in decoctis; & teſtatur id experientia. Cuius rei cauſſa eſt, quod maximam efficaciam habeant hæc medicamenta à ſale volatili, qui coctione diſſipatur, ut & in exſiccatione plerumq; evaneſcit: in ſuccis vero ut & in conſervis, ferè integer manet. Ideò raphanus ruſticanus in conveniente liquore macerandus; ex cochlearia, naſturtio, becabunga ſuccus exprimendus, vel conſerva paranda.

Extracta in ſcorbuto an uſurpanda. Multò minus hic locum habent, aut aliis præferenda ſunt, extracta cochleariæ, naſturtii, quæ quidam, ne non chymici eſſe videantur, præ aliis commendant. Etſi enim è quibuſdam plantis utilia ad ſcorbutum extracta parari poſſe, non negem: tamen ex iſtis plantis, quarũ vis maximè in ſale volatili conſtat, hoc fieri non poteſt; cum ſal iſte volatilis cum ſpiritu vini, vel quocunque alio, qui ad extrahendum adhibetur, liquore ſe ſe uniat, & avolet, & corpus ita ſale hoc deſtitutum maxima ex parte inefficax ad hunc morbum curandum relinquatur.

Ex his varia compoſita parantur, quorum aliqua recenſere libet.

Decocta & potiones.

Pauperibus propinari poteſt cereviſia in qua naſturt. aquat. cochlearia & becabunga cocta ſint. Vel eadem in lacte coquantur.

Paratu facile, & nullibi ferè deficiens medicamentum eſt hoc:

℞. *Naſturtii aquat.* M. iij. *& cum haberi poteſt, acetoſæ minoris in agris naſcentis cum toto* M. ij. *Concidantur craſſo modo, & per noctem macerentur in lactis caprini* ℔. viij. *Poſtea coquantur ad* ℔. ij. *conſumtionem, & colentur. Colatura* unc. vj. *bibat æger mane,* & horis duabus ante cænam, & medicamenti huius uſum continuet, donec melius ſe habere animadvertat.

Vel coquatur cochlearia, & becabunga in lacte dulci, ſi febris abſit; vel ſi febris adſit, in lactis ſero, & decoctum exhibeatur, quo ſolo multos ſcorbuticos ſe curaſſe teſtatur Eugalenus.

Verum cum, ut ſuprà dictũ, plantæ iſtæ coctionem fortem non ferant, in vaſe duplici, & clauſo coquendæ, aut infundendæ potius, ne ſal volatilis, à quo omnis vis, diſſipetur,

tur, aut quod commodius videtur, detur ſuccus harum plantarum in lacte, vel ſero lactis. Quo modo hiſce medicamentis vulgus in Friſia, Hollandia, & aliis locis lacti aſſuetum, quo acrimonia eorum nonnihil obtunditur, uti ſolet. Serum tamen lacte commodius eſt; cum ab eo caſeoſæ partes, quæ obſtructiones parere poſſunt, ſeparatæ ſint. Et teſtatur Eugalen. imò ipſa experientia, longe maiorem efficaciam eſſe in ſuccis quam in decoctis. Ne verò ſucci valdè ventriculum offendant, aliquid ſacchari, & pulveris cinamomi, ac aniſi addi poteſt, atque ea ipſa de cauſſa etiam conſervarum cochleariæ, & ſimilium plantarum uſus commodiſſimus eſt.

Vel R. *Cochlear. naſturt. aquat. part. aq. becabung. dimid. part. Contundantur in mortario lapideo, & in lacte caprino, vel ſero coquantur.*

Succus tamen præſtat, & ob id nõ magna liquoris copia affundenda.

Com̃endatur & decoctum abſinthii, atque hoc plurimos, qui paralyſi ſcorbutica citra febrem laborarunt, ſe ſanaſſe, teſtatur Eugalenus.

Et omninò πολυθρύλητον, & longo uſu probatum eſt medicamentũ, quod fit è *ſucco cochlear. naſturt. aquatic. ſiſymbri cardamin. & becabungæ.* Exprimitur ex his plantis ſuccus vel per ſe, vel affuſo lacte, & ſero lactis; & Unc. IV. vel unc. VI. exhibentur. Poteſt etiam aliquid aquæ cinamomi & ſacchari albiſſimi adiici.

Vel R. *ſuccor. expreſſor* Unc. ij. *ſeri lactis caprini* Unc. iij. Si adſit calor, addatur ſuccus acetoſæ.

Vel R. *Becabung. cochlear. naſturt. aq.* an. M. j. *Contundantur, & infundantur in vino Rhenano; poſtea colentur cum expreſſione. In colatura infundatur nodulus ſequens.*

R. *Sem. naſturt.* Unc. ß.
cinamom. gariophyl. macis an. Drach. j.

Detur quotidiè hauſtus.

Vel R. *Rad. raphani agr.* unc. j.
cochlear. naſturt. aq. becabung. an. M. j.
fumaria M. ß.

Contuſis in mortario marmoreo affunde lactis, vel ſeri lactis caprini lib. ß. *Stent in loco calido hor. 12. poſtea colentur: Colaturæ add. croci* Scrup. j. *cinã.* Drach. j. ß. *vel aq. cinamom.* ℥. ß. *Miſc.*

Vel paretur hoc decoctum.

R. *Rad. cichor. fœnicul. armorat.* an. unc. j.
ari præpar Drachm. ß.
cochlear. naſturt. aq. becabung. an. M. ij.
cardui benedict. fumar. centaur. minor. abſinth. an. M. ß.

In vaſe clauſo coquantur in ſeri lactis caprini vel vini Rhenani lib. IV.

Vel R. *Naſturt. aq. cochlear.* an. M. ij.
radic. raphan. agreſt. unc. ß.
galangæ, cinamom. an. Drach. ij.

Conquaſſ. omnia in mortario lapideo, & affuſa ſ. q. ſeri lactis ſtent in loco calido per noctem, mane colentur.

Et de talibus portionibus mane, & horis duabus ante Cœnã hauſtus exhibeatur; commodumque eſt, ſi æger poſt hauſtum matutinum ſumptum in lecto ſudare poſſit.

R. Vel

R. Vel *Succi Cochlear.*
Naſturti aquat. an cochlear. ij.
Chelid. minor.
acetos. an. cochl. j.
abſinthii cochl. ſ.
Miſce cum hauſtu ſeri lactis,
Aq. Cinamomi *parum.*

Utatur æger quotidiè manè ſuper ſudando per horam, vel quantum vires ferunt.

Vel R. *Cochlear.* M. j ß.
Acetos recent. M. j.
Seri lactis caprini vel vaccini q. s.
Efferveant in vaſe duplici clauſo, & ſtent infuſa donec refrigerentur.
Colaturæ R. *pro ſingulis doſibus* Drachm. jv.
Syr. è ſucco Cochlear. Unc. j.
Aq. Cinamomi Drachm. ij.
Miſc. pro unica doſi, & ſic ſingulis diebus, quamdiu opus erit.

Vel R. *Succi ſedi medii ſeu vermicularis.*
Becabungæ
Naſturtii aqu.
Cochlear. an Unc. ß.
Seri lactis capill. Unc. ij.
Croc.
Cardamomi an. Scrup. ß.
Aq. Cinamomi Drach. j.
Miſc. pro hauſtu.

Vel R. *Fol. Becabung.*
Naſturt. aq.
Cochlear. an. M. iij.
Contuſis adde
ſem. erucæ
rad. iridis noſtratis hortenſis an. unc ß.
Zingiberis
Garyophyllor. an. Drachm. j.

Coq. cum vini rubri lib. ij. Colaturæ per aliquot dies mane detur cyathus unus, ægerque ad ſudorem ſe componat.

In iis, qui frigidioris ſunt conſtitutionis.

R. *fol. Becabung.*
naſturt.
Cochlear. an. M. ſ.
Cinamomi
galangæ
croci an. Scrup. ij.
ſpicæ Indicæ Drachm. ß.
Macerentur in vini albi ſextariis ij.

Factaque leni ebulitione colentur. Colaturæ mane & veſpere hauſtus ſumatur.

Vel R. *Cochlear.*
Becabung.
naſturt. aq. an. M. j.
radic. raphan. agreſt. Unc. j. ß.

Contundantur in mortario marmoreo, & affund. lactis caprini q. ſ. & benè miſceantur. Stent in infuſione horis XII. *poſtea Coq. boræ ſemiſſe in vaſe duplici.*

Coletur, & exhibeatur. Doſis unc. VI. mane, & horis duabus ante cœnam.

Si ventriculus ſit debilis aliquid cinamom. vel Zinziber. addi poteſt. Et ſi corpus ſit frigidius, & œdematoſum, maceratio, & coctio in Vino Rhenano fieri poteſt.

Semen erucæ contuſum, & in nodulo ligatum, ac in vino maceratum etiam ad curandum ſcorbutum utile eſt,

Vel ℞. *Rad. polypod. q.*
cichorii an. unc. j.
rhapontici,
raphani ruſtican. an. unc. ß.
ari præpar. Drachm. ij.
naſturt. aq.
fumariæ
abſinthii
Ceterach an. M. j.
Coq. in ſero lactis in vaſe duplici, & Colatura ſaccharo, ſi placet, dulcoretur.
Vel ℞. *ſem. erucæ* Drachm. ij.
naſturt. aq.
abſinthii an. Drachm. j.
Ceterach M. j.
linguæ cervinæ M. ß.
Croci Scrup. j.
Cinamomi Drachm. j. *Aſſundatur vini q. ſ.*

Nonnulli & cortices radicis juglandis cum naſtu tio copioſiore coctas commendant.

Kecenſet Wierus & alia quædam medicamenra, quæ iis in locis, ubi Scorbutus familiaris eſt, vulgò uſurpari ſolent. Hoc remedio infinitos curatos ſcribit:

℞. *Abſinthii vulgaris*, *granor. juniper. contuſor.* an. M. j. *lactis caprini menſur.* j. *vel* ℔. iv.
Coq. ad tertiæ vel quartæ conſumtionem. poſt colentur cum forti expreſſione.
Colaturæ add. croci Drachm. ß. *vel* Drachm. j. *& ſemel atque iterum rurſum ebulliant, & denuo colentur.* Deinde huius hauſtus tepidus ter de die propinetur, mane, hora 3. pomeridiana, & cubitum ituro.

Alii, hoc uſurpant:

℞. *Becabung. naſturt. aq.* an. M. iij.
Contuſis adde ſemin. erucæ.
radic. iridis cæleſtis an. unc. ß.
Zinziber. Drachm. ij.
piper. longi Drachm j.
Poſtea affunde menſur. dimid. vini rubr. & colentur. de quo mane detur hauſtus; ægerque in lecto tectus ſudet, idque continuetur 9. diebus.

Idem Wierus in Friſia Orientali hunc potum ingratum, & abominabilem in uſu eſſe dicit:

℞. *Vini Rhen. menſur.* vj. *deinde* ℞. *rad. raphani agr.* Unc. iij. *quæ contundantur, & contuſis affundatur pars vini, & hora j. macerentur, poſtea colentur, & Colatura cum vino reliquo miſceatur. In huius vini parte aliqua diſſolve ſtercoris taurini & anſerini (pro quibus malim ovillum ſubſtituere, quo in ſero lactis diſſoluto, & colato febres iis in locis, proculdubio ſcorbuticas, à quibusdam curari audio) ana partem, quæ tres nuces juglandes æquet: diſſolutum coletur cum forti expreſſione, & Colatura cum reliquo vino miſceatur, in quo ſuſpendatur in nodulo lior. 42. pulveris nucis moſchat. & gariophyllor.* an. Drachm. ij. Hunc potum, quoties ſitit, ægro exhibent, & nullum alium potum præbent. Ubi febris & calor coniunctus eſt lac ebutyratum, & appellant, in quo cochlearia & becabunga cocta ſint, vel cum ſucco earum exhibeatur.

Syrupi.

Syrupus ſceletyrbicus Foreſti hic eſt.

℞. *ſucci*

℞. *ſucci cochleariæ*
becabung. an. lib. iij.
ſacchar. optimi lib. ij.
Coquantur ſimul & ſ. a. F. Syrupus.

Syrupus cohleariæ compoſitus, Vratislaviæ uſitatus, & olim à Reip. illius Medico ordinario, D. Caſparo Packiſchio præſcriptus.

℞. *herb. cochlear.*
naſturt. aq.
agrimon.
S. ii. Aq.
aſpleni
hemionitid.
ſalviæ
Capill. Vener.
chamædryos
praſſii
fumariæ
veronicæ
pentaphylli
fol. ebuli an. M. j.
ſem. aniſi
fœniculi
naſturtii
apii
petroſelini
pulpæ ſem. bruſci,
aſparagi an. Drachm. j.
melonum Drachm. ij.
rad. filicis
menthæ
aſparagi
pimpinellæ
borraginis
buglosſ
polypod.
tuſſilaginis
glycyrrhicæ
taraxaci
Cort. rad. cappar. an. Drachm. j. ß.
flor. hepaticæ
borrag. an M. ß.

Horum omnium ſ. a. decoctio in ſ. q. Aq. naſturt. Aquat. ad remanentiam unc. *XL Stent in decoctione uſque ad infrigidationem. Colentur cum forti expreſſione. Colaturæ adde ſacch. rubr. opt.* ℔. iij. *Bulliant lentiſſimo igne ad ſpiſſitudinem Syrupi. Clarificentur & aromatozentur, cum ſubſcripto nodulo, qui* ℞. *pulv. rhabarb.* Drachm. iij. *cinam.* Drachm. j. *garyophyl. macis* an. Scrup. ij.

Aquæ deſtillatæ.

Quibus decocta non arrident, iis aqua deſtillata cochleariæ, naſturtii aquat. vel aquæ compoſitæ Scorbuticæ exhibeantur. Et ſemper danda eſt opera, ut ad talia medicamenta æger ſudet.

Aqua ſcorbutica à Quercetano, *cap. 7. Pharmacop.* deſcripta hæc eſt.

℞. *Cort. cappar.*
tamariſci
fraxini
rad. polypod. q. an. unc. ij.
Herb. cochlear.
naſturtii aq.
ſummitatum Meliſſæ
eupatorii Meſuæ
Ceterach
Chamadr.
Chamæpit. an. M. ij.
ſem. aniſi
fœnicul

*Carduibened.*an. Drach.j.ß.
flor. Geniſtæ
Centaur.min.
hyperici
ſambuci
*epithymi*an. pug.ij.

Omnia macerentur per tres dies, in aquæ fumariæ ſeri lactis an.lib.iij *vini albi generoſi* lib.iv. *oxymelitis ſcillitici* lib.j. *Dein colentur & exprimantur: expreſſioni adde Trochiſcorum de capparibus, dialaccæ* an. Drachm. vj. *Poſtea deſtillentur per cineres ad ſiccitatem.* Doſis unc.ij. mane tribus horis ante cibum, continuando per aliquot dies ſecundum morbi magnitudinem.

Aqua ſcorbutica Tobiæ Dorncreilii hæc eſt.

R. *rad.raphani ſylv.acerrimi* lib.xv.
polypod.q.mundi Unc.j.ß.
*Cort.rad.cappar.*Unc.ß.
ſem.fœniculi Unc.j.
Cardamomi Unc.ij.
Croci orientalis Drachm.j.

Radices Raphani incidantur in orbiculos tenuiſſimos; reliqua verò pulverizentur ſubtiliſſimè, & ſimul infundantur in vini Rhenani albi lib.xvj *& ſtent in infuſione in loco calido per octiduum, vaſe quotidiè ſemel atque iterum exagitato. Deinde adde aquæ Cochleariæ, Becabungæ, Naſturtii aquatici* an. lib.j.ß. *Chamædryos veræ, fumariæ compoſit.* an. lib.j. *Seri lactis caprini* lib.j.ß. *Miſce & deſtillentur in balneo Mariæ igne lentiſſimo.*

Noſtræ aquæ ſcorbuticæ hæc eſt deſcriptio.

R. *Cortic tamariſci*
fraxini
rad.cappar.
rad.polypod.q.
aperient. an.Unc.j.
gentianæ Drachm.vj.
helenii
ari
Cort.citri an. Unc.ß.
raphani agr. acerrimi minutim inciſi lib.j.
Chamædr.
Chamæpit.
*Carduibened.*an.M.j.
trochiſc. de abſinthio
Cappar. an. Unc.j.
ſem erucæ Unc.ß.

Infunde per dies quatuor in aq. cuſcutæ & Carduibenedict. an. ℔.ß.
Vini Rhenani lib.iv.
poſtea adde
ſucci cochleariæ
naſturt.aq.
becabung.
fumariæ an. Unc.viij.
deſtillentur.

Aqua antiſcorbutica Dn. D. Michael Doringii Phyſici Vratislavienſis.

R. *Herb.cochlear.*
becabung.
naſturt.aq.
nummulariæ
chelidon.minor(vel in defectu rad.eius)
barbareæ ſive accipitr. an.M.j.
*flor.cordial.*an. Drachm.ij.
Calendulæ Unc.ß.
rad.Gentianæ Unc.j.ß.
Calami aromat. Drach. vj.
helenii

helenii
ari an. Unc.ß.
Cort. citri ſiccor.
aur. ſiccor. an. Drachm. iij.
trochiſc. de eupator Drachm. vj.
ſem. cuſcut. Unc. ß.
Cochlear.
naſturt. aq.
aniſi
fœnicul. an. Drachm. ij.

Infundantur per triduum in aq fumariæ, cuſcutæ carduibened. an. lib. iij. *vini albi generoſi* lib. ij. *aq. noſtræ meliſſæ comp.* lib. ß. F. *ſ. a. in vaſis vitreis per B. M. deſtillatio, ſuſpendendo in alembico nodulum è ſpecier. diambr.* Drachm. ij.

Aqua meliſſæ compoſita, qua potiſſimum apud fæminas ad cor & uterum roborandum, flatus diſpellendos, & id genus affectus utitur, hæc eſt.

R. *Herb. meliſſæ veræ* M. vij.
Carduibened.
Flor. Calendulæ an. M. j. ß.
Cort. citri ſiccor. Drachm. vj.
Cinamomi acutiſſimi unc. ß.
rad. angelicæ
Calami arom.
pimpinellæ an. Drachm. ij.
Croci integri. Drachm. ij.

Infundantur in vini Vngarici opt. quart. iij. *vini deſtillati rectificati* unc. iij. *Stent in confuſione per dies quatuor, quotidie agitando.* Poſtea deſtillentur per B. M. *in vaſe vitreo.*

Alia eiuſdem.

R. *Herb. cochlear.*
becabung.
naſturt. aq.
fumariæ
verbenæ
Chamæpit. an. M. j.
flor geniſtæ
hyperici
borrag.
bugloſſ. an. M. ß.
rad. helenii
chelidonii maior. (de quo ſe vere affirmare poſſe teſtatur, ſe eius ſolius ſucco expreſſo cum vino vel cereviſia exhibito apud pauperes ſemel atque iterum lienem tumentem ac dolentem perſanaſſe) an. Drachm. vj.
Cort. citr. unc. ß.
trochiſc. de rhabarb. Drachm. vj.
ſem. cuſcutæ unc. j.
aniſi
fœnicul. an. unc. ß.
Galangæ Drachm. vj.

Infundantur per triduum in aq. fumariæ
cuſcutæ
Carduibened.
vini albi generoſi
malvatici an. lib. j. ß.

F. *ſ.* a. *in vaſis vitreis deſtillatio, ſuſpendendo in alembico nodulum ex ſpecierum diambræ* Drachm. ij.

R. Vel *ſucci ſedi med.* lib. ß.
Cochlear. lib. j.
Vermicularis ſeu ſedi minor. unc. iij.
Angallid. aquat. ſeu becabung.
naſturt.

Naſturtii aquat. an. ℔. ß.
Nummulariæ unc. iij.

Succi hi optimi depurentur per digeſtionem in balneo roris, deinde digerantur cum rad. acori vulg. unc. IV. *benè inciſar. per duos dies naturales, poſtea exprimantur. Colentur optimè. Adde ſacchari parum vel q. ſ. Deſtillentur in balneo vaporoſo, vaſis benè occluſis, ad conſiſtentiam mellis.* Aqua per ſe ſervetur, ſeroſim etiam extractum. Ex capite mortuo ſeu herbis reſiduis ſal arte extractus & ipſe ſervetur.

Vel R. *rad. ſcorzoneræ*
ſarſæparillæ an. unc. ij.
Cort. tamariſci
fraxini an. unc. j. ß.
Cochlear. recent.
naſturt. aq.
becabungæ
nummulariæ
agerati
Chamædr
Chamæpit.
Ceterach
meliſſæ an. M. ij.
ſem. Cardui Mar.
aquileg
Carduibened. an. unc. ß.
fœnicul Scrup. ij.
flor. geniſtæ
hyperici
ſambuci
Centaur. min. an. M. j.

Infundantur in ſeri lactis
aq. fumariæ vel
naſturt. aq.
vini albi generoſi an. lib. IV. *deſtillentur per cineres. Liquoris mane* unc. ij. *exhibeantur.*

Vel. R. *Cochlear.*
naſturt. aq.
becabungæ an. M. IV.
nummulariæ
abſinthii
fumariæ
ſcordii
perſicariæ
meliſſæ
Chamædr.
Chamæpit. an. M. j.
ſarſæparillæ
ligni Guaiaci an unc. iij.
aq. naſturt. aq.
agrimon.
vini albi an. q. ſ. *deſtillentur.*

Vel R. *fol. naſturt. aq.*
cochlear. an. M. ij.
abſinth.
ſedi Minor. an. M. IV.
radic. raphan. agr. in orbiculos conciſ. ℔. IV.
ſcorzoneræ unc. j.
Cort. rad. cappar.
tamariſci an. Drachm. iij.
ſem. fœniculi Drachm. VI.
granor. Paradiſi
Cardamomi
croci an. Drachm. j.

Affunde Rhenani vini ℔. XVI.
aq. chochlear.
fumar. an. lib. j.
ſeri caprini lib. ij.

Stent in balneo tepido per diem, poſtea deſtillentur. Detur deſtillatum continuis diebus ad unc. iij.

Vel R.

Vel. R. *Cochlear.*
becabung.
naſturt. aq.
perſicar.
nummular. an. M. j.
Chamædr.
Chamæpit.
ſcordii an. M. ß.
rad. helenii
filicis
ireos
aſari
ſcorzoneræ
ſarſaparillæ an. unc. ß.
Cort. tamariſci
Cappar.
fraxini an. Drachm. ij.
flor. ſambuci
borrag. an. M. ß.
granor. juniperi contuſor. unc. iij.
Cort. citri
Cinamomi an. Drachm. iij.
Croci
ſpicæ Indicæ an. Drachm. ij.
ſem. erucæ
urticæ
fœnicul. an. Drachm. ß.
Affunde aq. bugloſſ.
meliſſæ
naſturt. aq. an. part. iij.
ſucci limonum
aceti tunic.
ſambuci an. part. j.

Digerantur diebus aliquot in vaſe clauſo. Poſtea exprimatur ſuccus: Expreſſus in B. ad ſapæ conſiſtentiam deſtilletur. Remanentia affundatur Aqua deſtillata, oxymel. ſcillit. ℔. j. *vini* ℔. iij. *diebus aliquot digerantur, iterumq; deſtillentur.*

Spiritus.

Spiritus. Efficacior eſt Spiritus harum plantarum, id eſt, liquor ex viridi planta exſtillans, per crebram deſtillationem ab humore aqueo maxima ex parte ſeparatus, ac ſale volatili abundans, odoremque lixivii fere exhibens.

Extracta liquida, ſeu Eſſentiæ.

Extracta liquida & Eſſentia. Commendat Ronſſeus *& abſinthii, cochleariæ, fumariæ, chamædr, tincturam,* aut eſſentiam, eamque in morbis Melancholicis, & qui iam radices multos annos fixerant, plurimũ potuiſſe, ſe compertum habere ſcribit; & Nobilem quendam, qni multos annos flatibus hypochondriacis laboraſſet, ac vere, & Autumno variis, multisque pharmacis ſe maceraſſet; tandem ſola fumariæ, & chamædryos quinta eſſentia, ut appellat, minimo negotio reſtitutum fuiſſe, & hoc ceu domeſtico, ac familiari medicamento ad annos plus minus 12. ad morbi præcautionem felici ſucceſſu uſum fuiſſe, refert.

Paratur autem hæc tinctura, ut & *lib. 5. Inſtit. part. 3. ſ. 3. c. 9.* docuimus, ſi ſpiritu Vini optimo herbæ macerentur, donec tincturam, ſeu viriditatem herbarum imbibat, deinde reiectis iis herbis, novisque additis infuſio repetatur, idque ter, vel quater, donec ſpiritus Vini tinctura, & eſſentia plantarum ſaturatus ſit; cuius tincturæ ægro mane parvum cochleare propinetur. Tincturis his cognati ſunt liquores, quos nonnulli

N eſſen-

eſſentias nominant. Ex plantis convenientibus, cochlearia, fumaria & ſimilibus exprimitur ſuccus, qui in Baln. digeritur, donec ſedimentum craſſum ſubſideat, & reliquus ſuccus clareſcere & rubeſcere incipiat. Tum quod clarum eſt per inclinationem à fecibus ſeparatur, atque iterum digeritur, donec feces nullæ amplius ſubſideant. Vt diutius aſſervari poſſit hic liquor, libræ uni ſacch. unc. iij. addi, & per diem in Baln. calore ad Syrupi conſiſtentiam coqui poſſunt.

Mixtura.

Poteſt & ad hoc malum debellandum mixtura talis parari.

℞. *Spiritus tartari compos.* quem vulg. miſturam ſimp. nominant, unc. ij.
Extr. granor. juniperi Drachm. ij.
pimpinellæ
Calami arom. an. Drachm. ß.
Croci Scrup. ß.
eſſentiæ vel in defectu
ſucci vel ſyr. cochlear.
naſturt. aq. an. unc. ij.
ſyr. cinamomi unc. ß.
fumariæ
acetoſ. citri an. unc. j.
Miſceantur omnia exactè digerantur, colentur à doſis Drachm. j. ad Drach. iij.

Electuaria.

Vel ℞. *Conſerv. cochlear.* unc. ij.
Chamædr.
acetoſæ
cichorii
rad. helenii condit. an. Unc. ß.
Cum ſyr. acetoſ. citri & endiviæ vel byzant.
F. Electuarium.

Vel ℞. *Conſerv. fumar.*
Cochlear. an. unc. j.
abſinth.
borragin.
rad. condit. pimpinellæ
cichor. an. unc. ß.
ſpec. diarrhod. abbat.
diaglris an. Drachm. v.
Cum ſyr. acetoſ. citri
F. Electuarium.

Vel ℞. *Conſerv. Cochlear.* unc. iij.
fumar.
flor. geniſtæ
borrag.
meliſſæ an. unc. j. ß.
Cort. citri condit.
nucis Indic. condit. an. unc. j.
extr. gran. juniperi Drachm. iij.
confect. alcherm. Drachm. j.
Cum ſyr. cochlear. vel ſceletyrb.

Pulveres.

In corporibus frigidioribus hic pulvis uſurpari poteſt.

℞. *Cubebar.*
macis
granor paradiſi an. Drachm. ß.
ſem. erucæ Drachm. iv.
croci Drachm. ij.
F. pulvis.

Doſis Drachm. j. cum lact. caprini unc. iv. mane & veſperi.

Laudatur & hic pulvis.

℞. *Cinamomi opt.*
nuc. moſch.

ſem.

ſem. naſturt. aq. an. Drachm. ij.
croci Scrup. ij.
F. pulvis.

Doſis Drachm. j. cum aq. cochlear. vel fumariæ, dulcoratis Syr. fumar. vel cochlear.

Non ſine fructu etiam in Scorbuto exhibetur pulvis ille D. Birckmanni, quem, eiusque vires Quercetan. *pharmacop. dog. reſt. lib.* 1. *c.* 20. deſcripſit, qui ſi libet, additione ſalis naſturt. cochleariæ, ſem. erucæ, croco & aliis huic morbo accommodatior reddi poteſt. Paratur autem hoc modo.

℞. *rad. ari præparat. ut Quercetan. ibi docet.* unc. ij.
acori vulg. (forſan acori veri, vulg. calami aromatici dicti)
pimpinellæ an. unc. j.
oculor. cancr. præp. unc. ß.
cinamomi Drachm. iij.
ſalis abſinthii
juniperi an. Drachm. j.
ſacch. roſ. q. ſ.
F. pulvis.

Vel ℞. *rad. ari præpar.* Drachm. ij.
pimpinellæ
calami. arom.
ligni rhodii an Drachm. ß.
nummulariæ
flor. geniſtæ
ſem. naſturt.
erucæ
fœnicul.
Carvi an. Scrup. ij.
garyophyl.
cubebar.
zingib. an. Scrup. j.
Cinamomi Scrup. ij.
ſalis fraxini
tamariſci
abſinthii an Scrup. ij. ß.
rotul. diarhod. vel diaplirïs ad pondus omnium.
F. pulvis.

Rotulæ & morſuli.

Poſſunt ex pulveribus rotulæ & morſuli formari, additis ſpeciebus diapliris, diarhod. diatrionſantal. confect. de hyacintho, cordial. temper. trochiſc. de capparibus. *Rotulæ & morſuli.*

Poſtquam aliquoties hæc medicamenta uſurpata fuerint, utile eſt, ſi morbus non cedat, purgationes ſupra præſcriptas repetere, præcipue ſi alvus officium non faciat, & deinde iterum ad horum medicamentorum uſum redire, quæ tum inſenſibiliter per urinas, & ſudores vitioſorum humorum reliquias evacuare, & diſcutere valent; qua in re quò Natura vergat, videndum, eiusque conatui à Medico ſuccurendum, ut mox dicetur.

Non etiam incommodus eſt uſus Acidularum, cum & illarum potus materiam ſcorbuticam evacuare, & abſumere poſſit, præcipue ferratarũ, cum aliàs Martis in obſtructionibus Lienis ſummum ſit remedium; de qua re videatur Epiſtola Ronſſei; quam de quæſtione, An Acidulæ ſcorbuto conveniant, ſcripſit. Si vero fontium acidulorum copia non 8. *Acidulæ.*

 detur,

Chalybs præparatus detur, Chalybs præparatus, & Crocus Martis aperiens illorum loco uſurpari poſſunt. Vim enim & obſtructiones viſcerum, præcipue lienis aperiendi, & alvum movendi in chalybe eſſe, non ſolum recentiores, Fallopius, Crato, Platerus, Guielh. Fabritius, & alii deprehenderunt, ſed etiam olim Dioſcorides, *lib.*5.*c.*50. vim alvum movendi ſquamæ Stomomatis ineſſe annotavit.

9. *Vrinam cientia.* Vt reliquæ e corpore exterminentur, videndum, quò natura vergat. Quæ circa primas vias lienem eſt materia, ſæpe ſatis commode per urinas, quæ craſſæ & nigræ tum redduntur, evacuatur. Itaque ſi materiam ad vias urinæ vergere videmus, idoneis medicamentis ea adiuvanda; quem in uſum pleraque medicamenta contra ſcorbutum pugnantia utilia ſunt, & inter ea fumaria. Et omnino diuretica, præcipue ex ſcorbuticis illis, habent magnam vim hunc morbum curandi. Vnde Hipp. *de internis affect.* lienoſis diuretica dare præcipit. Et Galen. 1.*ad Glauc. c.*11. in omni quartana jubet uti diureticis, *&* 2.*ad Glauc.* 11. lienem per urinas purgat, & 7.*de ſimp. med. fac.* cappares lienem per urinas purgare ſcribit. De via ut ſoliciti & anxii ſimus, opus non eſt. Eſt ea ſatis manifeſta & compendioſa per arterias. Habet enim lien illas copioſas, per quas brevi via ad vias urinarias ſuperflua è liene evacuari poſſunt. Vallertius, *ad Hollerium libr.* 1. *cap.* 40. recitat hiſtoriam religioſi cuiuſdam, cui ter, aut quater in anno intumeſcebat lien, cum dolore eius lateris totiusque abdominis tumore incipiente. Hic tandem nigris erumpentibus urinis, atramento ſimilibus per quinque aut ſeptem dies continuantibus, priſtinam recipere ſolitus incolumitatē.

Præter alia autem hic etiam utilia ſunt, ſem. quatuor frigida maiora, eruca, radic. valerianæ, cortic. radic. cappar. & tamariſci, leviſtic. baccæ juniperi.

Quæ verò in ambitu corporis hęrent reliquiæ, eæ cum ſenſibiliter tum inſenſibiliter diſcutiendæ ſunt. 10. *& balnea. Sudorifera.* Ad eas ſenſibiliter diſcutiendas balneum, & Laconicum inſtitui poteſt; in aqua autem balnei coquantur, folia, & radices malvæ, brancæ urſinæ, becabungæ, naſturt. aquat. artemiſia, flores meliloti, chamæmeli, betonica, abſinth. grana juniperi, ſemen lini, baccæ lauri; ægerq; in balneum, vel Laconicum diſcenſurus ſumat decoctum vel ſuccum, vel aq. acetoſæ, becabungæ, naſturtii, cochleariæ, fumariæ cum Vino, cui ſalis abſinthii, vel carduibenedict. Scrup. j. addere commodum eſt: vel ſumat rob. ſambuci Drachm. iij. ſalis abſinthii carduiben. Scrup. j. cum aqua fumariæ, cochleariæ, naſturtii, carduiben. pimpinellæ; vel pulveris pimpinell. Drachm. j. cum aq. fumariæ; vel etiam aliquid theriacæ, aut mithridatii. Poſtea decocto herbarum modò enumeratarum totum corpus abluatur,

tur, ac herbis ipſis coctis fricetur. Eadem etiam extra balneum, ut æger in lecto ſudet, exhiberi poſſunt, atque eum in finem uſurpari etiam decoctum Guaiaci, ſarſæ parillæ, Chinæ, antimon; diaphoretic bezoarticum minerale.

Salomon Albertus ad ſudorem ciendum hoc pharmacum exhibet;

℞. *Gentianæ* Scrup. j.
Rad. aſari Drachm. ß.
Cinamom. Scrup. j.
Piperis, Zinziber. an. Scrup. ß.
Myrrhæ Scrup. j.
Croci gr. iij.

Cuius pars una detur in balneum ſe demittenti; alterum è balneo exeunti cum unc. iij. huius potiunculæ.

℞. *Acetoſell.*
becabung.
fumariæ
naſturt. aq. an. M. ß.
Contuſa in mortario marmoreo macerentur in vini albi ℔. j. *exprimatur ſuccus.*

Vel ℞. *gentianæ* Drachm. ij.
Calam aromat.
piperis
Zinzib. an. Drachm. j. ß.
myrrhæ rubræ Drachm. ß.
Croci gr. xv.

Detur Drachm. j. ingredienti balneum, & tantundem egredienti cum liquoris ſequentis unc. iij.

Vel ℞. *Becabung.*
ſiymbrii
cardamines
fumariæ
acetoſ. an. M. j.
Contundantur in mortario lapideo, & cum vini Rhenani ℔. j. *exprimatur ſuccus.*

Ad ſudorem etiam miſtura ſimpl. exhiberi poteſt, vel Aq. theriacalis.

Vel vice Laconici, aut balnei in lecto æger ſtragulis opertus ſudet iiſdem, vel hac potione aſſumta:

℞. *Naſturt. aq.*
becabung.
Cochlear. an. M. j.
Contundantur in mortario marmoreo, & ſuccus exprimatur, adde
piper. longi
Zinziberis
ſem. erucæ
ſinapis an. Drachm. ß.
Affundatur vini ſextarius, vel paulo plus. Succi expreſſi calefacti exhibeantur unc. v. mane per dies aliquot. Et plerumq; plus ſudationibus, quam purgationibus, ac venæ ſectione perficitur.

Si venter, & crura intumuerunt, tale decoctum ad ſudandum parari poteſt:

℞. *Abſinthii*
rutæ
matricariæ
chelidon. minor.
leviſtici cum toto, an. M. ij.
fl. chamæmil. M. j.
ſem. erucæ M. j. ß.
ſulphuris unc. ß.

Coq. in ſ. q. vini quo lapides igniti perfundantur, vel fumus membris tumidis excipiatur.

Aut ſi æger ob debilitatem balneum tolerare non poſſit, paretur

 hoc

hoc decoctum, quo linteamina imbuantur, iisque calidis corpus ſæpius abſtergatur.

℞. *Ligni Gvaiaci*
Cort. berber.
ſambuci
ſem. erucæ an. ℔.ß.
matricariæ ℔.ij.
nitri, *aluminis* an. unc.iij.
vini q.ſ.

Tandem cum â colluvie pravorum eorumque vaporibus viſcera, inprimis lien, epar, ventriculus, ut & cor, pulmones, cerebrum labefactari, iisque prava diſpoſitio imprimi ſoleat, neceſſarium eſt, ut contra has iniurias viſcera roborentur, & licet pravitas humorum devicta ſit, humoresque pravi è corpore exturbati, membris, quæ labefactata & a naturali conſtitutione deiecta ſunt, ſuccuratur iis remediis, quæ labem impreſſam eluere, ſpiritus inſtaurare, viſcerumque tonum reſtituere valent.

II. *Roborantia.* In hoc vero negotio expediendo obſervandum, quæ pars præcipue in conſenſum trahatur, quamque inprimis humores vitioſi occuparint; ideoque ex antiſcorbuticis medicamentis ea eligenda, vel iis admiſcenda, quæ viſcera, & coctioni publicæ dicatas partes roborare valent. Itaque ne nauſea aliquam a medicamentorum uſu concilietur, & ventriculus à vitioſis humoribus, quos in eum Lien, & vicinæ partes eructant, & flatibus, ac vaporibus, qui ex alvo, & viciniis locis in eum aſcendunt, flacceſcat, & in ſuo officio deficiat, roborandus *abſinthio*, cuius vel ſummitates in potu macerandæ, vel conſerva exhibenda, conſerva *roſar. ſ. vel Vitriol. myrobal. chebulis condit. zingibere & cortic. citri conditis, nuce* Indica *condita, ſyr. de cinamomo, rob juniperi, ſpec. aromat, roſat. diambræ, elixir. proprietat.* *Ventriculũ*

Neque externa negligenda, cerotum ſtomachale, ol. menthæ, maſtiches, macis, garyophyll. abſinthii, balſamum Indicum, ſacculi ſtomachales & ſimilia.

Ad epar roborandum uſurpari poſſunt, *agrimonia, ageratum, chamædrys, epatica, ſpica nardi, abſinthium, ſpec. diapliris, electuar. de vino Hollerii, diapaſſulatum eiuſdem, Aquæ epaticæ & ex epate vituli deſtillata*, & ubi aliquis calor coniungitur, *cichorium, ſpec. diarhod. diacrion ſantal.* *Epar.*

Extra etiam fomenta, linimenta, emplaſtra applicentur, quæ epar roborant, eiusq; tonum conſervant.

Ad lienem *ceterach. lingua cervina, chamæpitys, cortic. radic. cappar. tamariſci, ſyr. de pomis, de fumaria, de ſcolopend. crocus & tinctura Martis, extractum ſplenetic. Quercetan. Aq. ſplenetic. compoſ. aqua ſchœnanthi* Tabernamontani, *trochiſci de cappar. pulvis diacappar. Rondeletii, oxymel. ſplenetic. eiusdem, el. de chalybe.* Extra etiam convenientia medicamenta uſurpentur. *Lienem.*

Ad cor roborandum *confectio, alchermes, conſerva borraginis, bugloſſ. fl.* *Cor.*

tunicis,

tunicis, meliſſæ, cortic. citri condit. fl. citri condit. nux Indic. condita, ſyr. de cortic. citri, tunicis, de cinamom ſpec. cordial. temper. confect. de hyacintho. el. de gemm. diamarg; quibus omnibus admiſceatur cochlearia.

Foris; *ol. citri, cortic. aurat. benzoes, macis, garyophyl. cinamom. balſamum indic. & idonea unguenta, linimenta ac ſacculi.*

Pulmones. Ad pulmones, *Hyſſopus, capill. Veneris radic. helenii, conſerva roſ. vero nicæ, fl. iridis, radic. condit. helenii, ſpec diaireos, rob. juniperi, aquæ & extract. pectoralia.*

Ex.gr. ad Epar, & Lienem paretur hoc Electuarium.

R. *Conſerv. cochlear.* Unc. j, ß.
chamædr.
ſcordii
cichorii an unc. j.
rad. condit. helenii Unc. ß.
ſpec. diarrhod. ab diapliris an. Drach. ß
Cum ſyrup. acetoſell. F. Electuarium. Vel hæc rotulæ parentur.

R. *Spec. diarrhod. abbat.* Scrup. iv.
diatrion ſantal.
trochiſcor de cappar. an. Scrup. ij
Sacchari in aq. naſturt. & agrimon. diſſolut. Unc. ij. F. Rotulæ.

Lien fomentetur decocto *flor. geniſtæ, tamariſc. rutæ, urticæ, naſturt. aq. & ſimilium.* Poſtea iungatur tali, vel ſimili unguento.

R. *Ol. de cappar.*
rutac.
amygdal. amar.
ſambuc. an. unc. ß.
ſucci bryoniæ
filicis
nicotianæ veræ an. Drach. vj.
Coq. ad ſuccorum conſumtion. adde pulvis ſubtilis radic. aſari
cyclamin.
Cort. rad. cappar.
ſem. agni caſti an. Scrup. ij.
Ceræ q. ſ. F. Linimentum.

Vel paretur cataplaſma ex radice bryoniæ cocta in vino ad mollitiem, contuſa, & cum farina lupinorum, & hordei, ac oleo de cappar. in formam cataplaſmatis miſta.

Et ſi tumor, ac durities aliqua Lienis adſit, debito modo curetur.

CAPUT.

CAPUT. VIII.
DE
CURATIONE SPECIALI
Aliquot affectuum, qui Scorbuto conjunguntur.

1. *Regula generalis in curatione affectuum ſcorbuto conjunctorum obſervanda.*
2. *Curatio difficilis reſpirationis & pectoris anguſtiæ.*
3. *Gingivarum, dentium, & oris vitiorum.*
4. *Macularum.*
5. *Dolorum.*
6. *Arthritidis.*
7. *Stuporis, tremoris, paralyſis, convulſionis.*
8. *Contractionis & rigiditatis membrorum.*
9. *Somni nimii.*
10. *Lipothymiæ.*
11. *Fætoris anhelitus.*
12. *Vomitus.*
13. *Sputationis nimiæ.*
14. *Alvi fluxus.*
15. *Caloris nocturni.*
16. *Febrium.*
17. *Tumorum durorum.*
18. *Eryſipelatis.*
19. *Hydropis.*
20. *Tumorum peſtilentibus ſimilium.*
21. *Vlcerum.*
22. *Atrophiæ.*

Etſi

Tſi verò plerumque ſi legitima, & modo iam præſcripto curatio inſtituatur, ſymptomata, ac morbi, qui ſcorbutum comitantur, evaneſcere ſoleant ſponte, idque maximè in ſcorbuto nondum inveterato accidat: ſi tamen malum radices jam egerit, & humores vitioſi partem aliquam altius obſederint, peculiaribus interdum ad aliquos morbos, ac ſymptomata profliganda remediis opus eſt. Ideoque aliquid de quorundam affectuum, qui cum ſcorbuto coniungi ſolent, curatione addemus.

1. *Regula generalis curandi affectus ſcorbuticos.* Et quidem generalis lex curandi hoſce morbos eſt, ut adhibeantur medicamenta, quæ aliàs morbi iſti vel ſymptomata, quando urgent, poſtulant: his verò admiſceantur, quæ peculiari vi huic morbo adverſantur. Nullus enim morbus, qui cum ſcorbuto coniungitur, integrè curatur, niſi ſimul ſcorbutus curetur, & medicamenta ſcorbutica admiſceantur, teſtaturque experientia, medicos ſæpe in tertianis, quartanis, hydrope, ictero & aliis morbis, qui latentem ſcorbutum coniunctum habent, curandis fruſtra laborare, iis ſolum medicamentis, quibus aliàs ii morbi tolli ſolent, niſi ſimul antiſcorbutica exhibeantur. Hæc autem cum capite præcedente propoſuerimus, illa paſſim è practicorum libris pateant, & plura ſint, quam ut hic recenſeri, vel poſſint, vel debeant, paucis hæc tractabimus.

De curanda difficili reſpiratione & pectoris anguſtia.

2. *Difficilis reſpirationis & pectoris anguſtia, curatio.* Difficilem primò reſpirationem, & anguſtiam illam quod attinet, non tollitur illa ſolum thoracicis, ſed adhibenda ſunt, quæ ſcorbuto inprimis reſiſtunt, & inprimis cochlearia. Et cum plerumque febres, ac obſtructiones cum ea coniungantur, admiſcenda, quæ febrilem calorem temperant, de quibus poſtea: aperientia item, capillus Veneris cuſcuta, ceterach, carduus benedict. fumaria, betonica. Eugalenus ſpecies pliris archontic. commendat. Utilis etiam eſt confectio alchermes, crocus & alia cordialia.

De gingivarum corruptione, dentium & oris vitiis.

3. *Gingivarum, dentium & oris vitiorum.* Gingivarum laxitas, putredo & fœtor, quod vitium Plinius, & Strabo uno nomine Stomacacen nominant, curatur medicamentis abſtergentibus, putredinem inhibentibus, partim adſtringentibus, & ſiccantibus, qualia ſunt *aquilegia*, quæ commune nomen cum hoc malo, quod Germanis Ageley dicitur, habet, *ſalvia, roſmarinus, hyſſopus, biſtorta, balauſtia, nux moſchata, roſa rubra, equiſetum, fol. quercus, cortic. granator. cortic. prunor. ſylveſtr. oxyacantha, berber. ſumach, rad. ariſtoloch. biſtorta, myrrha, alumen, vitriolum, mel roſatum, diamorū, mel & oxymel ſcilliticum*, & qui efficaciſſimus hic eſt, *Spiritus Vitrioli*: quibus & ex iis, aliqua addenda, quæ contra ſcor-

butum peculiarem vim habent, ut *cochlear. naſturt. aq. nummularia.*

Collutiones oris.

Poſſunt ergo tales plantæ in vino auſtero, vel aqua coqui, & decocto mel roſatum, & alumen addi, eoque gingivæ frequenter ablui.

Vel R. *Tormentillæ, biſtoriæ cum radicib.* an. M. j.

Malicorii Unc. j.

Sumach. Unc. ß.

Coq. in aq. ℔. ij. *ad* lib. j. *remanentiam. Colatura add. aluminis* Drachm. ij.

mellis optim. Unc. ij. Miſc.

Vel R. *Cortic. radic. prunor. ſylveſtr. fol. & cortic. berber.* an. Unc. j.

fol. rubi M. j.

radic. pyrethr. ariſtoloch. rot. filicis, pentaphyl. an. Unc. ß.

thuris Drachm. j.

Coq. in vino; & Aqua. decocto add. mel. roſ. & diamori an. Unc. j.

eoque ſæpius os colluatur.

Commendatur etiam hæc, ut uſu probata, oris collutio:

R. *Fol. naſturt. aq. menthæ, ſatureia, roſar. rubr. immatur.* an. M. ß.

ſem. aquileg. Drachm. ij.

balauſt. Drachm ß.

Coq. in aqua ferrata.

Colatur. R. Unc. viij. *Adde alumin.* Scrup. ij. *mell. roſ. col.* unc. ß. F. collutio oris.

Vel R. *Cochleariæ, ſiſymbr. cardamin. naſturt. aq. roſar. rubr.* an. M. j.

Coq. in aqua ferrata.

Colatur. R. Unc. x. *add. mel. crudi* Drach. vj. *alū.* Drac. j. F. oris collutio.

Vel R. *Cortic. prunor. ſylveſtr.* Unc. j.

Cochlear. naſturt. aq. an. M. j.

roſar. rubr. M. ß.

balauſtior. Drachm. ij.

Coq. in ſ. q. aqua chalybeatæ,

Colatura adde aliquid aluminis, mell. roſat. colati, & diamori. Miſc.

Vel R. *Cortic. interior. prunor. ſylveſtr.* oxyacanthæ.

Roſatum rubr. an. M. j.

Coq. in aq. lib. iij. *ad.* lib. j. ß.

Colatura uſurpetur pro oris collutione.

Vel R. *Aq. plantagin. prunell.* an. unc. iv.

ſalviæ

mellis roſat. colat. an. unc. j.

ſpiritus Vitrioli Scrup. ß.

M. pro oris collutione.

Vel R. *Salviæ* M. ß.

Ariſtolochiæ, pyrethri

aluminis an. Drachm. ij.

camphoræ Drachm. ß.

Coq. in vini lib. j. ß. Colentur.

Vel R. *Salis alumin.* an. Drachm. ij.

Aquæ lib. j. *Coq. parum.*

Vel R. *balauſtior. ſumach. roſar. rubr.* an. unc. ß. *Coq. in aq.* lib. iij. *ad* lib. ij. *Add. mellis roſati* unc. ij. *alumin.* Drach. ij. Miſc.

Vel R. *plantaginis cum radic. fol. pervinc. aquilegiæ, cimarum rubi, ſambuci* an. M. j. *fl. roſar. rubr. balauſt.* an. unc. ß. *Coq. in Aq. & vini rubri adſtringent.* an. lib. 1. ß. *ad dimid. part. abſumtionem. Col. adde mell. roſ.* unc. iii. M.

Aquæ deſtillatæ.

Sæpe ſola cochleariæ, aut becabungæ, naſturtii vel Nicotianæ aqua ſufficere poteſt, ſi iis os colluatur.

Vel R. *fol. ſalviæ*

betonicæ

aqui-

aquilegiæ an. M. ij.
rutæ
flor. roſar. rubr. an. M. j.
rad. biſtortæ
pyrethri
ſarſæparillæ an. Unc. ß.
ireos flor. Drachm. vj.
ligni rhodii Unc. ß.
nucis moſch.
cinamomi
myrrhæ
maſtiches
Cort. citri an. Drachm. ij.
camphoræ Scrup. ß.
vini Rhenan. ℔. iij.
ſucci cochlear.
naſturtii aq. an. ℔. ß.
Stent per dies 7. in infuſione in vaſe bene clauſo, quotidie agitentur, hinc deſtillētur.

Utile eſt & plantas quaſdam, ut ſalviam, cochleariam, naſturtium, numulariam frequenter maſticare vel iis gingivas fricare, vel cortices citri ſucculentos frequenter gingivis affricare.

Linimenta.

Vel ℞. *Mellis roſat. col.* unc. j.
oxymel. ſcyllit. unc. ß.
alumin. uſti Drachm. ß. Miſc. pro Linimento.

Vel ℞. *mell. roſ. col.* Unc. j.
ſyr. de roſ. ſiccis unc. ß.
ſpir. Vitr. q. ſ. ad gratiam acciditatem. M. & miſtis bis de die gingivæ illantur.

Vel ℞. *alumin. uſti* Drachm. ß.
nuc. moſchat. num. ij.
mell. Unc. ß. Miſc. ſuper igne.

Vel. ℞. *Mellis ſcillitic.* unc. ß.
Spiritus Vitrioli q. ſ. ad aciditatem conciliandam.

Vel ℞. *pulv. rad. biſtortæ* unc. ß.
fol. aquileg. Drachm. ij.
ſalis Scrup. j.
Cū diamoro redigatur in formā linimenti.

Efficax eſt hoc linimentum.

℞. *flor. malvæ arbore.*
fol. ſalviæ minor.
aquileg. an. Drachm. ß.
myrrhæ
nucis moſchat.
theriacæ an. Drach. j.
aluminis uſti Scrup. ij.
Pulveriſata ſubigantur cum melle F. Linimentum.

Alii idem hoc modo parant.

℞. *fol. aquilegiæ*
menthæ
ſalviæ
nucis moſch. an. Drachm. ij.
aluminis uſti an. Drachm. ij.
myrrhæ rubræ Drachm. ij.
Terantur terenda, & cum mell. roſ. col. Unc. ij. ß.
Miſceantur in F. Linimenti.

Fortius eſt hoc, & conveniens gingivis putreſcentibus:

℞. *Mellis* unc. ij.
aceti vini unc. j.
fl. æris. Drachm. j.
alumin. Scrup. j.
Coquantur, donec rubeſiant. Deinde adde pulv. ſalviæ, nucis moſchat, C C. præpar. an. Drachm. ß. F. Linimentum.

Poteſt etiam addi *pulv. ſavinæ.*

Vel fricentur ſingulis diebus manè, ac veſperi gingivæ ſale & aceto, donec ſanguis ex gingivis profluat:

aut colluatur os decocto ſedi minoris, ſeu vermicularis.

Uſu longo expertum eſt hoc Linimentum:

℞. *Pulv. fol. aquilegiæ*
menthæ criſpæ
ſalviæ
nucis moſchat.
myrrhæ (*quam tamen quidam omittunt*) an. Drachm. ij.
alumnis uſti unc. ß. (alii unc. x.)
mellis virginei Unc. iv. ß.

Vel q. ſ. Mel calefiat ad ignem & diſpumetur, deinde calenti pulveres ſenſim inſpergantur & Miſc. F. Linimentum.

Alii mellis virginei loco mel roſatum, vel ſcilliticum, vel etiam oxymel ſcilliticum ſumunt, vel aliquid de melle, vel oxymelite addunt ſcillitico. Hoc linimento gingivæ bis, vel ter quotidie illinantur, deinde abluantur vino rubro, vel ſimplici, vel in quo cochlearia, aut naſturtiũ infuſum fuerit, vel decocto ſummitatum rubi, vel aqua prunellæ, plantagin. roſar. quæ efficaciores erunt, ſi aliquot guttæ ſpirit⁹ Vitrioli, quot nimirum ad aliquam acetoſitatem ſufficiunt, admiſceantur, quod medicamentum valde efficax eſt in hoc genere.

Alii ovum coqunt, ad duritiem, per medium diſſecant, vitellumque eximunt, & locum pulvere Vitrioli replent, ovumque iterum coagmentant, & in loco ſubterraneo in vitro ſepeliunt, vel in vitro ſuſpendunt, ut Vitriolum in liquorem per deliquiũ ſolvatur. Quo liquore ſi ſpongiola imbuatur, eaq; laxæ, & cruentæ gingivæ fricentur, magnam is ad ſanandas eas vim habet.

Vel ℞. *pulv. abrotani*
caudæ equin.
ſalviæ
hyſſopi
rutæ
boli armen.
alumin. uſti.
aquilegiæ, an. Scrup. ij.
Mellis unc. ii. F. Linimentum.

Vel ℞. *Macis*
nucis moſchat. an. Drachm. ij.
myrrhæ
fol. aquileg.
ſalviæ
rutæ an. unc. ß.
alumin. uſti Drachm. ij. ß.

Miſceantur cum ſ. q. mellis ferventis, miſta & refrigerata uſui ferventur. Vngantur hoc linimento bis de die gingivæ, & poſtea aqua prunell. vel plantagin. abluantur.

Vel ℞. *Theriac.* unc. ß.
mellis crudi unc. j.
oxymelit. ſimpl. Drachm. ij.
aluminis uſti unc. ß. *Coquantur, &* Miſceantur.

Pulveres & dentifrica.

Vel ℞. *Salis torrefacti*
alumin. uſti
teſtar. cholear. cremat.
cineris ſarmentor. vitis.
roſar. rubr.

radic.

radic. biſtortæ.
fol. aquileg. ſalviæ an. q. l. F. pulvis, quo dentes fricentur.

Vel ℞. *Alumin. uſti* Drachm. ij.
ſalis torrefacti Drachm. j.
balauſtior.
C. C. uſti præpat. an. Drachm. iß.
Macis Drachm. j.
fol. ſalviæ iij. F. pulvis, quo dentes fricentur.

Vel cum ſucco cochlear., aut naſturt. aquat. aut melle an. q. ſ. F. Miſtura.

Aut paretur talis pulvis, quo gingivæ flaccidæ, & ſanguinolentæ fricentur:

℞. *Salis uſti* unc. ß.
balauſtior. unc. F. pulvis.

Vel ℞. *Cineris ſarmentor. vitis,*
teſtarum oſtrear. uſtarum part. æq. F. pulvis.

In iſtorum verò medicamentorum uſu obſervandum, ut id, quod ex laxis, & ſanguinolentis gingivis effluit, & in ore colligitur, continuò exſpuatur, & exſcreetur, & non diu in ore retineatur, multò minus deglutiatur.

Si putredo ſit vehemens, talis oris collutio parari poteſt:

℞. *Roſar. rubr. plantagin.* an. M. j.
rutæ, ſalviæ an. M. ß.
viridis æris Drach. j.
thuris, maſtiches an. Drachm. ß.
alumin. Drachm. ß.
Conciſa & contuſa Coquant. in Aq. & aceti an. lib. ij. *ad dimidiæ partis conſumtionem. Colaturæ addatur mel. roſ.* unc. j. M. F. Collutio oris.

Nonnulli in magna carnis gingivarum corruptione, & putredine manuum opera utuntur & carnem corruptam præcidunt. Verum raro hoc facto opus, cum medicamenta enumerata, præcipuè, quibus alumen, & oleum Vitrioli adduntur, tàm efficacia ſint, ut etiam ſatis fœdam Stomacacen emendare poſſint. In quem uſum etiam inſervit unguentum Ægyptiacum magna neceſſitate id poſtulante. In extremis caſibus, & ſumma corruptione efficax eſt hoc medicamentum.

℞. *Mercurii ſublimati* Scrup. ij.
aluminis uſti Drachm. ij. ß.
Pulveriſata coquantur in aqua plantaginis lib. j. *in vitro vaſe duplici. In aqua iſta ſpongiola intingatur, & ea gingivæ putrida, ac laxa* illinantur. Ubi omnino monendum videtur, cum in Germanico libello Wieri de ſcorbuto in hoc medicamento abſolutè legatur *Sublimatum*, qua voce ſine additione poſita Chymici Mercur. ſublimatum intelligunt, non rectè in libellum eius Latinum irrepſiſſe Arſenicum ſublimatum, quod ex libello Latino Wieri in ſua ſcripta alii tranſtulerunt. Ad ulcera enim maligna, & putrida uſurpari cum commodo à Chirurgis Mercur. ſublimatum notũ eſt: Arſenicum vero ſublimatum, præcipuè in ulceribus oris longè maiore cum periculo uſurpari, extra dubium eſt; licet Dioſcorid. *Euporiſt. lib. 1. c. 82. & 83.* Arſenico cum charta combuſta ad ſerpentia oris ulcera utatur.

Quia verò poſtquam caro putredine abſumta eſt, dentes carne nudari ſolent, ut id, quod abeſt, reſtituatur, opera danda. Etſi verò carnem amiſſam reparare ſolius Naturæ opus ſit: tamen ars Naturæ ſubſidio venire poteſt. In quem uſum hoc habet Sal. Albertus:

R. *Sem. roſar.* Drachm. j.
Calam. aromatic. Drachm. ß. F. Pulvis, qui dentibus aſpergatur.

Vel R. *farinæ ervi.*
flor. roſar. an. Drachm. ß.
Calami arom. Drachm. ij. ß.
alumin. ſciſſilis.
mannæ
thuris.
cyperi an. Scrup. ß. F. Pulvis, qui dentibus inſpergatur, vel cum melle miſceatur, & iis illinatur.

De Faucium exulceratione.

Si fauces ex vicinæ putredinis cõtagio lædantur, collutiones parentur ex Aq. cochleariæ, naſturtii, nummulariæ, Nicotianæ &c.

Ut R. *Aq. prunellæ*
plantag.
cochlear. an. unc. iij.
Nicotianæ unc. ij.
ſpir. Vitrioli Scrup. j.
mellis roſat. col. unc. j. ß. M.

Eadem medicamenta cum vitioſos ſuccos, quibus dentium radices laxantur, abſumant & abſtergant, dentes vacillantes firmare, & carnem gingivarum roborare valent.

De maculis.

4. *Macularũ.* Crurum, vel etiam aliarum partiũ *maculæ* ſpontè evaneſcere ſolent, modò internis proſpiciatur. Si tamen & earum cauſſa medicamenta adhibere placet, ad eas tollendas ex reſolventibus, diſcutientib⁹, & emollientibus fomenta, & balnea uſurpentur, *ex baccis juniper. naſturtio, cochlearia, chamæmelo, artemiſia, abſinthio, roremarino, hyſſopo, lavendula, perſicaria &c. vel aqua cochlearia* crura laventur.

Vt R. *Baccar. juniperi contuſar.*
ſiſymbr.
naſturt. aquat.
cochlear. an. M. j.
Flor. chamæmel. M. iij.
artemiſiæ
betonicæ
abſinthii
roriſmarin.
majoran.
thymi
hyſſopi an. M. j.
Coq. in Aq. ſ. & vapore decocti calidi crura foveantur; Vel decocto ſpongia madefiat, & calida tibiis applicetur.

Vel fiat tale Vnguentum:

R. *Butyri majalis* unc. ij. ß.
Baccar. iuniper. contuſar. Drach. vj.
Vini unc. ij.
Coq. ad vini conſumtionẽ, & colentur.

Vel coquatur in lacte naſturtiũ aq. abſinth. & bacc. juniper. contus. & cũ lactis illius flore crura inungantur.

Salom. Albertus hoc parat:

R. *Naſturtii utriusq;*
Cochlear. an. M. ij.
Chamæmeli

melilot.albi an. M.ß.
thymi
ſaturei
pulegii an. M.j.
roriſmarini M.ß.
rad. dauci unc.ß.
fol.lauri M.j.
baccarum iuniperi contuſar. unc. j. ß.
Coq. ad conſumtionem tertiæ partis, & vapore decocti calidi crura foveatur, vel linteamina, aut ſpongia decocto calido madida cruribus imponatur.

Nonnulli decocto viminearum geniſtæ virgarum utuntur.

Poſt fomentationem partes maculoſæ convenienti aliquo linimento inungantur.

Vt R. *naſturtii aquat.*
becabungæ.
ſiſymbr.
Cardamin.
baccar.iuniperi contuſar.
abſinthii an. M.j.
Aq. becabungæ
Chamameli
meliloti
naſturt.aq. an. unc.jv.
flor.lactis
butyri recent. inſulſi q.ſ.
Coq. in Balneo & exprimantur, ac pingued. linimenti loco uſurpetur.

Vel coquatur naſturt.aq. in lacte, & contundatur, ac ſubigatur in mortario, contuſo addatur adeps ſuillus.

Vel R. *Butyri maialis inſulſi* unc.j.
Comarum abſinthii M.j.
Vermicularis P. ij.
baccar. iuniperi contuſar. unc. ß.
Vini unc. iij.
Coq. ad Vini conſumtionem, & colentur, ac pingue unguenti looo uſurpetur.

Utile quoque fuerit crura ſæpius panno, vel linteo calente fricare, ut ſpiracula cutis aperiantur, & vitioſi humores diſcutiantur.

De doloribus.

Dolores interdum etiam, præcipuè in cruribus ægros excruciant, ut ad eos tollendos Medici operam maximè requirant. Vſurpentur autem ad illos tollendos, præter interna ad ſcorbutum medicamenta anodyna, & reſolventia, ac diſcutientia per ſudorem. 5. *Dolorũ in cruribus.*

Adhibeatur ergo fomentatio, *ex decocto althææ, fumar. abrotani, cochlear. becabung naſturt pulegii, hyſſopi, ſalviæ, artemiſiæ, fl. chamæmel baccis juniperi.* Herbæ iſtæ decoquantur, & vapor à decocto partib. dolentibus excipiatur, donec ſudor erumpat vel crura linteis duplicatis decocto hoc calido imbutis involvantur. Quomodo dolor mitigatur. Nonnunquam tamen ſolet dolor recrudeſcere, quod partes frigidæ, & craſſæ non planè ſint diſcuſſæ. Ideoq; ſpongia decocto calido madida partes dolentes fovendæ, vel cataplaſma ex enumeratis modò herbis paratum imponendũ. Aut paretur Cataplaſma ex lacte coagulato (Quarck) flor. chamæmel. naſturt. aq. & baccis juniperi in lacte coctis, quod in hiſce doloribus mitigandis, ac tollendis efficaciſſimum eſt.

A pin-

A pinguibus verò ante macularum eruptionem abſtinendum; cum ab iis dolor exaſperari ſoleat.

Quandoque dolor in plantis pedum, & extremitatibus digitorum excitatur, qui hoc medicamento tollendus:

R. *Flor. ſambuci* M. ij.

Coq. in Vino, additis ſaponis Drach. ij. *quo pannus imbuatur, & loco dolenti applicetur.*

Ventris. Dolorem ventris quod attinet, qui ventriculum & inteſtina ac totum ſæpe abdomen affligit, regia quidem eum curandi via eſt, cauſſam eius tollere, quod qua ratione fieri debeat, hactenus ſatis dictum: rectèque id fit medicamentis ſcorbuto adverſantibus; quæ ſi febris abſit cum vino, vel cum ſero lactis, ſi febris & calor adſit, exhibeantur. In doloribus ventriculi etiam commodè uſurpatur elixir proprietatis dictum.

Quia tamen ſæpe dolor urget, is mitigandus: quod commodiſſimè fit, ſi laxantibus convulſioni & tenſioni, quæ proxima eius cauſſa hic occurratur.

Itaque clyſteres emollientes iniiciendi ex iis, qui humectant cum moderato calore. Et cum ob motũ περιςαλτικὸν, & convulſionem ſæpe nihil infra excernatur, ſed omnia ſurſum tendant, non quæ ſenſum obtundunt, admiſcenda, ſed potius quæ excretionem nonnihil ſtimulant. Ex decocto ſcil, anethi, chamæmeli, althæę, fęnumgręci cũ ol. communi, amygdal. dulc. lini, anethino, chamæmeli, melle roſaceo; fiant Clyſteres. Extra etiam adhibeantur linimenta ex iiſdem oleis, & pinguedinibus, aut cataplaſmata ex herbis emollientibus, & fl chamęmæli cum iiſdem oleis imbutum applicetur. Vtilis eſt inſeſſus ſeu balneum ex aqua, in qua herbæ modò enumeratæ coctæ ſint.

De Arthritide.

De Arthritidis ſcorbuticæ curatione refert Eugalenus, *pag.* 142. ſe obſervatione comperiſſe, nonnullos in prima morbi invaſione ſolo abſinthio in vino ſeu cereviſia ſuſpenſo feliciter in quotidiano potu uſos fuiſſe, per ſemeſtris unius ſpatiũ uſum eius continuantes. Et quidem ſolo illius decocto in vino, vel cereviſia, vel aqua facto feliciter ſe uſum ſcribit. Si verò cum febre, ſiti & obſtructionibus manifeſtis coniuncta fuerit, neque tùm ſe eius uſum abhorruiſſe, niſi quod febrem mitigantia, obſtructiones fortius aperientia, & quæ ſcorbuto peculiari proprietate adverſantur, admiſcuerit, puta cuſcutam, ſcolopendium, ceterach, betonicam, hyſſopum, & ſi febris patiatur, carduum benedict. raphani, & helenii radices, cochleariam, naſturtium. *6. Arthritidis.*

De Stupore, tremore, paralyſi, & convulſione.

Stupor, tremor, Paralyſis, convulſio, membrorum jactatio eandem fere *7. Stuporis tremoris convulſione.*

-re curandi rationem obtinet. Scelerorbe quidem cum ortum habeat ex vitioſis humoribus, qui ſeſe in tendines, & muſculos inſinuarunt, quorumq; pars craſſa, poſtquam tenuior exhalavit, tendines duros redit, emollientia, reſolventia & diſcutientia requirit; quibus ea ſemper admiſceantur, quæ humori, Scorbuti cauſſæ, peculiari vi reſiſtunt, quæque ſuo ſale volatili, quod craſſum, & fixum eſt, volatile reddere, attenuare, & ad diſcuſſionem aptum reddere valent.

Eadem vero etiam, ut aſſumantur, exhibenda. Et quidem ſi recens ſit, quæ à feroſo humore ſaltem ſeſe in muſculos inſinuante, ortum habet, tendinibus non induratis, internis adhibitis medicamentis brevi, ſæpe intra dies 4 vel 5. ſine omni topicorum uſu non ſolum crurum, ſed & brachiorum, ac manuum Paralyſis curatur Eugalenus. Idque ita ſe habere ipſe compertum habeo, cum non paucos tali Paralyſi ſcorbutica laborantes, plerumq; cum ſicca ſcabie, corpore ſemel, atque iterum leniter purgato, cochleariæ, & fumariæ inprimis uſu paucis diebus reſtituerim.

Si vero malum ſit diuturnius, ut tendines duri, & rigidi quaſi redditi ſint, topicis etiam opus eſt.

In Paralyſis ergo initiis non admodum gravibus ſequens profuiſſe teſtatur Severin. Eugalen. *pag.* 79.

R. *Betonic.* M. IV.
Granor. juniper. contuſor. lib. ij.
Coq. in Aq. lib viij. *ad pultis modum, Colentur, & exprimantur, & addantur ſacchari* lib. ij. *iterumq; coquantur ad ſyrupi conſiſtentiam, cui ab igne remoto addantur zinziber.* unc. ij. *macis calam. aromat. cubeb. fol. ſenæ* an. unc. ß. F. Electuarium, cuius ante, & poſt cibum cochlear. j. quotidie ſemel, aut bis ſumatur.

Quod ſi gravius, & pertinacius malum ſit, propter viſcerum obſtructiones concurrentes, hæc non ſufficiunt, ſed aperientia incidentia, attenuantia, & peculiari vi contra hunc morbum pugnantia admiſcenda.

Extra vero adhibeantur fomentationes, & lotiones ex aqua ſive ſimplici, ſive ſalſa, in qua cocta ſint *fol. ſalviæ, betonic. artemiſiæ, ſerpilli, roriſmarin. flores ſambuci, chamæmel. meliloti, baccæ iuniperi.* Nimirum vapore harū herbarum decoctarum crura rigida, vel ſingulis, vel alternis diebus fomententur, donec bene ſudent. Vbi ſatis ſudaverint, ipſo decocto pedes, & crura laventur, ipſisque herbis pedes, crura, ac tendines, & ligamenta rigida fricentur, & poſtea conveniente unguento illinantur.

Si tamen adſit durior tumor, emollientia præmittantur, vel admiſceantur.

Salomon Albertus tale parat:

R. *Pul. flor. chamæmel.*
comarum abſinthii an. Drachm. iij.
radic. bryoniæ
conſolid. maior. an. Unc. ß.
farinæ tritici

fabarum
Orobi an. Drachm. iij.
medulla panis ſiliginei ex lacte cocti ℔. j
F. Cataplaſma, quod tumori applicetur.

De Contractione & rigiditate membrorum.

8. *Rigiditatis & contractionis membrorū* Si genua vel alia membra ſunt rigida, & ad motum impotentia, non neglectis medicamentis internis eadem emollientia, & diſcutientia per vices uſurpanda. Foveatur nimirum pars affecta decocto *lilior. albor. althææ, malvæ, violariæ, brancæ urſinæ, ſem. lini, fænugræci, chamæmel. ficuum aridarum, quibus naſturtium, & becabunga addantur.*

Vt R. *Rad. althææ*
malvæ an. unc. j.
iridis Unc. ß.
ſem. lini
fænugræc. an. unc. j.
violariæ
flor. chamæmeli
melilot. an. M. j.
abſinthii
cochlear.
becabungæ
naſturtii aq. an. M. ß.
Coq. pro fomento.

Vel R. *radic. althææ* Unc. iij.
parietariæ
cochleariæ
naſturt. aq.
abſinthii
flor. chamæmel.
meliloti an. M. ij.
ſem. lini
fænugræc. an. Drachm. vj.

Coq. in aqua, cuius vapor calidus crure excipiatur.

Vel R. *Pulv. flor. chamæmeli*
meliloti
ſem. aniſi
fœniculi
cumini an. unc. j.
farinæ ſem. lini
fænugræc. an. Drach. ij.
Cum decocto fol. ebuli, artemiſiæ, cochlear.
F. Cataplaſma cui poteſt addi butyrum recens.

Vel R. *Radic. althææ*
lilior. albor.
hermodactylor. an. unc. ß.
caricar. pinguium num. vij.
flor. meliloti
chamæmeli
parietar. an. M. j. ß.
flor. althææ M. j.
roſar. rubr. Drachm. iij.
vermium terreſt. præp. Drach. ij. ß
farin. tritici Drachm. ij.
farin. hordei an. unc. j. ß.
orobi
lentium
fabar. an. unc. ß.
medulla panis tritici unc. j.
Terantur terenda, & Coq. ad formam pultis.
add. ol. lilior. albor.
chamæmel.
anethi
roſac. an. unc. j.
caſſiæ unc. ß.
medullæ crurum bubuli Drach. iij.
adipis gallinac. Drachm. ij. ß.
ſuilli

ſuilli unc. ß.
boli armen. Drachm. j.
croci Drachm. ß.
F. Cataplaſma.

Poſt fomenta adhibenda olea, & unguenta emollientia, *ex adipe ſuillo, humano, pinguedine gallinæ, butyro recent. medulla cervi, mucilagin. ſem. althææ, cydonior. lini, fœnugræc. unguento dialthææ; quibus ſucci cochlear. naſturt. aq. & aliarum contra ſcorbutum plantarum, grana iuniperi admiſceri poſſunt.*

Vt R. *Vnguent. dialthææ* unc. ß.
Ol. chamæmel.
lilior. albor.
anethi an. Drachm. ij.
granor. iuniperi contuſ. Drach. j.
Miſc. F. Vnguentum.

Efficax eſt hoc Vnguentum.

R. *Radic. helenii contuſar.* Drachm. ij.
lumbricor. terreſtr. unc. ß.
(*alii* unc. j. ß. vel unc. ij.)
Coq. in Vino Malvatico: deinde adde.
Ol. lilior. albor.
coſtini an. unc. j.
hyperici unc. ß.
terebinthinæ Drachm. ij.
Vnguenti de bdellio Drachm. iij.
medullæ crurum vituli cervi an. Drachm. ij.
ceræ q. ſ. F. Vnguentum.

Salomon Albertus hoc quoque utitur;

R. *Radic. bryoniæ*
cucumer. aſinin. an. unc. j.
lumbr. terreſtr. præpar. Drachm. iij.
Coq. in hydrelæo, ad mollitiem, & ſuccus torculari exprimatur, cui add. ol. lilior albor. unc. ß.
lini
chamæmelin. an. unc. j.
terebinthinæ Drachm. v.
Vngent. de bdellio Drachm. iij.
ſucci cochlear. unc. j.
Colliquentur ad ignem, & cum ceræ ſ. q
F. Vnguentum.

Severinus Eugalenus commendat Vnguentum Valleriolæ, quod habetur *lib. 4. obſervat. 4.*

R. *Fol. ſalviæ*
maioranæ
lauri
betonicæ
roriſmarin.
primulæ Veris an. M. i.
rad. acori veri
ireos recent. an. unc. iii.
Ol. vulpini
de nuce Indica
rutac. an. lib. i.
terebinthin. lib. ß.
Vini potentiſſmi lib. i.
Aq. vitæ lib. ß.
Coq. ad Vini conſumtionem, & colentur.
Colaturæ adde
Sagapeni
opopanac.
bdellii an. Drachm. ii.
caſtorei unc. ß.
macis
nucis moſchat.
ſtyrac. calam.
benzoes an. Drachm. iii.
piperis longi

pyrethr. an. Drachm. j.
axungiæ catti
ſerpentis
anſer. an. unc. ß.
medullæ crurum vaccin. unc. ij.
ſucci Ebuli
ſalviæ
meliſſæ an. unc. iv.
Ceræ propoleos unc. ij.
Miſc. & cum cera in oleis recenſitis liquata. ſ. q.
F. Unguentum mediocris conſiſtentiæ.

Eſt & hoc Salomonis Alberti efficax.

R. *Vnguenti dialthææ* unc. j.
pinguedin. anſeris
porci an. unc. ß.
medullæ crurum vituli Drachm. ij.
Cervi Drachm. iij.
butyri inſulſi
Olei lini an. unc. j.
flor. lactis agitati in mortario marmoreo unc. j. ß.
Cum ſucco naſturtii coq. in vaſe duplici, addatur cera nova q. ſ. F. Linimentũ.
Vel R. *Olei ſeſamin.*
amygd. dulc. an. unc. ß.
medull. crurum bovis
ſevi caſtrati
pingued. anſer.
gallinæ an. unc. ß.
Vnguenti de bdellio Drachm. iij.
Vitell. ovor. ij.
Croci Scrup. ij.
F. Linimentum cum modico ammoniaci in aceto diſſoluti.

Rigiditas genarum. Eadem medicamenta, quæ modò ad duritiem & rigiditatem genuum ſunt propoſita, etiam ad rigiditatem genarum & maxillarũ uſurpari poſſunt, ſcilicet *althæa, malva, violaria, radic lilior. alb. ſem. lini, fœnugræc. fl. chamameli, ficus. E quibus fomenta, cataplasmata, olea parari poſſunt, additis cochlearia & naſturtio.*

De ſomno nimio.

9. *Somni nimii.* Cum Carus & ſomnus nimius in hoc morbo plerumque febrem lentam coniunctam habeat, tollitur iis, quæ putredini huic morbo propriæ febrique adverſantur. Præ cæteris efficax ſe comperiſſe naſturtiũ aquaticum, quod in claris & limpidis aquis provenit, ſcribit Eugalenus, *pag.* 20.

De lipothymia.

10. *Lipothymia.* In iis, quos lipothymia, & anxietates infeſtant, hoc inprimis obſervandum, ne loco ſæpe moveantur, aut è lecto ſurgant; cum ſæpe deliquia animi, quamprimum in lecto ſeſe erigunt, eos tentare ſoleant. Deinde cûm vaporibus diſcuſſis deliquium quidem ceſſare, ſed ſæpe finitima medicamenti operatione, aut â cauſſa morbo ſuperata, poſt tres vel quatuor horas, eadem vehementia anxietas illa, & metus deliquii redire ſoleat: ſæpius eadem die, & vel ſexies, vel octies medicamenta iſta contra animi deliquia, admiſtis Antiſcorbuticis, exhibenda.

De

De fœtore anhelitus.

11. *Fœtoris anhelitus.* Fœtor anhelitus emendatur putredinem ſiſtentibus, & halitus putridos diſcutientibus: *conſerva* nimirum *ſalviæ, rutæ, anthos, garyophyllis, cinnamom. galliamoſchat. cortic. citri, ligno aloes, rhodio, baccis iuniperi.* E quibus electuaria, pilulæ, rotulæ, trochiſci formari poſſunt, vel uſurpatur *Elixir proprietatis,* aut maſticentur *radic. ireos flor. baccæ iuniperi:* Aut colluatur os *aq. ſalviæ, roris marini, menthæ cum aceto ſcillitico*:

De vomitu.

12. *Vomitus.* De vomitu ſcorbutico annotavit Eugalenus *pag.* 25. quod vomentes à lacte & lacticiniis, à quibus aliàs ægri, ventriculi & viſcerũ affectionibus laborantes, læduntur, melius habent, quam à ventriculum roborantibus & adſtringentibus. Adſtringentia enim humorem vitioſum altius ventriculo imprimunt: lac verò lenit, & humoris pravitatem demulcet.

De ſputatione nimia.

13. *Sputationis nimiæ.* In ſputatione continua monet hoc Eugalenus, *pag.* 206. cavendum ne acribus, & calidis medicamentis fluxus materiæ iritetur, & nimia vaporum fumorumque in cerebrum delatione ac eorundem ibidem concretione, atque ad pectus defluxione malum gravius reddatur.

De alvi Fluxu.

14. *Alvi fluxus.* In alvi fluxu hoc ab adſtringentibus abſtinendum, quorum uſu ægri in ſummas anguſtias & maximam reſpirandi difficultatem, imò in animi deliquium & ſuffocationis periculum coniiciuntur, ac tandem in hydropem vel atrophiam incidunt. Cum enim viſcera conſtringant, venasque conſtipent, materiam pravam detinent & augent, è qua vapores pravi adſcendentes ac ſuperiora petentes enumerata ſymptomata excitant; & ipſa circa viſcera, ac membra nutritioni dicata hærens epar & lienem debilitat. Sed uſurpanda potius medicamenta, quę peculiari vi humori vitioſo adverſantur: atque utile eſt hic etiam abſinthium. Nec incommodus eſt ad diverſionem ſudoriferorum uſus, ſi iis cochlearia admiſceatur.

Et ſi autumnalis aeris frigiditas huic fluxui occaſionem dederit, ab eius iniuria corpus muniatur, ægerque in loco calido quieſcat: deinde materia fluens ſubtrahatur victus ratione ſicca, & ad vias urinæ derivetur; & partes ſuſpicientes roborentur. Quibus uſibus inſervit vinum abſinthites dilutũ decocto cichorii. Extra quoque abdomen inungatur ol. roſaceo, maſtichino, abſinthii; vel imponatur emplaſtrum de cruſta panis.

Si à calore ſerum fundente in principio febrium talis fluxus accidat, etſi ſymptomatibus ſit, tamen cum materiam morbificam imminuat, non ſtatim ſiſtendus, præſertim ſi natura eum facile ferat: ſed ea exhibenda,

hibenda, quę ſerum cum bile abſtergere, ſimulque roborare poſſunt, qualia ſunt ſyr. roſ. ſolut. Syr. de cichorio cum rhab. ipſumque rhabarbarum; & exhibendum ſimul cichorium & cichoracea.

De calore nocturno.

15. *Caloris nocturni.* Quos calor ille nocturnus ſupra deſcriptus moleſtat, iis becabunga in maiore doſi exhibenda; contra calefacientiũ doſis minuenda. Prodeſt & lac ebutyratum recens. Nonnulli polypodium & grana juniperi contundunt & in Aqua coquunt, & colaturam ſaccharo dulcoratam bis de die exhibent. Illinatur etiam dextrum & ſiniſtrum hypochondrium medicamentis aperientibus.

De febribus.

16. *Febrium.* In febribus ſcorbuticis, univerſalibus evacuationibus præmiſſis, medicamenta ſcorbutica cum iis, quæ febris eiusque cauſſa requirunt, miſcenda, corporisque conſtitutionis, anni temporis, & aliorum, quæ ex generali methodo medendi patent, ratio habenda. Itaque præbenda ſcorbutica medicamenta moderatè calida, & humorem Melancholicum incidentia, ac digerentia, *cuſcuta, capill. Veneris, ceterach. polypod. q.* & pro craſſorum humorum inciſione, *hyſſopus, betonica,* & pro calore febrili temperando, *cichorium, endivia, acetoſa,* ac cum his miſcenda ſcorbutica medicamenta, prout præſens ægri conſtitutio id poſtulat, & nunc de his, nunc de illis plus ſumendum. Nam ſi corpus ſit bilioſum & bile abundet, pluresque febris tertianæ notæ adſint, pauciores ſcorbuti, maior eorũ copia, quæ bilem temperant, & humectandi ac refrigerandi vi prædita ſunt, ſumenda; minore verò quantitate ea, quæ ſcorbutum ſpectant, & ex his minus calida eligenda. Itaque tum conveniunt becabunga, & acetoſa, & inprimis earum ſuccus, quibus aliquid cochleariæ addi poteſt. Si humores ſunt craſſiores, cum urinis crudis vel craſſis, ſitis magna non adſit, corpusque ipſum ſit craſſius & melancholico craſſo ſucco abundet, cochlearia uſurpanda, & ea admiſcenda, quæ fortius attenuant, & incidunt, ut carduus benedictus, abſinth. radic. helenii.

Sic etiam aer, in quo æger degit, ſit tenuis ac ſubtilis mitioribus & minus incidentibus ac attenuantibus utendum: Fortioribus verò in aere craſſo & humido.

Si anguſtiæ illæ ad præcordia gravius & frequentius infeſtent, in ipſo quoque paroxyſmo medicamenta contra ſcorbutum & febrem facientia exhibenda.

Si morbus ſit diuturnior & ob acceſſionem inordinatum recurſum cibandi neceſſitas medicamentorũ exhibitionem impediat, liberiori aeri, præſertim tempore verno, æger committendus, alvusque interdum leniter ſubducenda. Sæpe enim aeris mutatione, præter ſpem, tales febres evanuiſſe, obſervatum.

De

De Tumoribus duris.

17. *Tumorum durorum.* Ad tumores duros fiat cataplasma *ex radic. conſolidæ maior. & bryoniæ, abſinthio, chelidon. maior. & minor. farina fabarum, aut lupinorum, & medulla panis albi in lacte coctis.* Ad tumorem crurum œdematoſum conveniunt fomenta *ex ſalvia, foliis, & flor. ſambuci, roremarino, ſerpillo, becabunga, naſturtio aquat. baccis iuniperi.*

Si quid de frigido & terreno humore quaſi concretum ſit, emollientia & diſcutientia uſurpanda, quæ ſupra, *num.* 7. propoſita ſunt.

Ut R. pulver. *radic. bryoniæ althææ* an. unc. ß.
flor. chamæmel.
fumar. abſinthii an Drachm. iij.
farinæ fabar. Orobi an. unc. ß.
Medullæ panis tritic.
Siligin. an. ℔. ß.
Cum lacte caprino.
F. cataplaſma.

De Eryſipelate.

18. *Eryſipelatis.* Eryſipelatis curationem de tumoribus propoſuimus: eam ut hîc paucis attingamus, Naturæ conatus in expellendo humore vitioſo promovendus & adiuvandus. Ad quam rem vulgus apud nos, & quidem non infeliciter, Aqua flor ſambuci utitur. Poteſt & rob ſambuci uſurpari, vel aqua cardui benedicti aut ſcabioſæ, iiſque addi electuar. vel pulvis aliquis bezoarticus, aut terra ſigillata, aut grana vj. bezoartici mineralis, & ſudor provocari.

Parti affectæ applicetur pannus lineus imbutus lacte, quod vocant aureo, (quod paratur ex lixivio communi & oleo ſambuci vel roſaceo benè ſimul agitatis, ut lactis colorem acquirant,) iterumque expreſſus & nonnihil exſiccatus, vel aqua fl. ſambuci madefactus & expreſſus. Pinguia verò & repellentia, & quæ poros cutis obſtruunt, ac materiam detinere poſſunt, vitentur.

Ne malum recurrat, ea uſurpanda, quæ ſeroſi iſtius humoris generationem & corruptionem ac ebullitionem præcavent.

De Hydrope.

Hydrops ſcorbuticus purgationes fortes, maximè à principio, non fert, ſed medicamentis incidendi, attenuandique vi præditis curatur, quibus admiſcenda ea, quæ peculiari vi contra ſcorbutum valent: quo curationis modo ſe plures ſanaſſe citra purgantium opem refert Eugalenus. Sublatis enim obſtructionibus, veniſque reſeratis, & vitio humorum Scorbutico propriis medicamentis emendato, ſæpe propter opinionem hic humor evaneſcit. Quod ſi non fiat, curato maxima ex parte Scorbuto tùm demum medicamentis purgantibus utendum, & iis præcipue, quæ humorem Melancholicum purgant. Semper tamen admiſcenda ea, quæ peculiari vi huic morbo adverſantur. Si craſſior ſanguis in venis redundet, aut conſueta evacuatio 19. *Hydropis.*

evacuatio ſuppreſſa ſit, ſanguis pro eius copia, & viribus ægri mittendus. Multum verò prodeſt hæmorrhoidum apertio, quæ ſponte facta, nigro ſanguine profuſo, quoſdam ab hoc malo liberavit. Si ſpontè non aperiantur, hirundines iis apponi, vel in talo vena aperiri poteſt. A larga tamen ſanguinis miſſione, præcipuè in locis frigidis, cavendum, ut ſupra in genere dictum.

Hydrops veſicalis, ut prior hydrops curatur. Quod ſi præter interna etiam externis opus ſit, iis quæ diſcutiendi, diſſolvendique vim habent, utendum, *abſinthio, ruta, chamæmelo, farina lupinorum, fabarum cum oxymelite in cataplaſma redactis.*

Tumorum peſtilentibus ſimilium. Ad tumores peſtilentibus ſimiles Eugalenus, *pag.* 190. hoc experimentum habet.

R. *pulv. abſinthii comm. q. ſ. qui* cum ovis recentibus eadem die excluſis cum albumine vitello & teſtis contuſis ad pultis conſiſtentiam miſceantur & frigidè tumoribus applicentur. Idem *pag.* 408. Cataplaſma parat ex chamæmelo, meliloto, parietaria, malva, althæa, mercuriali ad mollitiem coctis, additis farinæ ſem. lini, fæni. græci, hordei cum mell. roſac. & ol. roſac. ſ. q.

Atque ſi accidat, ut ulcus illud erodatur, & nigrum fiat, quod non ſine periculo accidit, cum integram crurum corruptionem & gangrænam inferre poſſit, ſtatim quod corruptum eſt, à reliqua cute & carne ſana ſeparandum, & ulcus mundandum, conſolidandum more conſueto.

De Vlceribus.

Si humores pravi, & acres crura etiam exulcerent, primò videndum, an aliqua adhuc intemperies parti exulceratæ coniuncta ſit, aut humorum vitioſorum affluxus ulcus foveat. Tum enim primò humores vitioſi, qui affluunt, è corpore evacuandi, & intemperies partis emendanda. Attendendum quoque hic conſilium Hippocratis, cum, *initio libr. de ulcerib.* ſuadet, ut ab inveteratis ulceribus crebro ſanguis effluat, prout opoꝛtunum videbitur, tàm ab ipſis ulceribus, quàm à circumſtantibus ulcus partibus, tùm præcipuè ſi in crure, aut pedis, vel manus digito ulcus ſit, magis quam in alia corporis parte. Nam exhauſto ſanguinis affluxu, ſicciora, & mitiora evadunt. Eiuſmodi enim ulcera præcipuè quidem ſaneſcere prohibet, tùm vero reliqua etiam omnia, ſanguinis putredo, & quod ex ſanguinis mutatione eſt ortum. 11. *De ulceribus.*

Primo ergo univerſi corporis ratio habenda eſt, illudque evacuandum & partis intemperies poſtea corrigenda, ac medicamenta, quæ facultatem digerendi habent, ac nonnihil adſtringendi, exſiccandi, & extergendi uſurpanda: non vero aſperius tractanda hæc ulcera, ſed citra ullam mordicationem, & dolorem

rem ſananda. Ideoque quod in aliorum ulcerum curatione obſervatur, & hic obſervandum, ut poſtquam primum ulcus ſolutum fuerit, conſideretur, quantum humiditatum primum pharmacum ab ulcere deſiccarit, aut ſi ſordidum fuerit, quantum ſordidum deterſerit, idque tertium, aut quartum experiendum eſt, donec purum ulcus, & ſiccum fuerit. Quod ubi animadvertitur, eligendum quidem medicamentum aliud eiuſdem generis, ſed debilius priore uſurpandum.

Ronſſeus ex Avicenna, *lib.4.fen.4. tract.3.c.10.* & Tagaultio, *libr.3.c.15.* hoc commendat.

R. *Cadmiæ*
aluminis
chryſocollæ ſingulor an. part. viij.
æris floris
viridis æris ſingulor. part. j.
gummi cupreſſi part. IV.
ceræ
ol. roſac. an. q.ſ.
F. unguentum.

Sed & utile eſt medicamenta ſcorbutica admiſcere.

Fiat ergò unguentum *ex ſucco cochlear, abſinth. apii cum melle coctis, addito pulvere ariſtolochiæ, & aluminis.*

In ulceribus minus pravis ſatis efficax eſt *unguentum diapompholyges*, quo ſæpiſſimè feliciter uſus ſum. Unguentum è Nicotiana, ſaccharũ Saturn. & cum eo parata linimenta.

Nec inutile eſt emplaſtrum diapalma. Becabunga ſola in cerevisia cocta & bis de die apposita ulcus ingens cruris totam ferè tibiam occupans & ad os uſque profundum, à quodam curatum fuiſſe, obſervatum eſt.

Vel paretur *unguentum de apio* dictum:

R. *Succi apii*
meliſſophylli
cochleariæ an. unc. ß.
chelidoniæ Drachm. v.
Mellis crudi q.ſ.
Coq. ad juſtam conſiſtentiam, addatur aliquid thuris, aloes myrrhæ.

Vel fiat unguentum *ex reſina, thure, & oleo roſac.*

Commendatur & hoc:

R. *Aq. piloſell. menſe Septembri deſtillat.* lib. j.
mellis roſati unc. ij.
myrrhæ.
lithargyri an. unc. j. ß.
camphoræ parum. In Sole, vel calido loco per triduum ſerventur. Colatura bis quotidiè exulcerata crura abluantur.

Vel abluantur ulcera decocto ſedi minoris.

Efficacius erit medicamentum, ſi aliquid cochlear. vel naſturt. addatur. Ita & linimenta efficaciora ſunt, ſi ſaccharum Saturni addatur.

Eſt & utile unguentum Montagnanæ de plumbo:

R. *Plumbi uſti* unc. j.
ceruſſæ lotæ Drach. ij.

vitell. ovor. ij.
lithargyri unc. ß.
oleo roſacei Unc. 1 ß.
myrrha Drachm. ij.
Ceræ q. ſ.

F. Linimentum, quod ulcera prius vino, in quo ariſtolochia rotunda cocta ſit, abluta perungantur.

Si putredo magna ſit aliquid Mercur. præcipitati, vel olei Vitrioli addatur, vel uſurpetur aqua illa ex Mercurio ſublimato, & alumine, ac aqua plantagin. parata, & ſupra in Stomacace propoſita.

Ad conſolidationem tandem uſurpandum *Emplaſtrum diacalcith: de minio, de tutia.*

De Atrophia.

22. *Atrophia.* Cum membrum non tantum riget, ſed etiam contabeſcit, unguento reſumtivo inungendum eſt. In univerſali verò atrophia ut in ſcorbuto reliquo curatio inſtituenda, & bona diæta utendum. Commendatur hic lac caprinum, inprimis ſi capra herbis contra ſcorbutum pugnantibus alatur, aut iacti pauillum croci, & aliquid mellis, vel ſacchari addatur, & vitium Gallicum rubrum, quod plus nutrit, quam Rhenanum.

Summa, ut hæc concludamus, & quidem cum eo, quo cępimus, generalis lex curandi Scorbutum cum aliis morbis, & ſymptomatibus copulatum hæc eſt: ut miſceamus cum medicamentis contra morbum illum, vel ſymptoma directis medicamenta peculiari vi contra ſcorbutum pugnantia, & quidem ea ratione, ut nunc horum, nunc illorum plus ſumamus, prout magis vel ſcorbutus, vel morbus ille ſcorbuto coniunctus prævalet.

CAPUT. IX.
DE
DIÆTA.

1. *Aër.*
2. *Cibus, & potus.*
3. *Motus, & quies.*
4. *Somnus & Vigiliæ.*
5. *Excreta, & retenta.*
6. *Animi pathemata.*

Multum

MUltum vero momenti ad ſcorbutum curandum in diætæ ratione ſitum eſt. Reſpondeat autem ea medicamentis, & cacochymiæ ſcorbuticę adverſetur, ita ut non ſolum nihil ad ſcorbuticæ cacochymiæ generationem faciat, ſed etiam vitium humorum corrigat; quod alimenta medicamentoſa commodiſſimè præſtant.

1. *Aer.* Aer ergò frigidus, humidus & impurus, qualem venti Aquilonares & occidentales, ac loca ſubterranea, concluſa & ventilationi nulli expoſita, ſuppeditant; ut & qui paludum, ſtagnantium aquarum, cloacarum aut aliarum rerum putridarum halitibus infectus eſt, ac proinde humores ac ſpiritus inquinare, iisque vitioſam, quam obtinet, diſpoſitionem imprimere ſolet. Contrà moderatè calidus, ſiccus, tenuis, purus, parens ac liber eligatur; aut ſi talis natura non detur, arte concilietur, accenſo ligno juniperi, roriſmarino, & fumo ex baccis juniperi, lauri, thure, ſuccino, trochiſcis, & candelis pro fumo, & ſimilibus.

2. *Cibus & potus.* In cibo, & potu viten ur omnia, quæ humorem Melancholicum, craſſum, & tartareum præbere poſſunt; carnes nimirum ſuillæ, & aliæ ſale, ac fumo exſiccatæ; craſſa, viſcida, dura, difficilis coctionis, vetuſtate exſucca, rancida, lardum rancidum, piſces ſale conditi, & fumo exſiccati, ac omnes cibi, quos ſupra ad ſcorbutum generandum aptos eſſe diximus. Contrà vero in uſu quotidiano ſint cibi boni ſucci, facilis coctionis, attenuandi, incidendi, aperiendi, detergendique vi præditi, & qui ad coctionem bonam & fermentationem, ac πνευμάτωσιν faciunt, nullo verò modò eam impediunt, & cibos reliquos incraſcant. Itaque exhibeatur priſana, juſcula gallinarum, & carnis bubulæ, animalium carnes, & piſces, quæ bonum ſuccum præbent, & facilè coquunt; uvæ item paſſæ. Imprimis commendatur lac caprinum, quod boni ſucci eſt, & facilè coquitur. Alvum quoque nonnihil laxat, & ad benignum epatis ſuccum vi morbi abſumtum inſtaurandum, viſcerumque robur conſervandum aptiſſimum. Ac multi largo ſolius lactis uſu, in quo naſturt. aq. cochlearia, beccabunga cocta fuere, convaluerunt: atque inprimiis iis id utile eſt, qui atrophia laborant, neq; evacuationes facile ferunt. Cum enim unice danda opera ſit, ut pro vitioſo bonus ſanguis ſubſtituatur: lac & bonum ſanguinem ſuppeditat, & ſi admiſceantur medicamenta ſcorbutica, prava qualitas ſimul aboletur. Utilia quoque ſunt poma aurantia, refertque Balduinus Ronſſeus, *epiſt.* 2. ſe noviſſe nonnullos, qui ſolo eorum una cum corticibus uſu ſanitatem recuperarunt. Cibi condiantur hyſſopo, roremarino, thymo, ſatureia, croco, cinamomo, macere: Embammata fiant è cochlearia,

naſturtio, radic. raphani agreſt. capparibus ſine ſal, vel à ſale ablutis, limonibus malo citrio, acetoſa, flor. borraginis, ſinapi. Sali admiſceantur, vel ſalis loco cum cibis uſurpetur pulvis ex ſale juniperi, radic. aronis, ſpecibus diaplitis archont. aromatic. roſati. Gravidarum tamen hac in re etiam habenda eſt ratio, ne fætui aliquod damnum attrahatur. In febribus utilis eſt acetoſa, acetoſella, trifolium acetoſum, quibus aliquid cochleariæ vel naſturtii addi poteſt. Acida vero, quatenus talia, & inprimis acetum ſimplex, fugiendum; cum coctionem, & rarefactionem alimentorum impediat, humores figat, Melancholiam augeat, & ut Hippocr. *de rat. vict. in acut. t.* 38. loquitur, ſit ἀναγωγὸν μελάνων. Condire tamen interdum acidiuſculis cibos licet, ut & deiecta appetentia excitetur, & putredo humorum inhibeatur, ac calor, & fervor humorum temperetur. Dulcium, & ſacchari uſus parcus ſit; cum glutinoſum quiddam, & obſtructiones pariendi vim habeat. Et de ſplenicis verum eſt, illud antiquum: Τοῖς σπληνικοῖς τὰ μὲν δριμέα, καὶ τὰ πικρὰ ὠφέλημα, τὰ δὲ γλυκέα βλαβερά. Semper quoque ſimplicitas ciborum varietati eſt præferenda; inprimis ubi diverſi cibi diverſas obtinent ſubſtantias: & τὸ ποικίλον τῆς διαίτης ποικίλα parere ſupra diximus.

Potus ſit vinum bonum, Rhenanum inprimis, vel cereviſia tenuior, & bene defæcata, ac lupulo ſatis condita; & quidem cum vinum tum cereviſia, vel ſimplex vel abſinthio, chamædr. lingua cervina, carduo benedict. hyſſopo, veronica, roremarino medicata.

Vel paretur tale vinum.

R. *Radic. ſarſaparillæ*
chinæ
ligni ſaſſafras an. unc. ij.
radic. rhodiæ
garyophyllatæ
ſcorzoneræ an. unc. j.
linguæ cervinæ
chamædr.
cochlear.
abſinthii an. M. ij.
cinamom. opt. Drachm. vi.
paſſular. contuſar. lib. j.
Affundantur vini, vel quod commodius, muſti amphora dimidia.

F. vinum medicatum.

Aut paretur hæc aqua ad vinum diluendum.

R. *Cochleariæ recentis* M. vj.
naſturtii aquat.
linguæ cervinæ an. M. ij.
ſarſaparillæ Unc. iij.
paſſul. contuſar. lib. ß.
ſucci becabung. lib. vj.
acetoſæ lib. iij.

Deſtillentur in B. ad vinum diluendum.

Hydropotæ utantur aqua, in aqua ferrum, vel chalybs ignitus aliquoties extinctus ſit. Si acidularum copia datur, eæ in frequenti uſu ſint. Caprini etiam lactis, aut ſi deſit, vaccini

potus.

potus admittitur; cum benè nutriat, & emaciatis utile ſit: vel potetur ſerum lactis, præcipue caprini. Commodior tamen & lactis, & ſeri uſus eſt, ſi naſturtii, vel cochleariæ aliquid in iis coctum, vel conſervæ earum diſſolutæ ſint.

3. *Motus & quies.* Corpus moderatè exerceatur, ante cibum: Ambulare enim, ut eſt apud Plautum, *in Curculion. act.* 2. lieni optimum eſt: & exercitium concoquentem calorem exuſcitat: contra otium, & quies hoc malum augent.

4. *Somnus & vigiliæ.* Somnus, & vigiliæ ſint moderatæ. Et ſomnus quidem ita ſe habeat, ut ad caloris nativi inſtaurationem ac tutelam, humorumque crudorum coctionem ſufficiat. Sit quoque nocturnus: meridianus tamen iis qui ob vehementiam dolorum, animi affectus & melancholicas cogitationes noctes inſomnes tranſegerunt, concedi poteſt. Vigiliæ verò calorem & ſpiritus excitent, non abſumant, aut corpus exſiccent, & tabefaciant.

Conſvetæ evacuationes non ſupprimantur. Balneum aquæ dulcis, cum poros cutis laxet, moderatè calefaciat, & humores fundat, reliquias humorum diſcutiat, & ſordes in ambitu corporis hærentes diſſipet, ſi moderatè, & ſuo tempore uſurpetur, utile eſt.

Abſit tandem triſtitia, & mæror.

CAPUT X.

De

PRÆSERVATIONE.

Eadem, quæ modo propoſito eſt, victus ratione obſervata, qui proni ad ſcorbutum ſunt, ut & alii, eundem præcavere poſſunt. Nimirum, qui à ſcorbuto ſibi metuunt, victus rationem corporis naturali conſtitutioni convenientem, ſcorbuto vero contrariam, qualis modò deſcripta eſt, obſervent.

In eo ſaltem eſt differentia, quod eorum, qui ſcorbuto iam laborant, diæta ita comparata eſſe debet, ut ſcorbuto manifeſtè ſit contraria. In præſervatione vero ſatis eſt, ſi corpori noſtro ſit ſimilis, & cauſſæ præter naturali moderatè adverſetur.

Et quia omnes errores diætæ ſemper præcaveri non poſſunt, ſi quid humorum vitioſorum cumulatum eſt, verno & autumnali tempore evacuandum. Et quidem imprimis autumno multo maiore cura opus, utpote qui ad morbos melancholi-

cos generandos aptiſſimus eſt. Ideoque humor melancholicus & bilis aduſta per æſtatem tali vel ſimili medicamento educenda.

R. *Radic. polypodii. q.* unc. j.
bugloſſ.
cichorii. an. unc. ß.
Ceterach
fumaria
cuſcuta
Capillor. Vener.
chamædryos an. M. j.
ſem. frigidor. major. an. Drachm. j.
flor borragin.
bugloſſæ
geniſtæ an. M. j.
fol. ſenæ unc. j. ß.
rhabarb. Drachm. j.
ſem. aniſi
fœniculi an. Scrup. ij.
paſſular. exac. unc. j.
Coq. in aq. pura. Colatura adde
byzant.
de pomis
de epithymo an. unc. ß.
Dentur pro Doſi unc. iv.

In primis verò, qui à ſcorbuto liber eſſe cupit, omnes modos, quibus contagii ſcorbutici ſeminaria communicari poſſunt, caveat, pocula cum ægris communia, halitum ex ore fœtentem, oſcula & ſimilia. Aerem uliginoſum & ad ſcorbutum generandum aptum cum ſalubriore mutet.

F I N I S.

BALDVINI RONSSEI
GANDENSIS

DE MAGNIS

Hippocratis Lienibus, Pliniique
Stomacace ac Sceletyrbe, ſeu
vulgò dicto

SCORBVTO

Commentarius.

*Ejusdem epiſtolæ quinque, eiuſ-
dem argumenti.*

CLARISSIMO

Medicinæ Doctori, Dn. HECTORI MITHOBIO, Reipub. Hanobrienſis Medico primario, Balduinus Ronſſeus S. P.

ANnus jam ferè eſt, mi Mithobi, quod relicta Illuſtriſſ. ac clementiſſimi Principis noſtri D. Erici Brunſuicenſium & Luneburgenſium Ducis aula, Landſtroſto iſthâc iter faciens, te pro veteri inter nos conſuetudine, atq; patrio more, delibato utcunque φιλοτησίας poculo, quum ſermo de communibus ſtudiis, ſicuti inter æquales fortè fit, incidiſſet: tu tandem id mecum obnoxiè agere cepiſti, ut commentarium noſtrum de magnis Hippocratis lienibus, jam iterum prælo committi mandarem: diſtractis enim jam undiquaque exemplaribus univerſis, multos noſtræ profeſſionis illorum maximo teneri deſiderio, quum indies ſæviſſima

lues hæc magis ac magis propagetur: Hoc addens, te, ſi opus ſit, transmiſſo ſcripto, aut typis excuſo exemplari, eam provinciam ſuſcepturum, ut typographo, qui annuas tuas Ephemerides excudendas recepit, negocium iſthoc committatur. Quid multis? eò me tandem adegiſti, ut fidem darem, me prima occaſione exemplar ſcriptum transmiſſurum, præſertim quando conſtanter aſſereres, me non futurum illorum calumniæ ſubjectum, qui me inſimulaturi ſint, tanquam eandem ſemper canens cantilenam, quum illis jam ante à Platone abundè reſponſum ſit, id quod egregium eſt, iterum ac tertio in ſermone repeti oportere. Ego igitur compoſitis utcunque rebus meis, ut fidem liberarem, arrepto calamo libellum, qua potui diligentia, transſcribo, nonnullis, ubi ferret occaſio, additis: eratque animus præſcripta quædam medicinalia, quibus vulgus ad morbi curationem utitur, noſtro inſerere opuſculo. Verum quando Doctiſſ: Medicus D. Joannes Vuierus in ſuis obſervationibus nihil omiſerit, quod ad morbi curationem fore putaret, aſſcriptis etiam muliercularum empiricis remediis, conſultius

eſſe

eſſe judicavi, noſtro libello doctiſſimam illius de Scorbuto obſervationem ſubnectere, quàm ex noſtro pœnu novam medicamentorum farraginem depromere, atque ne quid ſtudioſi deſiderarent, quoniam tam Vuierus, quàm ego Doctiſſimi Joannis Langi non ſemel meminimus, illi ſubjungere duas epiſtolas ex miſcellanea ſecunda, in quibus ex profeſſo de Scorbuto agit. Ne tamen & ego vacuus omnino veniſſe viderer, ex miſcellaneis noſtris, quæ nondum in lucem prodierunt, ſtatim ſub calcem noſtri opuſculi ſubjunxi tres epiſtolas de Sceletyrbe, atq; aliam de lumbagine, quintamque de Hollandia, in quibus nonnulla quæ ad præcedentis opuſculi intelligentiam faciunt, Candidus inveniet lector Tu interim, mi Mithobi, levidenſe hoc munuſculum grato accipias animo, ac Ronſſeum ut tui ſtudioſiſſimum habe. Vale

Gouda, Calend. Auguſti,

1583.

M. THEODORUS
Soupyrgus, Lectori.

CVm regiis Delphos profectus liberis,
Ex urbe domina qui ſuperbum propulit,
Aurum cavi reconditum tectorio
Ligni, Deo vati obtuliſſe dicitur:
Haud aliter in vili papyro Ronſſeus
Precioſiorem, amice lector, Perſicis
Offert tibi theſaurum opibus, oſcedini
Ratione qua queas mederi, & quæ pedes
Luctator ut vafer capit σκελετύρβη, *opes*
Lydi quod haud regis queant ditiſsimi.
Quare bonis perge avibus: hoc modo æthera
Conſcendit Æſculapius, volitat virûm
Hippocrates per ora: te quoque Ronſſee,
Laus tua manet, quem poſteri vacui odio,
Et amore, laudibus ferent ad ſidera.

Sic Iunius in Nomenclatore a Marcello appellatam ſcribit ſtomacacen.

BAL-

BALDUINO RONSSEO,

Reipub. Goudanæ Medico, Joannes Vuierus Illuſtriſſ: Cliviæ &c. Ducis Medicus S. P. D.

QVod Lucrubrationes tuas de Scorbuto mihi miſeris legendas, cenſendasque, ornatiſſime Ronſſee, facis tu quidem pro ſingulari tua humanitate, & animi candore, quem amplector mirificé: illas ut equidem me legiſſe agnoſco, ita temerarium me fatendum foret, ſi elaborati tui ſcripti cenſor dici velim. Quàm ſit mihi curta ſupellex, non ſum neſcius. Summoperè autem placet is tuus labor, quem ex profeſſo inſtituiſti de ſcorbuto, licet antea contractiùs epiſtolâ unâ doctiſſimâ hunc tu omnium, quos mihi videre licuit, primus explicueris. Perge igitur hanc ſecare glaciem, atq; hos exantlare labores Reipublicæ admodum utiles, & ne diutius ſupprimantur cura unicè. In curatione verò te paulo velim eſſe copioſiorem, atque nonnihil dicere de iis curandi modis, quibus felici ſucceſſu apud Hollandos, Phriſios, & loca maritima utitur vulgus. Cum etiam in tibiis, ac genibus præſertim, nervorum rigor ex gravi illo imbibito humore obſeruetur, contra id ſymptoma, quemadmodum quoque

 ad

ad lituras poſſent fomenta linimentaq́ adſcribi. Multum, & ſæpè de hoc morbo contuli cum doctiſſimo, integerrimoquè medico D. Joanne Echthio Colonienſe, ut & cum aliis, quorum audivi judicia: hinc & ſcriptum quod vides communico, ut legas aliorumque videas ſententiam. Tam depravaté hæc exſcripſerat puer, ut me plurimum offenderit: transmitto tamen, ut animum erga te meum oſtendam, & quid tuo nomine velim, ſi modo poſſum, intelligas. Libenter etiam chartæ in transſcribendo calamum applicuiſſem ipſe, at temporis parum mihi eſt reliquum, tot profectionibus, & occupationibus aliis avocor: quas autem ſuffuratus ſum paucas horas, libello noſtro nuper excuſo jam relegendo, caſtigando, & augendo impendi. Exemplaria etenim omnia diſtracta eſſe ſcripſit Oporinus noſter, & plura à multis deſiderari. Quapropter oravit ille, & hortatus eſt, ut ante Martini ferias recognitum, & locupletatum exemplar transmitterem Baſileam, ſe illud emendatiùs, elegantiùs, auctiùsquè impreſſurum pollicitus eſt, addito copioſo indice, & Cæſareo privilegio. Tu interim in eo, quod feliciter cepiſti, audaciùs progredere, pergeq́ juvare Rempublicam Chriſtianam, & in hoc totus ſis, ut labor ille tuus mundo innoteſcat in multam haud dubiè Reipub. utilitatem. Vale.

Clivis vj. Novembris, M.D.LXIII.

CAP. I.

Generalia quædam in morbis conſideranda.

QUoniam in ſtomacaces conſideratione tota hæc noſtra exercitatio verſabitur, non videbitur inconſultum, ſi à primo orſi ovo, quisnam ſit morbus, inquiramus: Deinde ejuſdem perſcrutemur cauſſas; ac deinceps methodum quandam curatoriam præſcribamus: ſiquidem ſi, ut autor eſt Ariſtoteles, 2. *poſt analyt.* quatuor potiſſimum ſunt, quæ nos in cuiusque rei notitiam, ceu manu quadam ducunt, quia propter quid, ſi eſt, & quid eſt, priora duo ſine poſteriorum cognitione haberi nequeant: fieri non poteſt, ut qualitatem, aut cauſſam eius, quod quærimus, prius agnoſcamus, quàm eius naturam, veramque eſſentiam; & abſurdum prorſus ſit, morbi alicuius curam ſuſpicere, cuius naturam, & originem ignores. Neque ſufficit dixiſſe morbum aut in inſtrumentariis, aut ſimilaribus conſiſtere particulis: & rurſum eundem, aut ex defectu ejus, quod adeſſe debebat aut abundantia eius, quod non erat neceſſarium fieri; Aut ſicuti Aeſclepiades, *lib.* 2. *de locis affect.* in meatuum genere Sanitatem & morbum reponere, niſi, quemadmodum docet Galenus, ſumpto indicio ab excrementorum ſpecie, doloris proprietate, tumoribus præter naturam, actione læſa, vitio coloris quod ſequitur, vel in univerſo corpore, vel in una aliqua parte, & propriis accidentibus locum affectum, atq; adeo morbum ipſum tandem deprehendamus, ac deinde ex locorum varietate, annique conſtitutione, morbos & præſagire, & eorundem eſſentiam dijudicare poſſimus. Alia namque natura eſt morborũ auſtrinam conſtitutionem ſubſequentium, alia borealem, ut docet Hippocrates *Sect.* 3. *Aph.* 12. Siquidem ſi auſtrina fuerit hyems, & pluvioſa, ver autẽ aridum & brumale, mulieres quibus inſtat in vere partus, ex qualibet occaſione abortiunt; & quom hyems ſicca fuerit, & aquilonia, ver autem pluvium, & auſtrinum, æſtate exiſtent febres acutæ, lippitudines, & dyſenteriæ. Ad hæc alii uliginoſis, alii campeſtribus, apricisque locis in metu ſolent eſſe morbi. Nam Cranon, cuius in epidemiis meminit Hippocrates, *lib.* 2. *ſect.* 1. peſtilentibus, & putridis morbis maximè fuit infeſtata, quod in loco

[M]orborum [na]tura. *quomodo inveſtiganda.*

in loco concavo, & meridionali ſita eſſet, & averſa ventis aquiloniis, ſubiectaque ventorum tranquillitatibus quas νηνεμίας vocant. Et rurſum, qui loca edita apertaque incolunt, tardius ſeneſcunt, ſicuti qui cava, paluſtriaque, ocyus: ac locis paluſtribus ulcera capitis celeriter curari, crurumque tardè, author eſt Ariſtoteles, *Proble. Sect.* 14. *pro.* 6. Præterea Bononiæ, quantumvis levia capitis vulnera lethalia eſſe conſpicim⁹: Romæ contrà, quantumcunque magna ſint, facilem curationem admittere. Ad hæc Romæ tibiarum vel leviſſima vulnuſcula vix curantur. Bononiæ etiam maxima ocyſſimè ſigillantur. & Ferrariæ, ac Venetiis perpaucæ percipiuntur criſes: Anconæ autem vel in ipſa hyeme frequentiſſimè viſuntur. Adeò rectè Hippocrates *Lib. de aere aqua & locis*, ſcriptum reliquit, quod quicunque artem medicam integre aſſequi velit, primum quidem temporum rationem habere debeat, quantum potentia quodlibet eorum valeat, non enim ſimile quicquam in ipſis exiſtit, verùm differunt invicem propter varias, quæ in ipſis fiunt, mutationes. Deinde ventorum calidorum, & frigidorū, maxime qui ex his omnibus hominibus ſunt communes, & mox, qui in unaquaque regione ſunt indigenæ & proprii. Neque verò negligentiorem ſeſe circa aquarum facultates cognoſcendas exhibere convenit. Quemadmodū enim guſtu differunt, & pondere ac ſtatione; ſic quoque virtute aliis aliæ longe præſtant. Quare ſi quis ad urbem ſibi incognitam perveniat, circumſpicere oportet eius ſitum, quomodo ſcilicet ad ventos, & Solis exortus jaceat. Non enim æquales urbes ſunt ad Septentrionem ſitæ, & vergentes ad auſtrum: neque eius quæ ſolem exorientem, & quæ eundem occidentem ſpectat. Multùm ſiquidem differt Aſia ab Europa, ſecundum naturas omnium ex terra naſcentiū. Solent enim Aſiani Europeis multò eſſe manſuetiores; timidiores, atque effœminatiores, quod Ariſtoteles *Probl. ſect.* 14. *pro* 16. *Lib. de aere aqua & locis* per ἀντιπαράστασιν fieri contendit, Hippocrates temporum æqualitati, aut inæqualitati acceptum fert. Conſueverunt etiam nonnunquam vitia aliqua repente gigni in cera aliqua terrarum parte, membriſque hominum certis, ut author eſt Plinius: *Lib.* 7. *Cap.* 50. *& lib.* 26. *cap.* 1. vel ætatibus, aut ertiam fortunis, tanquam malo eligente hæc in pueris graſſari, illa in adultis, hæc proceres ſentire, illa pauperes. Nam ſplenitides uliginoſis præſertim locis, in metu eſſe dicit Hippocrates: *Lib. de aere aqua & locis.* Et hodie in Stiria & Carinthia ob vitiatas mineris aquas homines ſtruma, & bronchocele adeo affici contingit, ut voce priventur. Plinius *lib.* 26. *cap.* 1. Elephantiaſin peculiare Ægypti malum vocat, neque ante Pompei magni tempora Italiam invaſiſſe

Vulnera pro ratione locorum periculoſa vel non periculoſa ſunt.

Regionum & locorum differentia medico cognoſcenda.

Morbi quibuſdam locis vernaculi.

vaſiſſe demonſtrat: Carbunculum idem Narbonenſi provinciæ familiarem dicit, ac primum in Italiam veniſſe L. Paulo, & Q. Martio Cenſoribus. Præterea lichenas, ſeu mentagram ante Tiberii Claudii principatum Italia non vidit, quodam Peruſione equite Romano quæſtorio ſcriba, ex Aſia contagiem eius importante. Ita ſolet natura varietate rerum ludere, & ſemet quodammodo oblectare, & quemadmodum varias formas monſtroſosque partus producit: ita varios interdum, & novos parit morbos, & alios in nobis deſinere ſinit: argumento poteſt eſſe morbus, quem Gemurſam appellare ſolent priſci, cuius vel nomen ipſum obliteratum eſſe oſtendit Plinius, *Lib.* 26. *cap.* 1.

CAP. II.

Quis morbus ſit Stomacacaxia dicta, & quo nomine apud Hippocratem appelletur.

Stomacace & ſcelotyrbe Plinii

PLinius Naturalis hiſtoriæ *lib.* 25. *cap.* 3. nec beſtiarum, inquit, ſcelerata ad nocendum ſola ſunt, ſed interim aquarum quoque & locorum. In Germania trans Rhenum caſtris à Germanico Cæſare promotis maritimo tractu fons erat aquæ dulcis ſolus, qua pota, intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus diſſolverentur. Stomacacen Medici vocabant, & Sceletyrben ea mala. Id vitium hodiè paulo latius ſerpſit, & confines aliquot regiones invaſit, Hollandiam dico, ac Friſiam, Daniamq;: & ſicuti audio, Flandris, Brabantisque hactenus tamen incognitum, paulatim innoteſcere occipit: In Germania etiam locis aliquot ſeſe exerit. Hippocrates ſub finem *ſecundi libri prædictionum*, Plinii Stomacacen hanc, & Sceletyrben graphicωs admodum his verbis depingit, ac magnitudini lienum acceptas fert. Quicunque, inquit, dum neque febricitant, neque decolores ſunt, ſæpe & verticem & tempora dolent, ſi non alium habuerint manifeſtum abſceſſum in facie, aut graviter loquantur, aut dentes doleant his ſanguinem per nares erupturum expectandum eſt. Quibus verò ex naribus ſanguis fluit, hi, etſi alioqui ſani eſſe videntur, hos autem, vel ſplenem in tumorem elevatum habere comperies, vel caput dolere: vel ſplendicans quiddam ipſis ob oculos verſatur. Pleriſque vero horum ſimul & caput, & ſplen hoc modo ſe habere apparent. Gingivæ vitiatæ, & ora graveolentia his ſunt, quibus ſplenes magni. Quicunque vero habent ſplenes magnos, & neque ſanguinis eruptiones ipſis contingunt, neque oris graveolentia, horum tibiæ ulcera prava habent, atque ex his cicatrices nigras. Cornelius Celſus latinus merito Hippocrates dictus, eandem

Scorbutus ab Hippocr. deſcriptus.

à C. Celſo.

eandem ſententiam ſic reddidit: *Lib.* 2.*cap.*7. Quibus ſæpe ex naribus ſanguis fluit, his aut lien tumet, aut capitis dolores ſunt, quos ſequitur, ut quædam ante oculos tanquam imagines, obſerventur. At quibus magni lienes ſunt, his gingivæ malæ ſunt, & os olet, aut ſanguis aliqua ex parte prorumpit: quorum ſi nihil evenit, neceſſe eſt in cruribus ulcera, & ex his cicatrices fiant nigræ. Poſſumus & huc accommodare, quæ Cælius ille methodicus Siccenſis, *lib.*3.*chron.c.*4. & Aeſculapius *cap.* 4. ſcribunt: ſiquidem alter de lienoſis loquens, prætetea, inquit, oris fœtor ægrotantes afficit, cum gingivarum putrefactione, & defluxione. Sectarum principes meminerunt tenuari etiam cutem ventris, & venas nigras apparere, atque craſſiores, & in cruribus ulcera difficile in cicatricem, vel indecenter venientia. Alter vero quando, inquit, intumuerit pars ſplenis, uſque ad ſiniſtrum inguen, & præcordia ipſa uſque ad jugulum dolent, & ex vicinitate aliud latus dolet cum colore pallido, & livido, exinde tumeſcit totum corpus cum oris fœtore, in capite. Ante omnia difficultas pedum. His per omnia reſpondent, quæ Palus Ægineta, *lib.*31.*cap.*49.& Aetius *tit.*3.*ſer.* 3.*cap.*7. nobis tradiderunt, quæ brevitatis gratia volens omitto. Poterat enim ſolius Hippocratis vel Celſi locus ſatisfeciſſe, niſi auctorum hac congerie manifeſtum prorſus reddere voluiſſemus, Plinium morbi potius ſymptomata, quam morbum ipſum deſcripſiſſe, neq; ſatis animadvertiſſe ipſius originem, dum ſicuti rationalis ſecta diligens uſque adeo inquiſitor non fuit (ut bona tanti viri venia dicam) ea, quæ ab aliis experientia, ac fortuito aliquo caſu comperta eſſent, ſedulo obſervare maluit, quàm ſingulorum perſcrutari cauſſas. Si enim magno exiſtente liene, ſanguinis eruptio per nares non fiat, veriſimile eſt, ſanguine illo impuro ad inferiores regurgitante partes, coxas, atque tibias, non ſecus ac ſentina quæpiam, eundem recepturas; atque inibi (ſolet enim cutis ſimilis effloreſcere humoribus) ſui veſtigia relicturum: & ſi, qui peccat humor, acrior ſit, corroſa paulatim carne, ulcera producturum, quæ difficilem recipiant curationem, & ſi conſolidentur, poſt ſe cicatrices relinquant nigras, quod vitium loco iam citato Plinius, *lib.*25.*c.*3. Sceletyrben vocitat. Solent namque ita affecti, vacillante, ac titubante gradu progredi, ſolutis quodammodo ingenibus nervorum compagibus: Sin impetu quodam ad ſuperiora feratur humor melancholicus, è ſiniſtra nare ſanguinis fluor ſubſequetur; qui niſi diutius duraverit malum, morbum per ſe frequenter ſolvit: & quantumvis non liberet, viam tamen ſternit ad faciliorem curationẽ. Verùm ſi ſanguinis eruptio, nec è naribus, nec hæmorrhoidibus (as- ſolet

à Cælio.

Ab Aegineta & Aetio.

(ſolet ſiquidem frequenter per has melancholica illa fex expurgari) nec aliunde ſubſequatur, tum demum neceſſum eſt gingivas vitiari, & os malè olere, & ſplendicans quid ob oculos verſari, ſucco illo melancholico gingivas inficiente atque exedente, & fuliginoſis vaporibus cerebrum petentibus: quod vitium Plinius Stomacacen, vulgus medicorum corrupto vocabulo Stomacacaxiam appellat, ac ſi intelligant, uti ſuſpicior τὴν στομάχου καχεξίαν, quòd magna ex parte cibum averſentur ægri, accidens profectò, non huic tantùm, ſed & omnibus ferè in genere morbis commune. Quod quàm ſit frivolum, quivis, vel tenuiter in re medica verſatus facilè conſequetur, quum potius græcę dictionis etymon, ad os depravatum referendũ ſit, quò & Danos alluſiſſe veriſimile eſt, dum vitium hoc Scerbock appellitant. Hollandi tamen Aetiũ, *tetr.3.ſer2.cap.7.* ſequuti Scuerbuyck, tanquam ventris rupturam, aut ramicem dicere maluerunt. Quidam dum uſitatum aliquod latinioribus nomen malo indere voluerunt, Oſcedinem non ſatis propriè vacaverunt, quum Oſcedo teſte Gellio, *lib.4.c.20.* vitium ſit, quo quis tenetur, ut ſæpius oſcitet.

Stomocacaxia barbar.

Stomacace unde dicta.

Sterbock.

Scuerbuyck.

Oſcedo.

CAP. III.

Quod aliud ſit Stomacace ab icteritia nigra.

Qui Stomacacen, aut Magnos lienes, aut ut vocare libuerit, Icteritiam nigram eſſe contendunt, quantum ego quidem conjicere poſſum, tota errant via, neq; ſatis perſpectam habent Arquati nigri naturam. Nam ſicuti bilis, ut author eſt Galenus, *lib. de ſympt. cauſ.* ſi in una aliqua parte redundat, tantummodo Eryſipelata, & Herpetes excitat, ſin per univerſum corporis habitum exuperet, Regium morbum, quem græci ἴκτερον nominant, procreat: ita non vocabimus ſtatim Icteritiam nigram, ubi nigro quodam livore ſuffundantur tantùm coxæ, tibiæ, aut quod rarius eſt, brachia, & partes circa lienis regionem in ventre, & dorſo, niſi facultas illa attractrix lienis infirma fuerit, & ni meatus, per quos atræ bilis excrementum, ceu ſ[illegible]um ſanguinis, naturaliter eliciebat, obſtructi ſint. Nam alioqui ubi in univerſo corpore atra bilis fuerit, loco jam allegato, Galenus Elephantiaſin magna ex parte ſubſequi dixit, ſicuti, ſi in una aliqua parte Cancrum. Neq; quisque quod ſciam, veterum, præter Hippocratem, & Palum ex Aegina medicum, *lib. 3. cap. 49.* ſuffuſionem hanc atræ bilis per univerſum corpus proprio nomine compellavit. Nam etiamſi Galenus, de locis *aff. lib. 5. cap. 7.* ob ſplenis vitia, corpus univerſum colore ſubatro ſuffundi concedat: proprium tamen nullum nomen eidem affectui attribuit, quũ antea pallidæ bilis ſuffuſionem, Regium vocari morbum dicat, atque

An icteritia nigra ſit Stomacace.

Icterus niger proprio nomine apud pleroſq; medicos caret.

ob id omnes ferè ad unum proprio carere nomine dixerunt; cuius evidentiſſimum teſtimonium, nobis dat Actuarius, *Meth. med. lib. 1. cap. 11. & lib. 4.* nam qualem in hepate, inquit, arquatum creari diximus, talis etiam affectio in liene oritur, ubi eius humor in totum corpus diffunditur, verùm nigriore colore inficitur, caretq; hic affectus proprio nomine. Qui hoc Arquato corripiuntur, non nulli in ſubpallidum, alii viridem, quidam lividum, aut nigriuſculum colorem mutantur, pro humoris peccantis natura, ac conditione. Perperam igitur arquatum nigrum vocabimus, niſi per univerſum corpus, ac præcipue faciem, ater quidam color ſuffundatur, quod clare in hunc modum Hippocrates, *lib. de morbis, 2.* teſtatum reliquit. Color, inquit, fit niger circa faciem, & maxime vero circa partes, velut in umbra, occultatas, & oculi cum virore pallidi, itemque lingua inferne, & ſub lingua craſſa, & nigra &c. Et Paulus Aegineta, *lib. 3. cap. 49.* μέλανα ἴκτερον (ſic enim appellat) eſſe dicit, quoties ater ſanguis per totum corpus ſeſe ſpargat, quod in Stomacace noſtra, aut Sceletyrbe nequaquam fieri videmus. Siquidem etiamſi uſu veniat interdum præcedente λόρδωσι, quam elumbationem, aut lumbaginem vocant latini, coxas, ventrem, lumbos, atro quodam colore infici, gingivasque adeo affici, ut conſortii lege ipſum palatum non rarò coafficiant, nunquam tamen quiſque (quod ſciam) Sceletyrbicum vidit, cuius oculorum album in lividum, ſubpallidum, aut nigriuſculum colorem mutaretur, & cuius genæ cum tota corporis compage alio tingerentur colore. Et quamvis Galenus, *lib. 2. de nat. fac.* Regium morbum, qui ab atra bile fiat, nigriorem eſſe dicat: Itemque ulcerum cicatrices nigras, non ſtatim hinc inferendum erit, in icteritia nigra ulcera fieri, atque ex his cicatrices nigras, ſicuti in Sceletyrbe fieri aſſolet: Sed videtur Galenus nigras cicatrices quodammodo à Regio morbo ſejunxiſſe (ſunt enim diſtinctæ inter ſe periodi) atque id voluiſſe, quod ulcera, ſi quæ lienis vitio oriantur, cicatrices nigras, tanquam melancholici humoris veſtigia relinquant. Veriſimile igitur eſt, ſicuti omne excrementum ſui generis morbum creat, ipſumque pro ſui natura varia ſolere ſubſequi excrementorum genera: ita Magnos hoſce Lienes, ad extimas corporis partes, pedes dico, pulſo melancholico humore, inibi pro ſui natura morbum conciliare, quemadmodum jam ante Galeni authoritate diximus, ſi in uno aliquo loco bilis fuerit atra, in metu eſſe cancrum; ac proinde ubi crura, & coxas petierit, humorem, ubi aliquandiu delituerit, effloreſcere, atque ſemet exercere. Solet ſiquidem ut docet Galenus, *lib. 4. ſanit. tuendæ*, cutis ſimilis effloreſcere humoribus, unde & certiſſimam ſucci cognitionem ex colore

Icterus niger quid.

colore dari dicit: nam ſi corpus ſolito albidius effectum ſit, pituitoſum abundare ſuccum indicat, ſi pallidius aut flavius, bilioſum: ita ſi ad rubicundius, quàm pro natura, ſi mutatum, ſanguinis abundantiam ſubeſſe, ſicuti ſi ad nigrius, quemadmodum in Scelετyrbe contingit, nigram ſupereſſe bilem oſtendit.

CAP. IV.

Quod Stomacace non ſit Volvulus Hæmatites, ut ſuſpicatur Joannes Langius.

An ſtomacace ſit volvulus Hæmatices.

JOannes Ille Langius Palatinorum Rheni Archiatros, vir, ſi quisquam alius πολυίστωρ, & maximi exactiſſimique judicii, atque, ut ipſemet de ſe ſcribit παλαιόφιλος, dum *Epiſt. miſc.* 2. *Epiſt.* 13. & 14. novos oriri morbos, quorum ſaltem nulla antea veſtigia apparuerint, inficiatur, ac ſingulos, qui hodie graſſantur, ad aliquem eorum, qui ab Hippocrate, Galeno, aut aliis antiquioribus recenſentur, reducere conatur, Stomacacen ad tertiam Hippocratici Volvuli ſpeciem, quam *de morb. inter.* hæmatiten vocat, refert, adeoque clarè ab eodem deſcriptam dicit, ut penicillo vix poſſis melius depingere, producitque in medium Hippocratem ſic ſcribentem. In hoc morbo, inquit, accidit, ut ex ore male oleant, à dentibus gingivæ diſcedunt, & à naribus ſanguis profluit, aliquando ex cruribus ulcera pullulant, & alia ſaneſcunt, alia emergunt, & cutis extenuata nigreſcit. Scita mehercule morbi delineatio, niſi idem ſenex ſtatim ſubiunxiſſet (eſt autem ad laborandum, & deambulandum promptus) quod diverſum quid à Stomacace innuere videtur. Nam quantumcunque Sceletyrben à Stomacace ſeiungas, quod & facit Langius (quod tamen vix fieri poteſt, quum eandem cauſſam eandemque ſedem primario affectam conſequantur) vix tamen è multis millibus unum reperias, qui Stomacace, aut Sceletyrbe laborans, ad laborandum, ac deambulandum promptus ſit, quòd humor ille melancholicus per ſe ſegne corpus reddat, atque ad actiones pigrum. Neque me movet, quòd Galenum, aut eum, quiſquis tandem fuerit, qui definitiones Medicas conſcripſit in medium producat, ſigillatim de Sceletyrbe ſcribentem, atque eandem inter reſolutionis ſpecies, licet non ſatis proprie, referentem: Siquidem quum læſa, vitiataque tantùm ſit actio, pedibus cruribusque non abſolute ſibi conſtantibus, verùm quodamodo vacillantibus, non autem in totum abolita, deperditaque ſicuti in reſolutis demonſtrat fieri Galen. *de locis aff. lib.* 3. *cap.* 10. & Celius, *meth. chro. lib.* 2. *cap.* 1. (dicitur enim, ut idem

docet, nervorum reſolutio potiſſimum, ubi motus deperditus ſit, quanquàm & ſi ſenſus duntaxat pereat, & ſenſus ſimul cum motu, reſolutionem quoque nomine ſoleant) non ſatis proprie Sceletyrben paralyſin dixeris, quando neque ſenſus, neque motus prorſus perierint. Rectius certe, ut Etymon vocabuli indicat, oſſium perturbationem appellaveris, quando confuſa quædam, atque interturbata, neq; recto ordine progrediens cenſenda ſit potiùs motio, quàm motus abolitio: ſi tamen alicui diminutam paralyſin nominare lubeat, non multùm refert, atque per me, quantum eius fieri poteſt, integrum eſt. Permittimus enim lubenter, cum Galeno unicuique pro arbitrio nominibus uti, dum modo in cognitione laborantis particulæ non aberremus. Verùm antequam ulterius progrediamur, Auctorem Medicarum definitionum ſatiùs erit ſemel audiſſe. Sceletyrbe, inquit, ſpecies eſt reſolutionis, qua erectus homo ambulare non poteſt, & latus aliàs in rectum, quandoque ſiniſtrum in dextrum, nonnunquam dextrum in ſiniſtrum circumfert, interdum quoque pedem non attollit, ſed attrahit, veluti ii, qui magnos clivos aſcendunt. Eſto, demus Sceletyrben eſſe reſolutionis ſpeciem, an ſtatim hinc inferendum erit, primarium affectum, aut in genibus nervorum compagibus diſſolutis, aut in ſpinæ

Sceletyrbe an ſit paraliſis.

Sceletyrbe unde ducta

Sceletyrbe quid.

medulla conſiſtere? minime. Videmus enim cerebrum, ac ſpinalem medullam lege conſortii, aliis membris, & præſertim viſceribus, coaffici. Nam epilepſiam, apoplexiam, atque ex hac paralyſin oriri certum eſt, ventriculo, eiuſque præſertim ore primario affecto. Sic Galenus, *de loc. aff. lib. 5. cap. 6.* Grammaticum quendam juvenem, quoties vel nimis vehementer doceret, aut cogitaret, aut inediam ſuſtineret, aut iraſceretur, morbo comitiali correptum refert. Et quod de ſtomacho diximus, idem de liene, & hepate pronunciatum volumus. Nam quantumvis aliquis hîc objicere poſſit, ſtomachum cerebro, & rurſum cerebrum ſtomacho affectiones ſuas facillimè tranſmittere, propter nervorum à cerebro ad os ventriculi deſcendentium magnitudinem, per quos, ut docet idem Galenus, *de loc. aff. lib. 3. cap. 5.* etiam ſenſus particulæ huic, quàm ulli reliquarum corporis partium, acutior eſt: reliqua verò viſcera non item. Huic reſponſum volumus ex Galeno, *l. de loc. aff. 3 cap. 7.* puero cuidam quum a crure morbus comitialis oriri conſueverat, purgato probè corpore, membroque in medio ligato, ſupra eam partem, quæ videlicet primaria affectione erat affecta, ac deinceps medicamento, quod ex Thapſia, aut ſinapi fit applicato, acceſſionem, quæ quotidiè invadere conſueverat penitus interceptam fuiſſe: Ac proinde ſi cruri conſentire

poteſt

poteſt cerebrum; multò magis jecinori, ac lieni, quibus ex Sexto nervorum pari nervos non pœnitendos transmittit: ut interim venarum conſortium omittam, per quas modò ſanguis, modò melancholia ad cerebrum tranſmittitur. Huc adde quod Hippocrates *lib. de arte*, gibboſitatem, quæ infra ſeptum transverſum fit, ſolvi dicat, quoties varices in cruribus fiunt, aut in vena iuxta poplitem, ſucco illo, ut in commento eiuſdem loci docet Galenus, ad haſce venas delato. Conſuevit ſiquidem magna ex parte varicum origo eſſe ſanguis melancholicus; quod quum ita ſit, non mirum eſt liene primariò affecto, λόρδωσιν interdum, atque Sceletyrben accidere, genuum compagibus quodammodo diſſolutis. Solet etenim frequenter, ſi melancholici humoris copia gravetur, eundem ad crura, coxasque remittere. Sic Hippocrates, *l. de prædic. & de inter. aff.* magnis lienibus, & ſecundæ & tertiæ ſplenitidis ſpeciei, in cruribus ulcera in metu eſſe dicit. Ac Paulus ex Aegina medicus, *l. 3. c. 49.* iis qui Lienis obſtructione laborant, ulcera in cruribus oriri dicit, quæ cicatricem non recipiant.

CAP. V.

De cauſſa Stomacacaxiæ dictæ.

QUanquam Galenus, *l. 1. meth. & l. 2. de morb. cauſ.* προηγουμένας, id eſt, præcedentes, ſeu internas, quòd in ipſo videlicet animalis corpore conſiſtant: & προκαταρκτικὰς, id eſt, evidentes, quòd extrinſecus advenientes vehementer alterent, & immutent corpora, dividere ſoleat, contendatque abſurdum prorſus eſſe, curationis indicationem ab externa aliqua cauſſa ſumere, quum tamen ad affectus cognitionem plurimum conferat: interdam etiam idem, *l. 4. & 7. meth.* cauſſas ingignentes, & augentes diſpeſcat, animadvertendúque doceat in omni morbo, num effectrix cauſſa deſierit, vel etiamnum agat, adeoque ipſos morbos tum augeat tum faciat. Nobis generali definitione ſatis erit appellaſſe cauſſam, omne id quod quocunque modo morbo aliquid confert; quemadmodum auſtrinam, & pluvioſam hyemem, ſi ver aquilonium ſubſequatur, abortus cauſſam dicere ſolemus. Ac proinde magnorum lienum cauſſam partim ad victus intemperantiam, partim ac corporis totius conſtitutionem, partim ad regionem, atque anni conſtitutionem referemus: Ad regionem quidem, quod uliginoſis locis excreſcere ſoleant lienes, ut autor eſt Hippocrates, *l. de aere aqua & locis* & poſt eum Aetius: ſiquidem Hippocrates paſſim, tum potiſſimum libro de aere, aqua, & locis, Hepatitides, ſplenetitidesq; paluſtribus locis acceptas refert. Et Aetius, *tetra. 3. ſer. 2.* *cap.*

Cauſſa morbi quid

Scorbuti cauſſa.

Hujuſmodi ſplenes ſe vidiſſe meminit Realdus Columbus lib.anat.15 ita ut 10. librarum pondus unus lien excederet.

*cap.*7. ubi, inquit, humida affectione ſplen detinetur, atq; ea ubi amplius invaluerit, in tantum eius incrementum facit, ut etiam ventrem pertingat, & hepar. Conſuerat autem humida diſpoſitio circa lienem conſiſtere, ab immodice humectantibus, diæta exercitio, aereque & locis: oboriri ſolet & his, qui circa paluſtres habitant locos. Ab hoc non diſſonat, quod loco jam citato Hippocrates ſcribat Phaſianos, (eſt autem Phaſis fluviorum omnium ſtagnantiſſimus) pallidum ſemper præ ſe ferre colorem, velut hi qui Regio laborant morbo.

Corporis conſtitutio.

Corporis porrò conſtitutioni acceptas ferimus ſplenitides, tàm quod morbus hic, non ſecus ac podagra, aliique hæreditarii morbi, hæreditario quodam jure ſoboles invadere ſoleat, tum quòd corporis compages, ſi melancholica ſit, aut non ſatis compacta, ſed quodammodò fungoſa, oportuniſſimè ſe habeat ad lienum excreſcentias. Solent enim, ut author eſt Hippocrates, *aph.ſect.*3.*aph.*3. morbi alii ad alia benè male've ſe habere.

Victus.

Victus autem rationem cauſſam dicimus, quod ea potiſſimum, ut autores ſunt Hippocrates & Galenus, *lib. de nat. hum. de bono & mal. ſuc.* & poſt eos omnes, quotquot extant claſſici ſcriptores, ad morborum procreationem plurimum conferat. Nam Elephantiaſin Galen. *l.* 2. *ad Glaucon.* in Alexandria plurimum generari autor eſt, ex victus ratione. Comedunt enim inquit, farinam elixatam, & lentem, cochleas, & alia plura ſalita, nonnulli etiam ex ipſis carnes aſininas, & alia ejuſmodi, quæ craſſum, & atræ bilis humorem generant. Et ſi ita de Elephantiaſi Galeno pronuntiandum videtur, cur nobis idem nō liceat de lienum excreſcentiis? quango Aetius, *Tetr.* 3. *ſer.* 2. *cap.* 7. aquæ largiorem potum, & holera humectandi vi prædita, ad ſplenis magnitudinem magnopere conferre dicat? Et ſi ſolius aquæ potus, holerumque largior uſus Aetio ad procreationem magnorum ſplenum ſatisfaciant, cur nobis non liceat dicere Hollandis, tum ob victus intemperantiam, tum ob aeris locique qualitatem (ut corporis conſtitutionē laxam quodammodo, & fungoſam omittam) maximè eſſe infeſtas ſplenitides? Satis enim ſuperq; notum eſt, eoſdem cibis nimis quàm melancholici ſucci veſci. Nam præterquam aquaticas volucres, quarum apud ipſos quotidianus uſus eſt, etiam fumum, ſi dicere liceat, deglutiunt, dum bubulas carnes (ſicuti in Septentrione noſtro fieri aſſolet) ſale prius conditas, fumo exponunt, atque eaſdem uſu exigente comedunt: ferculum mehercule, ſi quod aliud melancholico ſucco materiam ſuppeditans. Nam etiamſi quàm maximè boni ſucci ſit quod fumo aſſeruatur, perfumatione, ut ſic dicam, aliam quandam naturam induit, atque innato ſucco orbum, atri humoris cauſa efficitur.

Cæterum

Cæterum anni conſtitutionem ac lienis augmentum facere dicimus, quod etſi omnibus tempeſtatibus invadat, longo tamen rerum uſu, & experientia edocti comperimus, humidum atq; auſtrinum cœli ſtatum ad lienum excreſcentias plurimum facere. Anno enim à redempto mundo 1556. quum toto anni decurſu pluviæ, imbresque eſſent, flaretque Auſter, ac Favonius, inſequente anno plurimos Sceletyrbe, ac Stomacace invaſit, atque ita invaſit, ut multos in vitæ diſcrimen adegerit: & ne longius petantur exempla an. 1562. cum pluvium eſſet cœlum, ſubſequente anno frequentiſſimas, & moleſtiſſimas vidimus Sceletyrbes, & Stomacaces. Ut hinc manifeſtum prorſus ſit, morbum hunc ſemper quidem eſſe Endemium, (voco autem Endemium, ſicuti ſolet Galenus, *com. in lib. de mor. vulg. & de rat victus in mor.* eum, qui ex aere patrio, vel aquis, quibus tota regio utitur, provenire ſolet) interdum etiam Epidemium, non tamen peſtilentem. Videmus ſiquidem, humida præcedente cæli conſtitutione, paſſim graſſari, ac contagem aliis etiam leviſſima de cauſſa immittere: adeô rectè quidam aerem, & victus rationem, potiſſimas morbi cauſſas appellavit.

Scorbutus eſt morbus endemius, interdum etiam epidemius.

C A P. VI.

Quibus ætatibus maxime moleſta ſit, & quo anni tempore potiſſimum invadat.

Quo tempore anni magis invadat ſcorbutus.

MOrbi quidem omnes in omnibus fiunt temporibus, quidam verò magis in quibuſdam ipſorum, & fiunt, & excitantur, ut ait Hippocr. *aph. ſ. 3. aph.* 19. Sceletyrbe Vere potiſſimum, ac Autumno acceſſiones ſuas facit. Vere quidem atra bile ex profundo corporis, & partibus principalioribus ad exteriores, & ignobiliores lata. Sic Hippocrates *ſ. aph. 3. aph.* 20. Verè furores, atram bilem, & lepras accidere dicit: Autumno autem, quòd id temporis atra abundet bilis, quæ magnorum, ut diximus, lienum cauſſa eſſe ſolet. Nam Hippocr. *ſ. aph. 3. aph.* 22. autumno febres quartanas, atque erraticas, & magnas lienes (ita τὸ σπλῆνες hîc interpretatur Galenus) fieri dixit. Solent tamen vernæ acceſſiones mitiores, ac breviores eſſe autumnales longiores & periculoſiores, & quæ in vitæ diſcrimen ægrum interdum trahant. Aetatibus omnibus familiaris eſt, ſenili tamen gravior, quanquam conſiſtentem frequentius infeſtet: pueris Stomacace frequens eſt, Sceletyrbe non item.

Quibus ætatibus ſit familiaris ſcorbutus.

CAP. VII.

De ulcere Sceletyrbico.

QUandoquidem qui magnis vexantur lienibus, ulceribus, quæ difficulter cicatricem recipiunt, ex Hippocrate obnoxios diximus, malignorum hulcerum natura inquirenda eſt, ut ita tandem ad cognitionem Sceletyrbici deveniamus. Solet porrò Galenus, *lib. 4. meth.* malignum vocare ulcus id, quo humor acris fertur, & ubi locus ulceratus vitiatus uſq; adeo eſt, ut quicquid recipit, corrumpat κακοηθὲς cavum appellat, ut quod ex corroſione natum eſt Præterea Hippocrates, *lib. de ulcerib.* ulcera maligna intelligere ſolet per ea, quæ aut vinciri debent, aut inveteraverunt, aut exedunt, aut quæ alioqui ſerpunt. In quo albo, quod ſceletyrbica collocanda ſint, nemo, ut opinor, eſt, qui negare poſſit, præſertim quòd ulcera omnia, quæ ab atra naſcuntur bile, periculoſa vocare ſoleat Hippocr. *aph. ſect. 4. aph. 29* Sic Dyſenteriam, quæ ab atra bile fit, lethalem dicit in aphoriſmis, quòd ut in commento eiuſdem loci docet Galenus, *de atra bile, & com. in lib. prædict.* à cancro ulcerato parum differat; Eſt etenim adeo pernicioſa, atque maligna melancholia, (de ea loquor, quæ flavæ bili vehementer aſſatæ originem ſuam tribuit) ut in terram compacta, fermenti more, ac quodam quaſi æſtu effervefcens, eandem jactet, & excutiat, & quæ parti alicui corporis ſeſe affigens, adhærensque eandem corrodat, atque exulceret, & ſemper ulterius ſerpat. Nos igitur quoniam paulò latiùs maligni ulceris nomen patere videbatur, Sceletyrbicum ad particularius aliquod reducere conati ſumus. Et quoniam Chironia, Telephia, Cancri, Phagedænæ ad maligna referri ſoleant ulcera, deprehendimus tandem, eadem; quæ antiquis Telephia dicebantur, eſſe quæ hodie ſceletyrbica vocantur, ſiquidē, quamvis Galenus, *lib. 1. & 14 therap.* & Paulus ex Aegina medicus, *lib. 4. Cap. 46.* Telephia eò dicta dicant, quòd Telephus in tali ulcere conſenuerit; non obſtat quo minus eadem ſceletyrbica, & telephia vocemus. Eſt enim veriſimile Telephū doloris, temporisquè pertæſum, omnem moviſſe lapidem, nulliſque peperciſſe laboribus, quo congruum aliquod medicamen reperiret, ac tandem ſenio confectum reperta herba, quam ſibi cognominem eſſe voluit, priſtinam recuperaſſe ſanitatem. Eſt ad hæc nimis quàm notum, Telephium herbam, à Telepho eſſe inventam. Vocamus autem Telephium, cum doctiſſimo viro Remberto Dodonæo eam, quam vulgus cochleariam appellat, quod multis notis cum Dioſcoridis *lib. 2. cap. 18.* deſcri-

Vlcus. κακοηθὲς

Vlcera ſcorbutica qualia.

Vlcera ſcorbutica ſunt Telophia.

Telephia ulcera.

deſcriptione conveniat, quanquam non deſint, qui vulgo dictam Fabariam eſſe contendant. Eſt autem abſtergendi, & detergendi facultate præditum Telephium, ut docet Galenus, *lib.*8.*Simplicium.* & ad putrida convenit ulcera, & leucas, & alphos cum aceto abſtergit. Plinius *naturalis hiſtoriæ libro* 28.*cap.*12. vulneribus & fiſtulis prodeſſe autor eſt. Paulus Aegineta, *lib.*7. ut alios omittam, ulceribus putredinem expertis utile eſſe docet, & hodie multiplici experientia compertum eſt, non tantùm aſſumtum, ſed & foris applicitum Telephium, ſceletyrbicis plurimum conferre. Ita, ut hinc certiſſima quadam conjectura conſtanter affirmemus Sceletyrbicum ulcus idem eſſe, quod olim Telephium dictum eſt.

Telephium planta.

CAP. VIII.

De Magnorum Lienum univerſali curatione.

Curatio ſcorbuti.

QUanquam Galenus *lib. de ſang. miſſio & 4. de Sanit. tuenda*, tanquam lege quadam vetet, ei venam tundere, cui ſanguinis moles plurimùm à mediocritate receſſit, aut ſi cui (ſi permiſtos humores conferamus) bonus, ac purus ſanguis paucus eſt, reliquus vero ſuccus plurimus, quemadmodum in lienoſis, ubi diutius perſeveraverit malum, accidere videmus: tamen quoniam in principio naturæ ipſius ductu, ſanguinem per nares profundi contingit, conſultum prorſus fuerit, ſtatim in initio, & antè omnia ſanguinis miſſionem procurare, idque quod omnes ſimul vitioſi humores expurgentur. Eſt enim talis ſanguinis miſſio, ut docet Galenus, *Sect.*12. *Aph.* 17. *& lib. de ratione victus, com.*11. quæ omnes humores æquabiliter evacuet: non enim, quemadmodum purgatio, ita venæ ſectio vitioſum quempiam humorem ſeligit, ac detrahit. Detrahendus autem ſanguis erit à vena media brachii ſiniſtri, quod è directo erit, quod hæc, tum loci vicinitate, tum fibrarum rectitudine, facillimè atq; ocyſsimè craſſum ſanguinem à majoribus venis, atque ipſo potisſimum liene evacuabit. Si tamen melancholicus hic ſanguis ad coxas jam defluxerit, omnino ſuaſerim venam poplitis, aut malleoli tundere, ut materiam ibi quodammodo fixam evacuemus: ſiquidem, etſi ſanguinis misſio, quæ per venam nigram obitur, nonnullis ſufficienter, vel ex ipſis cruribus attrahere poſſe videatur, hoc certum eſt, propter loci diſtantiam revelli potius, atque alio transferri, quàm è corpore evacuari, quod & ipſe Galenus *Lib. de rat. vict. com.*11. multis pasſim argumentis convincit.

Sanguinis miſſio in ſcorbuto.

Quæ vena in ſcorbuto aperienda.

Sanguine, prout vires, & morbi ratio

Præparatio

tiæ humorem ſcorbuticum. ratio fert, evacuato, non fuerit in conſultum, hoc, aut ſimili aliquo decocto materiam fluidam reddere, quod recipit, corticum radicum capparis, tamaricis, fraxini ſingulorum drachmas duas. Seminum aniſi, fœniculi, ſingulorum drach. ſemis. quatuor ſeminum frigidorum majorum ſingul. drach. I. herbæ Britannicæ cum radicibus manip. unum & & alterius dimidium, telephii, ſiſimbrii vel naſturtii aquatici, abſinthii utriusque vulgaris dico & pontici, chamædryos, teucrii ſingul. manip. I. quinque generum myrobalanorum ſingul. drach. I. aſari, thymi, epithymi, caſſuthæ ſingul. pugillum. I. florum geniſtæ Manip. dimidium, ſenæ Alexandrinæ unc. vel ſem. Facta omnium decoctione, prout ars exigit, in aquæ ſufficiente quantitate ad lib. j. & unc. IV. patienti matutino, & pomeridiano tempore, colaturæ ejuſdem propinabimus ad unc. IV. Si tamen hoc alicui tanquam nimis laborioſum, ac varium, ſuſpectum ſit, poterit ſolius telephii, chamædrios, & abſinthii decoctorem experiri: ſolent enim medicamenta, quò ſimpliciora, eò efficacius vim ſuam, atque energiam exerere. Vulgus Cepææ, quam à torrente Becabungam vocant, quòd videlicet in rivulorum fundis radices agere ſoleat) telephii ſeu cochleariæ, & naſturtii aquatici decocto conſuevit uti ad morbi depulſionem.

Evacuatio Præparata materia à mitioribus inchoandum erit: Solet etenim in initio melancholicus humor reſpuere acria, vehementiaque medicamenta, atque iiſdem quoddammodò irritari, exacerbarique. *humoris ſcorbutici.* Sumendæ igitur erunt medicamenti Diaſenæ drachmæ vj. aut vii, aut prout patiens ferendo eſt. Deinde ubi morbus paululum inclinaverit, tutò ad vehementiora tranſeundum eſt, obſervata hypotheſi, quæ à virium robore ſumitur: Sumendum igitur eſt dilutum aut infuſum Rhabarbari, & agarici in paſtillos redacti, cum drachma una, aut ij. diaſenæ, aut confectionis hamech addita ſeſcuncia ſyrupi ex multiplici infuſione roſarum ſolutivi, aut ſyrupi de epithymo. Proderit deinceps uſum fuiſſe eclegmate, quod recipit, myrobalanorum conditarum unc. j. conſervæ florum geneſtæ unc. ß. conſervæ telephii ſeſcunciam, radicum bugloſſi conditarum drach. vj. Specierum lætificantis Galeni ſcrup. ij. pliriſarcoticæ, diacapparis, ſingul. drach. ß. ſerapii de fumaria, de pomis, de epithymo ſingul. par pondus, miſceantur, ac fiat conditum liquidum.

Qui vomitum proritant ex oxymelle, etſi multis experimentis probatum dicant, neque nihil, neque omnia facere videntur. *Vomitoria.* Siquidem ſi tenaciùs impactus ſit humor, vix ſubſequetur, ac niſi cum ſumma virium iactura expurgabitur: Sin quodammodo fluctuet, atque ſupernatet, non prorſus ſpe ſua fruſtrantur,

tur, atq; morbi partem aliquam demunt. Verùm ſi quid hactenus mihi longo uſu & ratione comperiſſe licuit, plurimùm prodeſſe dicerem in hoc affectu, abſinthii, aut Telephii, aut fumariæ, aut chamædrios eſſentiam arte chimica elicitam, ſi quotidiè pondo granorum plus minus xv ieiuno Stomacho ſumatur, aut per ſe, aut cum ſerapio de epithymo: Quinquam ſi cui hoc laborioſius videatur, poterit idem experiri, cum prædictarum herbarum tinctura, aut Quinta eſſentia, ex præſcripto Joannis de rupe ſciſſa cum æthere, aut alcohol vini elicita, quam in morbis melancholicis, & qui iam multos annos radices fixerant, plurimùm profuiſſe comperi, idque (ut alios omittam) in generoſiſſimo ac nobiliſſimo Domino, Domino Joanne à Burgundia Fromontii Dynaſta, qui quum multos annos flatibus Hypochondriacis laboraſſet, ac ſemper coactus fuiſſet, ineunte Vere, ac Autumno, variis multisq; pharmacis humorem peccantem expurgare, ac ſemet emaciare, tandem ſola fumariæ, atque chamædryos Quinta (ſicuti ille vocat) eſſentia, minimo negotio reſtitutus fuit: ita ut hoc ceu domeſtico & familiari medicamento, ad annos plus minus duodecim, ad morbi præcautionem felici ſucceſſu uſus fuerit. Atque quoniam maximo uſui in hoc morbo eſſe poterit, brevibus conficiendi modum ſubiungã. Accipis æther, ſeu ſpiritũ, ſeu alcohol vini, in eo maceras luridas herbas, quarum tincturas, aut eſſentias extrahere cupis, tantiſper dum æther illud omnem tincturam vel viriditatem herbarum imbiberit; deinde eiectis illis herbis recentes indis, idq; ter, aut ſi opus ſit quater facis, dum abſolutam herbarum tincturam conſequutus ſis, quo perfecto, abiectis fecibus æther illud uſui reſervas, uſuque poſtulante, manè ieiunio Stomacho parvum cochlear patienti propines, dum voti compos fias, & ſi opus ſit leviculo pharmaco alvum molliente, uſu exigente exhibere poteris.

Tinctura ſeu Quinta eſſentia fumaria & chamædryos.

Atque hæc hactenus, nunc ad victus rationem deveniendũ eſt, hæc enim in propulſandis ac generandis morbis, non parum affert momenti. Nam, ut ait Diogenianus, ἐκ τούτων νοσοῦμεν οἷς καὶ ζῶμεν. Eſto igitur incidens omnino, atque attenuans victus ratio, abſtinendum ab anatibus, oloribus, anſeribus, aquaticisque omnibus volucribus; exceptis earundem trunculis, ſuilla item carne, demptis etiam petiolis, ſeu ungulis, roſtro, & auribus, fumo incruſtatis carnibus, bubulisque omnibus ſi nimio ſale imbutæ ſint: Nam iuvencorum carnes, ſi modico ſale aſperſæ fuerint, atque octiduum aut paulò amplius eo condiantur, palato gratiores reddentur, & laudabilioris

Diæta in ſcorbuto.

 ſucci.

ſucci. Et quod de juvencorum carne dico, idem de vervecina pronunciandum cenſeo: Nam excrementitia eius humiditas, ſale aut alio quopiam condimento exugatur, concoctioni prorſus adverſabitur, & non omnino probi ſucci erit. Potus eſto aut vinum chamædrite (hoc enim ſpleneticis plurimùm prodeſſe comperimus, nam ſcirrhoſos eiuſdem tumores diſcutit) aut abſinthites, alternis tamen vicibus aut diebus cereviſiam tenuem abſinthiten deguſtaſſe, admodum utile erit: ita enim uberior ſanguinis aduſtio, aut aſſatio præpedietur. Si coxas, aut tibias citra exhulcerationem malum apprehenderit, ſuaſerim molli primùm frictione uti; non eſt enim medicamen in ejuſmodi affectibus præſentius aliquod: nam & maturat, & rarefacit, & digerit, & evaporare facit noxios humores, atque ob id Celſus, *lib.* 2. *cap.* 3 amat verò, inquit hoc auxilium valetudo longa, & jam à primo impetu inclinata. Poſt frictionem ſummè commendarim emollientia, & modicè evocantia applicare; nam craſſa omnia pinguia, quòd obſtruant ſuſpecta ſunt. Si tamen nervorum rigor in genibus, aut tibiis ſentiatur, non fuerit inutile, pingui illa muceagine decoctionis pedum bubulorum, poſt frictiones locum affectum inunxiſſe: nihil enim affectis, contractis, aut rigentibus nervis æquè convenit. Poterit etiam frequens mundarum faſciarum reiteratio.

CAP. IX.

De cura ulceris Sceletyrbici.

Qui Sceletyrbicum ulcus curare aggredietur, primùm, & ante omnia videre debet, num qua intemperies ulceri coniuncta ſit, aut ſi alterius cuiuspiam particulæ occaſione ingraveſcere, atque exacerbari ſoleat. Fruſtrà ſiquidem conglutinationem ulceris aggrediemur, ſi caro, quæ ſubiecta eſt, intemperata eſt: quo fit, ut Galenus 3. *Metho.* dicat, ubi intemperiei affectum iam ſanaveris, deinde etiam exulcerationis affectum ſanabis, non aliter planè nunc curata intemperie, quàm ſi citra ulcus incidiſſet. Quo manifeſtum eſt, non eſſe ulceris, ſed intemperiei propriam omnem eiuſmodi curationem. Ad eundem modum, ſi, aut alterius cuiuslibet particulæ occaſione, aut etiam totius corporis, quum in eo ſanguis malive ſucci abundant, vitioſum aliquid ulceratis partibus influxerit, medendum priùs eſt, vel ei, quod fluxionis eſt cauſſa, vel etiam toti corpori. Ita etiam & varices, qui ſæpe ſuper exulceratum locum ſunt, priùs ſanabimus, *Vlceris Scorbut. curatio.*

mus,

mus, ut deinde mox ulcus ſanemus: etiam, qui ex liene, aut alia quavis notabili parte laborant, ipſa prius parte percurata, mox ad ulceris curationem progrediemur. Sic quoque Hippocrates *lib. de ulcer.* in diuturnis, & malignis ulceribus, id agendum dicit, ut ſanguis crebrò, tam ab ipſis, quàm à partibus adiunctis effundatur, probatque potiſſimum huiuſmodi medicinam, quoties ulcus in crure verſatur, vel in digito pedis, vel manus, quod hæ nimirum particulæ ſubiectæ ſint, & ab aliis dependeant, ac perinde promptè materiam concurrentem recipiant. Sic denique Aetius Amidenus *Tetr.* 4. *ſer.* 2 *cap.* 40. adoleſcenti cuidam diuturnum ulcus ad radicem manus habenti, venam ad ulcus ſupernè allatam exſcindens, intra paucos dies hominem ſanavit. Scelety rbicum igitur, aut telephium curaturus ulc⁹, primùm & ante omnia, ſplenis magnitudinem percurabis, atque humorem melancholicum duces, primum quidem, ſi ita videbitur, ſanguinis miſſione, deinde expurgato corpore intemperiem totius corporis ſanare tentabis, ſiquidem quando cava ferè, uti diximus, ſint ulcera hæc, nec glutinari, nec carne impleri poterunt, niſi caro quæ ſubiecta eſt, temperata prorſus ſit, ſicut apertè docet Galenus. *lib.* 4. *metho.* Quod ubi effectum eſt, videndum reſtat, num varices uſquam, circa ulceratum locum ſeſe exerant, convenit enim eoſdem ſtatim exſcindere. Præterea circumſpiciendum eſt, num pars affecto iuſto imbecillior ſit, ita ut quemvis etiam ſuccum (utpote qui nec multo copioſior æquo, aut deterior multò ſit) ad ſe ſe recipiat, hunc ſiquidem averti, regerique convenit, inquit Galenus *lib.* 4. *metho.* aſtrictis videlicet, refrigeratisque iis partibus, quæ ante exulceratam ſunt. Inchoanda quoq; deligatio eſt ab ipſa laborante particula, deducendaque verſus ſanam. Quod ſi ulceris labra callo obducta ſunt, eadem circumcidenda ſunt. In ſumma quicquid aliquo modo conglutinationẽ præpedire poteſt, antequam curationem ulceris aggrediamur, amoliendum eſt, ac ſtatim curandum, ut pars affecta eam ſiccitatem conſequatur, quam in naturali ſtatu ſita poſſidebat. Nam neque Hippocrates *lib. de ulcer.* ulceribus emplaſtra induci vult, pri⁹ quàm ulcus exquiſitè ſiccatum ſit. Si etenim madeat, impoſiti emplaſtri vis obtundetur, & concluſo ac retento humore, nõ mediocriter effundetur ulcus. Ulceris igitur omnis, qua ulcus eſt, curatio, mediocris ſiccatio eſt, cavum etiam carne impleri poſtulat. Siccant autem modicè, terra ſigillata dicta, cadmia: his valentior eſt chalcitis lota, & ærugo uſta. Myſi, Sori, & Chalcitin Galenus, *De ſimp. med. fac. l.* 9. *& lib.* 4. *de compo. med. per gen.* cognata inter ſe appellat, & ex una tanquam radice producta,

tenuius

atenuius tamen apparet myſi, ac minus mordax, ac urens: craſſius Sori eſt, & utroque ſiccat imbecillius. Verùm hæc hominum incuria multis iam ſeculis delituerunt, & perpaucis hodie iam cognita ſunt. Stimmi, quod Antimonium vocant Arabes, deſiccat, & aſtringit intensè, *Dioſc. lib 5 c* 49. unde & excreſcentias in carne cohibet, & ulcera ad cicatricem perducit, quare oleum illius arte chimica elicitum in hoc caſu plurimùm profuturum exiſtimo. Aluminis omnes, quotquot ſunt differentiæ, ut author eſt Galenus, *lib. de comp. medi ſecund. gene.* ulcera ſatis deſiccant, verùm quum generosè aſtringant, nemo iis ſolis ad ulcera curanda utitur. Siccari enim, & abſtergi poſtulat ulceris cavitas, non autem aſtringi. Sed & neque iam dictis omnibus metallicis quisquam utetur ſolis, ſed pro loci, ulcerisque ratione attemperabit. Medicamenta igitur, quæ huiuſmodi ulceribus conveniunt, neceſſe eſt, ut facultate ſimul digerente, & aſtrictoria polleant, ut ita quod influit, repellant, & quod parti affectæ inhæſit, diſcutiant: non ſunt enim exacerbanda, exaſperandáve ulcera hæc, ſed citra ullam, quoad fieri poteſt mordicationem, & dolorem attrectanda. Aggreſſus iam curationem, quum primùm ulcus ſolveris, ut poſt Galenum, *de comp. med. per genera.* docet Aetius, *tetra* 4. *Ser.* 2. *cap.* 40. conſiderabis, quantum humiditatis primum pharmacum ab ulcere deſiccavit, aut ſi ſordidum fuerit, quantum ſordiũ deterſerit, idque tertium, aut quartum experiendum eſt, donec purum ulcus erit, ac ſiccũ apparuerit, quod ubi animadverteris, ad aliud quidem medicamentum eiuſdem quidem generis cum priore, ſed debilius te convertes; quòd fortiora dolores, morſum ulceribus repurgatis inferre ſoleant, atque ex puris ſordida nonnunquam efficere. Commendatur autem potiſſimum à noſtri temporis Chirurgis formula medicamenti Avicennæ *lib.* 4. *Fen.* 4. *tract* 3. *cap.* 10. aſſcripti, quam Joannes Tagautius, *lib.* 3. *cap.* 15. hoc modo deſcribit Rec. Cadmiæ, aluminis, chryſocollæ, hoc eſt, glutini auri, ſingul. part. octo, æris floris, qui ſponte ex ære proſilit, & corticis æris, hoc eſt æruginis, quę in officiniis viride æris nominatur uſtorum, ſingul. partem unam. Gummi cupreſſi partes quatuor. Ceræ, olei roſacei ſingul. quod ſatis eſſe videbitur fiat unguentum. Galenus *lib. med. ſec gen.* ad Aſclepiadem relatum medicamen hoc, non inefficacius deſcribit, quod habet, Aeris ſquammæ, æruginis raſæ utriusque pondo unc. unam. Ceræ ſelibram, reſinæ laricis pondo unicam ſemis. Ea quæ liquari debent aridis affunduntur, quibus exceptis, ac curiosè mollitis utitor. Item platyſma exiguum ſoli affectæ parti, ut ulcus tantùm comprehendat, iniicito. Cæterum ambientes partes pharmaco,

quòd

quòd phlegmonen arceat, circumdare oportet, atque inter curandum tertio quoque die ſolvere expedit, deinde fomentis mitigare, ipſumque emplaſtrum, quod à latitudine πλάτυσμα vocatur, abluendo emollire, ac rurſus imponere, donec cicatricem recipiat. Quod ſi ne ſic quidem ſucceſſerit, confugiendum erit ad emplaſtrum illud admirandum Aetii, *Ter.*4 *ſer.*2.*cap.*44.& Galeni, quòd è Sori vocat, cicatricem induces, deploratis ulceribus opitulans, aut ad emplaſtrum à Paulo Aegineta *lib.* 4. *cap.*46. deſcriptum ad Chironia convenient: Recipit autem Ceruſſæ unc. viij. aluminis ſciſſilis unc. ij. ſquammæ æris unc. ij. Salis hammoniaci, thuris, æruginis raſæ, corticum malorum granatorum, uniuſcujusque unc.2. Calcis vivæ unc.1. ceræ libram unam, olei Myrthei libram j.ß. arida vino diſſolve. Hoc medicamentum, inquit, callum ab initio exſcindit, & reconditum ſervatur. Deinde in uſu emollitum myrtheo, cicatricem inducit. Poterit verò quivis ad corporis, quòd curandum ſuſcipit, conditionem & temperiem, actionem ſuam dirigere, atque modò intendere, modò remittere aliquantulum. Nos exemplis his contenti, ne in longum excurrat oratio, lectorem ad Galenum, Paulum, atque Aetium relegamus, apud quos uberrimam medicamentorum ſylvulam reperiet. Illud adiecisse contenti, quod ſi cui ſimplicia experiri animus ſit, non fuerit inconſultum, ſuccum Telephii cum mellis pauxillo, in modum unguenti ulceratis partibus applicuiſſe, quibus ſi Cadmiam in pollinem redactam adieceris, cum modico mali terræ, quam Ariſtolochiam rotundam vocant, atque ceræ ſufficienti portione, medicamentum, quod cava repleat, ſordes expurget, & excreſcentem carnem compeſcat, ac tandem ad cicatricem perducat effeceris. Aetius ad maligna tibiarum ulcera experimento cognitum, lupinos, inquit, aridos uſtos, tritos largè inſpergito, & hapſum lanæ ex vino expreſſum ſuperligato. Hoc repurgat, incarnat, & ad cicatricem perducit.

CAP. X.

Ad Oris ulcera.

PLinius, *naturalis hiſtoria lib.* 25.*cap.* 5. oris ulceribus remedio eſſe dicit, herbam Britanicam, neque id iniuria: nam & Dioſcorides *lib.*5. *cap.*2. depaſcentibus oris, & tonſillarum ulceribus Britannicam herbam privatim accommodatam dicit: Et Galenus *lib.* 6. *Simp. med.* vulnerum conglutinatoria Britannica foliæ refert, atque ex his expreſſum ſuccum reſervari ait, tanquam ad Stomatica medicamenta efficaciſſimum. Nam & putreſcentia iam, inquit, quodam-

Vlcerũ oris curatio.

Britannica herba.

modo ſanare videtur. Si tamen humidiora eſſe contingat ulcera, iis, quæ valentius ſiccent opus erit. Nam, ut autor eſt Galenus, *lib.5.method.* ulcerum, quæ in ore accidunt, quæcunque ſunt admodum humida, ea medicamentis egent, quæ vehementer ſiccent, veluti Diphryge, tum ipſo per ſe, tum ex melle, & vino, & mulſo: Præterea ea, quæ Iris dicitur, aut quæ Anthera, hisque vel ſiccis, vel ex melle, vel ex vino, vel mulſo. Utile verò eſt ad talia, & Muſæ medicamentum, & Rhois ſuccus, & Omphacium, aliaque quæcunque ſtrenuè ſiccant, veluti hæc ipſa, quæ quod in asſiduo ſint uſu, στοματικὰ Græce ſunt dicta. Quare non admodum conſultò mihi facere videntur, qui ad oris ulcera hæc, Cepææ decoctο, quam Becabungam vocant, utuntur: Siquidem etſi modicè aſtringat, humidior eſt, quàm ut oris ulceribus aliquo modo prodeſſe poſſit. Rectius certè fecerint, ſi ad oris collutiones hoc, aut ſimili gargariſmate uſi fuerint. Recipit autem Biſtortæ cum radicibus, tormentillæ cum radicibus; ſingulorum M.ij. mali corii unc. ij. rhois obſoniorum unc. j. decocta in aquæ pluviæ libris ij. ad lib. j. colo transfundantur, colaturæque addantur, aluminis ſciſſilis drach. ij. mellis optimi unc. ij. Contendunt nonnulli, non eſſe ad hanc rem præſtantius remedium, quàm collutionem præparatam ex corticibus, & foliis oxyacanthæ vulgaris, & roſis integris nondum maturis in aqua chalibeata coctis: atque idem præſtare aſſerunt, olivæ folia, cum ſtillatio plantaginis liquore contuſa. Quod ſi ſuperexcreſcere carnem contingat, eandem ſcalpro, aut vulſella eximere conveniet, atque frequenter os colluere, & interdum hoc, aut ſimili aliquo medicamento affectas partes illinere, quod recipit, ſuccorum Telephii Britannicæ, aut Tormentillæ. Sing. unc. ij. mellis optimi unc. iij. aluminis unc. ß. cadmiæ ſcrupul. iv. lemnii ſigilli ſcrupul. ij. conterenda conteruntur, & ex uſu artis in modum eclegmatis craſſioris conſiſtentiæ decoquuntur. Si tamen hoc alicui propter aluminis, & cadmiæ quantitatem vehementius videatur, poterit, aut imminuere nonnihil, aut cadmiam abluere inſtillatitio plantaginis liquore. At ſi venæ eæ, quæ aut ſub lingua ſubſiſtunt, aut quæ in labiis ſunt, extuberent, atque intumeſcant, eædem poſt univerſalem purgationem non inconſultò tundentur: quin & id quoque procurandum eſt, ut ex gingivis atri illius ſanguinis fluor ſollicitetur: Siquidem niſi id fiat, ſicuti præcedente capite diximus, ulceris conglutinationem præpediet. Dentibus autem vacillantibus optimum eſt oleum calchanti acidodulce chimica arte elicitum.

CAP.

CAP. XI.

De Prophylactice.

Prophylactici ſcorbuti.

SOlet morbus hic, ſi ſemel invaſerit, ſingulis ferè annis recurrere: quò fit ut eò dirigenda ſit omnis noſtra actio, ut quo ad fieri poteſt imminentem, ac quodammodo inſtantem depellamus: quod Plinius *naturalis Hiſtoriæ libr.25.capit.3.* eſu florum herbæ Britannicæ præſtari poſſe credit: florem, inquit, Vibones vocant, qui collectus priusquàm tonitrua audiantur, & devoratus ſecuros omnino reddit. Superſtitioſa prorſus curatio, quemadmodum & illa, quàm de hirundinum pullis ſcribit, *lib.*30.*cap.*4. qui ſi edantur, toto anno edentes ab angina ſecuros reddunt. Mihi certè tutius videtur ineunte Vere venam tundere, atque levuſculo aliquo Cathartico atram bilem ducere. Nam Galen.*com.*13.*aph. ſect.* 3. hominibus ipſa experientia compertum eſſe dicit, non in ſeipſis tantùm, ſed & in jumentis, ſi ante æſtatis initium, circa ultimam Veris partem ſanguinem detrahant, à morbis, quibus capi ſolebant, ſecuros futuros. Incidenda verò erit aut vena media, quam nigram vocant, aut poplitis, idq; ſi varices aut in coxis, aut tibiis appareant. Proderit ad hæc, ſicut ante diximus, victus ratione congrua uti, atque abſtinere ab his, quæ ſucci melancholici cauſſa eſſe poſſunt. Ad ſanitatis namq; conſervationem, & morbi effugium, plurimùm referre, quo quiſque cibo, aut potu utatur, Julius Cæſar de bello civili teſtatur, ut interim Galenum, *de bon. & malo ſucco*, omittam. Cavendum igitur eſt à carnis bubulis, macie ſtrigoſis, aut ſenio confectis, aut ſale nimio quodammodo exuccis: ſiquidem Galenus, *de alim.fac.3.* omnibus, qui temperamento naturali melancholici fuerunt, bubulas carnes ſuſpectas habet, ſi largiùs ſumantur, quòd craſſiorem ſanguinem, quàm conveniat, generent, & affectus melancholicos procreare ſoleant, inter quos & lienis tumores comprehendit. In eodem albo recenſetur porcina caro, quæ veteris victimæ ætatem ſit aſſequuta. Nam alioqui Hippocrates, *lib.*4.*de reg.acu.* ſuillis, inquit, carnibus nullæ aliæ meliores ſunt, idque ſi non admodum pingues, neq; etiam pertenues ſint, ac neque victimæ veteris ætatem ſint aſſecutæ. Et Galenus, *lib.* 1. *ad Glauc. & lib.* 7. *meth.* eaſdem exquiſita tertiana laborantibus exhibere nõ veretur. Volucres omnes fluviatiles melancholico humori præbent fomitem. At quicquid in quotidianum uſum fumo aſſervatur, cane pejus, ac angue fugiendum eſt: nam præterquam quod duræ eſt concoctionis, ſi quod aliud, atro ſucco materiam ſuppeditat. Contulerit

V 2 certè

certè, ſi quid aliud, bibiſſe cereviſiam, aut vinum ὀλιγοφόρον abſinthite: novi etenim nonnullos, qui huius ſolius uſu, non ſolùm ingruentem depulerint morbum, ſed etiam factum prorſus perſanarint. Victus ratio eſto eiuſmodi, quæ quantum eius fieri poteſt, boni ſit ſucci, & facilis concoctionis. Bubulæ igitur carnes, quoniam familiares nobis longa conſuetudine redditæ ſunt, ſi benè habitorum iuvencorum ſint, eaſdem ad dies aliquot modico ſale aſpergi curabimus ante decoctionem, ita enim, & gratioris ſaporis, & facilioris concoctionis, & probioris ſucci reddentur. Ovillæ, quoniam excrementitiæ ſunt, atque ſucci non omnino laudabilis, eadem conditura præparandæ ſunt: exugit enim ſal excrementitiam illam humiditatem, & concoctioni quodammodo præparat. Aer in quo verſamur, ſerenus prorſus ſit, aut ab auſtrino flatu liber. Domus etiam ſicca ſit, ſolet ſiquidem morbus hic exacerbari frigida, humidaque murorum exhalatione. Sub Autumnũ autem multo maiore crura, quàm ineunte Vere opus eſſe cenſeo, quod nimirũ præcedens æſtas humores aſſaverit. Quare & tunc quoque, ſi vires, ætas, atq; corporis conſtitutio permiſerint, vena aperienda erit, atque humor melancholicus ducendus, efferveſcensque illa bilis hoc, aut ſimili aliquo decocto compeſcenda erit, quod recipit ſeminum quatuor frigidorum maiorum, ſingul. dra h. unam, cichorii cum toto, bugloſſi cum radicibus utriusque manipulum iſs. ſcolopendriæ, fumariæ, caſſuthæ, capillorum veneris, teucrii, chamedrios, ſingulorum Manip I. florum bugloſſi, borraginis, geniſtæ ſingulorum pugillum unum. Rhabarbari optimi in nodulo ligati drachm. unam, ſenæ alexandrinæ à ſordibus expurgatæ unc. j. Sem. aniſi drach. iſs. Fiat omnium decoctio in juſta quantitate aquæ, ex uſu artis ad libram unam, in cuius colatura diſſoluito ſerapii de pomis thabor, de epithymo ſingulo. unc. j. ex multiplici infuſione roſarum ſolutivi unc. ij. Sumet autem ſingulis vicibus unc. IV. Cæterum quoniam frequentius hic herbæ Britannicæ quæ nondum prorſus innotuit mentionem facio, lectorem monitum volumus, nos eius loco hactenus uſurpaſſe Biſtortam: hæc etenim Britannicæ facultatibus planè reſpondet. Nam & vim habet aſtringentem, privatim ad ea, quæ in ore, & conſiliis ſunt depaſcentia ulcera, accommodatam, quemadmodum, & de Britannica ſcriptum reliquit Dioſcorides, *lib.4.cap.I.t.* Præterea radices eiuſdem vulneribus glutinandis utiles ſunt, dyſenteriam ſanant, vomitum bilioſum reprimunt, & fœtum in utero retinere dicuntur: In ſumma ad omnia alia quibus aſtrictione opus eſt, utilis cenſetur, quẽadmodum poſt me multi certiſſimis

experi-

experimentis compererunt: Sunt enim qui huius ſolius uſu, ſicuti & de Aritannica ſcribit Plinius, à Stomacace fieri ſecuros exiſtimant. Atq; hæc hactenus de cauſſa, ſanatione, ac præcautione Scorbuticæ dictæ paſſionis. Verùm quoniam ſtimulis quorundam amicorum provocati aliquandò fuimus, quædam, quæ nõ ſatis dilucidè in noſtro hoc commentariolo enunciata fuerant, nonnihil apertius per literas explicuimus, viſum fuit ex miſcellaneis noſtris medicis, tres de Scorbuto epiſtolas, cum una de lordoſi ſeu tabe dorſali hic ſubiungere, ut ſtudioſi faciliùs ad veram morbi cognitionem certa methodo pervenire tandem poſſint.

EPISTOLA. I.

Quare apud Amſtelredamum, Alecmariam, atque alia vicina loca, frequentiſſimè infeſtet Scorbutus? Ad Hadrianum Junium.

Amſtelrodami & Alecmaria cur ſcorbutus ſit frequens. QUanquam petitioni tuæ commentariolo noſtro de magnis lienibus, abundè ſatisfactum eſſe exiſtimem, attamen ne æqua quodammodò poſtulanti aliqua ratione defuiſſe videar, paucula quædam, quæ auctuarii loco eſſe poſſint, ſcribemus. *Aquarum differentia* Apud omnes igitur receptum eſt, aquas alias, aliis longè eſſe tùm ſalubriores, tum ὀξυπορωτέρας, ſiquidem ut pluviæ reliquis magis tenuium ſunt partiũ, ita facilius ſecernuntur, & præcordia minus inſtant: Stagnantes contra omnes, ut pigræ καὶ παχυμερεῖς ab omnibus rejiciuntur. Videmus enim ſæpenumerò obſtructis meatibus eos, qui illis uberius utuntur, depoſito nativo colore, auriginoſum quendã induere: quemadmodùm de Phaſianis meminit Hippocrates, unde non immeritò Plinius, vel ipſos fontes, qui cœnum faciunt, damnat. Huc adde, quòd præter eas, quæ à qualitate aquarum ſumuntur differentiæ, pro quorundam etiam locorum, aut temporum diſcrimine varios ſortiantur effectus. Plutarchus enim in vita Craſſi, Lucanam paludem mutatione temporis dulcem, rurſusque ſalſam, & potui incõmodam fieri aſſerit. Præterea idem in vita Antonii recitat, Antonianos milites in inedia montanum ingreſſos iter, poſt longos labores, ac intolerabilem ſitim, tandem perveniſſe ad fluvium, cuius aqua frigida quidem & pellucida erat, ſalſa tamen, & venenoſa erat. Nam bibentibus, inquit, ſtatim tormina ciebat, ſitimque inducebat. Author eſt etiam Strabo, duos eſſe amnes in Nigroponte, Cerum, & Neleum diverſarum naturarum: nam ſi animalia ex uno potent, pilos eorundem albeſcere, alterius autem aqua ebibita nigreſcere. Rurſum ſi Plinio

credimus in Campania aquæ ſunt, quæ ſterilitatem fœminarum aboleant: Theſpiarum etiam fons conceptus mulieribus repræſentat. In Ægypto potus fœtifer Nilus eſſe traditur, Linusque fons in Arcadia partum cuſtodire fertur, nec abortus pati, adeò ut mirum non ſit, paluſtres ac lacuſtres aquas pro loci differentia, aliis alias ad ſplenitidum procreationem longè eſſe opportuniores. Quod & quotidiana docemur experientia, ſiquidem quum aliis provinciis ſua non deſinit ſtagna, & lacus, raras tamen, aut nullas prorſus in eiſdem ſceletyrbes vidiſſe mihi contigit, antequam contagione malum ſemper ulterius ſerperet: In Hollandia contrà, tùm ob patrii ipſius ſoli, (ut quod ab aliis planè diverſum ſit, gleba nec argilloſa, nec ſabuloſa, nec harenoſa, ſed cava quodammodo, & pumicis modo rara) tum aquæ ipſius, quæ terræ naturam imbuit, qualitatem, ſæpiſſimè invadunt, & quo ſunt lacuſtres magis aut paluſtres loci, hoc etiam frequentiores ſunt Scorbuti. Nam quantumvis omnes ferè Hollandi, ac Friſii eadem penè victus ratione utantur, ac ſub eodem propemodum verſentur climate: videmus tamen alios aliis ſceletyrbe, aut Stomacace citiùs ac frequentius apprehendi. Nam & qui Alecmariam, Amſtelredamum, ac vicina inhabitant loca, multo periculoſiùs, ac frequentius ſceletyrbe afficiuntur, quàm qui aut Gaudam, aut Rotterodamum incolunt. Atque his rarius ſplenitide laborant Dordracenſes, ſiquidem quum undiquaque celeberrimis, atque rapidiſſimis fluviis alluatur Dordracum, veriſimile eſt, cives fluviatilem illam aquam in coćturam ciborum aſſumere, quæ ut ſtagnante tenuior eſt & facilioris concoctionis, ita etiam viſceribus non uſque adeo gravis eſt, neque uti ſtagnans in corpore diu hæret: ut interim loci ipſius naturam ab Amſtelredamenſi, & Alecmariano agro nonnihil diſſidentem omittam. Si quis igitur ſecum perpendat, quàm ſit homini neceſſarius uſus aquæ, non mirabitur, pro aquæ ipſius qualitate morbos gigni. Nam & Hippocrates plurimam partem ad ſanitatem eaſdem conferre dicit, præſertim quando certum ſit, ſive bibendum, ſive edendum ſit, aqua in totum carere nos non poſſe: nam & cibos aqua coquimus, & cereviſiam, &, quod omnium peſſimum eſt, crudam interdum bibimus aquam, quo ad ſplenitidum generationem, vel ipſo Hippocrate teſte nihil facit magis.

EPIST. II.

Sceletyrben ac Stomacacen eſſe Magnorum Lienum accidentia, neceſſe diſtinctum morbum Scorbutum à magnis Hippocratis lienibus ad Cornelium Heydium.

An ſcorbutus & magni lienes Hippocratis ſint unus morbus.

QUas Wieri noſtri obſervationes medicas miſiſti mi Heydi, legi, atque maximi lucri, ac laudis loco duco tali viro, jam iterum, ſi non per omnia, ſaltem aliqua ex parte noſtros de Scorbuto labores placuiſſe. Is ſiquidem nunquam fui, qui mihi tantum tribuendū cenſuerim, ut ſi quid à me, aut dictum, aut ſcriptum eſſet, ſi non calumniam, ſaltem cenſuram aliorum ſubterfugere poſſe crederem. Soleo enim rationem, atq; adeò veritatem ipſam ducem ſequi, atq; quàm maximè gaudere, ſi quando à quoquam cum ratione redarguar. Cæterùm quod ille mecu diſſentire videatur in eo, quod omnes morbos, qui mortale genus hodiè affligunt, ad aliquem eorum, qui à veteribus deſcripti ſunt, reducere coner, non eſt quod diluam, quando in miſcellaneis ſuis diſertiſſimè demonſtrarit doctiſſimus Langius, nullos hodiè exoriri morbos, qui non fuerint priùs, aut quorum veſtigia ante aliqua ex parte nō apparuerint. Nam & Hiſpanicam ſeu Gallicam luem, quam omnes ferè uno ore novum & anteactis ſeculis incognitum morbum appellant, farraginem quandam multorum in ſe invicem mixtorum morborum eſſe dicit, mentagræ dico, lichenis, Græcorum lepræ, phlictænarum, ſerpiginis, exanthematum, & id genus aliorum: Neque id injuria, quando ſapiens ille in Proverbiis dicat, Nihil eſſe ſub Sole, quod non anteactis ſeculis fuerit: & Comicus aſſerat, Nihil dici modo, quod non dictum priùs ſit: Siquidem ſi quis Symptomata ſudoris Anglici, quem velut novum, & inauditum, anno humanæ ſalutis ſupra Milleſimum, quingenteſimum, vigeſimo octavo, omnes admirati ſunt, omnes veriti ſunt, cum febre typhode, aut ſudorifera conferat, parum admodum, aut nihil differre comperiet, quando in hac, non ſecus ac ſudore illo Britannico, univerſum corpus copioſo ſudore madeſcat, atque exvolvatur. Verùm

An dentur morbi novi.

quòd is aliter, quàm ego in noſtris, de magnis lienibus, commentariis aſſerui, alium dicat eſſe à Scorbuto magnos lienes Hippocratis, ni vanitatis redargui velim, cogor paucis noſtram ſtabilire opinionem: Nam quamvis mihi vitio vertendum non erat, quòd per omnia ſcopum ipſum non attigiſſem, ut qui primus hanc ſecuerim glaciem, atque aliis inventis addendi occaſionem præbuerim; attamen quoniam is qui certiſſi-

certiſſimis conjecturis, ac rationibus ſua fulcire ſolet, mihi non ſatis hac in parte ſatisfeciſſe videtur, tacendum minimè conſultū videbatur. Quod ita dictum nolim, tanquam Simiæ in morem, mei mihi placeant catuli, hoc ſiquidem dejerare auſim, me, ſi doctiſſima ejuſdem ſcripta, aut longo uſu obſervatas curationes, ante noſtros in publicum divulgatos de magnis lienibus commentarios, aut vidiſſe, aut legiſſe contigiſſet, nunquam ne cogitaturum quidem fuiſſe de Scorbuto quicquam in medium proferendi: Quando Wieri tanta ſit apud eruditos æſtimatio, ut ei contradicere ſumma quodammodo ſit religio, tam exquiſitum in rebus ambiguis judicium, ut illi refragari pro inſcitia habeatur, tanta reconditarū rerum (ut omnia uno complectar verbo) cognitio, ut nihil ferè ſit, quod eum ſubterfugere potuerit. Verum, ut ut eſt, mi Corneli, amicus Socrates, ut inquit ille, amicus Plato, magis amica veritas. Neque dubito illum, ut eſt candidus prorſus, iniquiore animo laturum aſſertionem meæ opinionis, quàm me illius tacitam reprehenſionem: nec tam vereor illius excandeſcentiam, quàm quorundam calumniam, qui nos de lana caprina diſceptare clamitabunt, quando in remediorum exhibitione inter nos conveniat, in morbi ipſius denominatione controverſia ſit, dum unus Scorbutum tanquā novum, & veteribus inauditum

VVieri laus.

morbum appellat; alter ad Hippocratis magnos lienes eundem reducere conatur, quando ille Scorbubutum à magnis lienibus differre dicit, quod in his aut crura, aut gingivæ tantum malè habeant, in ſcorbuto contra utraque ſimul afficiantur: Ego contra neceſſarium negem, ut in magnis lienibus ſemper Stomacace cum Sceletyrbe coniuncta, quando impurus ille ſanguis lienem diſtendens, interim ad ſuperiora tantùm, noñunquam etiam ad inferiora ſolummodo repat, ſicuti ubi plurimū redundaverit, neq; ſubſequuta fuerit eiuſdem notabilis aliqua evacuatio, totum occupet corpus. Sic lituras frequenter non ſolum in cruribus animadvertimus, ſed & in brachiis, ventre, tergo, idque potiſſimum λορδώσει aut lumbagine corpus aggravante, quam & ſymptoma quoddam magnorum lienum eſſe iudicamus. Ac ſic, mea quidem ſententia, Hippocrates intelligendus eſt, ubi de magnis lienibus loquitur: ſiquidē quamvis is in magnis lienibus dixerit, aut gingivas vitiari, aut in cruribus ulcera maligna oriri, non negat tamen ob id, quin utraq; hæc invadere ſimul queant accidentia. Nam quemadmodum, is ſub aphoriſtica quadam brevitate plurima complecti ſolet, ita non raro unum aliquem morbum pro exemplo alterius ponit. Sic hîc quoque in cruribus maligna ulcera, atque ex his cicatrices nigras poſuit, ſub iiſdem li-

turas

Stoma. non ſem cum Scetyrbe cor. jungitur.

Macula non ſolum in cruri apparet.

turas illas lividas, atq; ſubnigricantes intelligens. Vidimus enim non raro, ubi diutius duraſſet malum, lituras illas ſuppuratas, atque in malignum degeneraſſe ulcus, quale Telephium eſſe conjectura ſatis evidenti demonſtravimus. Nam quod Hippocrates dicit; quicunque vero habent ſplenes magnos, & neque ſanguinis eruptiones ipſis contingunt, neque oris graveolentia horum tibiæ ulcera maligna habent, atque ex his cicatrices nigras; non videtur aliud voluiſſe, quàm quod magnitudo illa lienum, duce natura, per ſe nonnunquam curetur, idque ſanguinis è naribus fluore, quem & exempli loco ab eodem ſene appoſitum aſſerimus; quum non paucos noverimus, quos profuſio ſanguinis ex hæmorrhoidibus ab hac ſæviſſima lue aſſerverit, quemadmodum etiam nonnullas, quę menſibus confertim manantibus ſanitatem recuperarint: Cæterùm, ſi nulla harum vacuationum ſigna ſunt, corpus variè affici, ita ut modo gingivæ, modo crura, nonnunquam etiam utraque ſimul impetantur, idq; potiſſimùm, quoties humor ille melancholicus ſua copia ſplenem admodum diſtendat. Nam quod Hippocratem ſic intelligendum cenſeam, movent me Cælii methodici Siccenſis, & Æſculapii loci, in noſtris de magnis lienibus commentariis, citati, quibus lienoſis fœtorem oris, cum ulceroſis cruribus attribuunt. Ac Pauli ex Aegina medici authoritas potiſſimùm, *libro tertio, capite quadrageſimo nono*, qui de lienis cum duritie tumore loquens, ſi ſcribit: Hoc preſſis vitio, os fœtet, gingivæ exeduntur ulcera in cruribus cicatricem non recicipiunt &c. Adeo ut omnes quotquot ſunt authores, uno ore ſpleneticis omnibus duo hæc accidentia, oris fœtorem dico, & ulcera maligna in cruribus communia eſſe dicant, quæ modo ſimul invadere aſſerunt, interim etiam diſtinctim; nō eſſe ſiquidem neceſſarium, ut utraq; ſimul, atque eodem tempore invadant: quod & nos de Scorbuto conſtanter affirmamus, quando plurimos noverimus, qui quum à ſcorbuto, aut magnis lienibus vexarentur, citra lituras, aut ulcera in cruribus, ſolas gingivas vitiatas haberent, & os malè olens: & rurſum alios, quibus benè affecto ore, & gingivis, crura, & coxæ non ſolùm lituris illis fœdarentur, ſed & graviſſimis, & curatu difficillimis ulceribus impeterentur. Adeo nihil ita perpetuum eſt, quin alterationem aliquam non ſuſpiciat. Solent etiam morbis multa accidere, pro loci, temporis, & naturam ratione. Sic Anconæ, quum frequentisſimæ viſantur criſes, Ferrariæ, & Venetiis rariſſimæ ſunt; ſic aliis locis frequentiores ſunt lituræ illæ in coxis, ac tibiis, citra oris aut gingivarum noxam aliquam; aliis contra gingivæ vitiatæ, cum oris graveolentia tantum modo, aliisque lo-

Maculæ interdum in ulcera tranſeunt.

Hæmorrhoidum & menſiū fluxus quandoq; ſcorbutum curat.

Stomacace quandoq; eſt ſine maculis & ulceribus crurum & contra.

Morbi rationum locorum variant.

cis ulcera maligna in cruribus citra manifeſtum aliquod oris vitium, aut liturarum veſtigia aliqua, quod nos Goudæ in diverſis animadvertimus. Quare præter rationem omnem eſſe putamus inferre Scorbutum non eſſe magnos Hippocratis lienes, quòd in his quemadmodum in ſcorbuto, os & tibiæ ſimul non afficiantur, quando non ſit neceſſarium omninò, ut iam antè diximus, in utriſque combinationem illam accidentium concurrere, idque potiſſimum quotiès ſanguinis è naribus, aut hæmorrhoidibus evacuatio præcesſit: tum enim os ac gingivas ſolummodo affici contingit, ut jam ſæpius dictum eſt. Quod etſi uſu veniat, non poſſumus tamen inficias ire, quin magna ex parte Stomacace, cum Sceletyrbe coniuncta ſit. Cæterùm ob id velle diſtinguere à lienum affectione Scorbutum, atque ad novum aliquem morbum reducere conari, mihi certe, ſalvo ſaniore judicio, ridiculum prorſus videtur, idq; eo, potiſſimum, quod omnia remedia, tam topica, quàm univerſalia dicta, quæ ad hunc morbum etiam ab empiricis concinnantur ſpleneticis utiliſſima ſint. Nam ut ea, quæ ſecundum methodum ſunt, omittamus, novimus nonnullos, qui ſolo pomorum aurantiorum unà cum corticibus uſu ſanitatem recuperarunt. Quod etſi empiricum ſit, cum ipſa tamen ratione nonnihil habere commune videtur, ſiquidem quum in lienis affectibus, authore Galeno, opus ſit attenuantibus pharmacis, citra manifeſtam aliquam caliditatem, cum modica aſtrictione, ut robur addatur affectæ particulæ, aurantia affectò lieni non prorſus inutilia pronunciabimus. Incidunt etenim, compeſcunt æſtuantem ſanguinem, & robur addunt læſa parti. Cæterùm num ratione duce, homines barbari, ad propellendam hanc luem anarantiis primùm uſi fuerint, pro incomperto eſt: mihi probabilior ea videtur opinio, quæ fortuitò, & caſu quopiam facultatem hanc compertam eſſe aſſerat, redeuntibus ex Hiſpania Batavis nautis, ac uberi novitate aurantiorum allectis, præter ſpem avida quadam guloſitate morbum pellentibus, atque id non ſemel felici ſucceſſu experientibus.

Aurantia poma contra ſcorbutum utilia

EPIST. III.

Balnea ferrata aut acida dicta Scorbuto convenire.

Obnixè tuis ad me literis, vir doctiſſime, efflagitaſti, ut paucis explicarem, num Scorbutus, aut lienum magnitudò aquis mineralibus ſanari posſit. Nam quum, ſicuti in commentariolo noſtro de magnis lienibus aſſervimus, potiorem originis

An balnea ferrata & acidula ſcorbuticis conveniant

nis ſuæ partẽ attribuat ſtagnantibus aquis, veriſimile eſſe certorũ aliquot fontium, atque eorum potisſimùm, qui metallica aliqua facultate communicent, reſtitui poſſe. Nam ſi quẽadmodum docet Plinius, *libro 31. capite quarto*, tales ſunt aquæ, qualis terra, per quam fluunt, qualesq; herbarum, quas lavant, ſucci: conſentaneũ eſt fontium ipſorum vires, proprietatesque alterari, intendi aut minui, pro terrarum, ac ductum, per quos tranſcolantur varietate. Alii enim nervis, ut idem eodem libro capite ſecundo author eſt, alii pedibus proſunt, aut coxendicibus, alii luxatis fractiſq; alii inaniant alvum, ſanant ulcera alii, atque alii capiti cruribusque privatim medentur, quorum vim obtundi atque evaneſcere videmus imbre copioſiore, aut alio rivulo in eoſdem profluente. Sic Galenus *decimoquarto methodi therapeut*, in Lesbo quadraginta à Mytilenis ſtadiis, aquam eſſe ait, cui inſit digerendi facultas, quare quum vehementer deſiccet, pinguibus, tumefactis, & hydropicis ſummè convenire author eſt. Quod quum ita ſit credendum eſſe in tanta aquarum mineralium, aut balneorum varietate aliquem eſſe fontem, qui ſævisſimo huic malo opitulari posſit. Et quum ſingulorũ vires, tàm eorum, qui in Italia, quàm qui in Germania ſunt excutio, inter reliquos mihi maximè arrident ii, qui in Arduenna ſylva viſuntur, quos à ſapore acidos nominant, ii ſiquidem ut ferri potisſimum naturam, cum aliquantula ſulphuris portione ſapiunt: ita ad præſens negotiũ tàm intrò aſſumpti, quàm foris admoti, plurimum profuerint. Si etenim remedium ſpleni in Scirrhum ſit præſentisſimum, ferrum aqua, aut vino aut poſca extinctũ, ut docet Aetius, *tetr. 3. ſer. 2. c. 8.* quantò magis prodeſſe cenſebimus eam aquam, quæ natura duce, inprimis venis ferri naturam ac facultatem imbiberit, cuiuſmodi ſunt ſcaturigines eorũ fontiũ, qui ferri venas, aut mineram prætertlabuntur. Docet enim quotidiana experientia, aquas non tantum vim, & energiã metallorum, quæ lambendo quodammodo præterfluunt, ad ſeſe allicere: ſed & eorundem ſaporem, quemadmodum in acidis ferrũ ſapientibus, cernimus, nonũnquam etiam odorem, ſicuti in ſulphurulentis, & bituminoſis videre licet. Credendũ igitur eſſe acidos hos fontes, non tantum excreſcentiæ Lienum, ſed & ulceribus inde natis plurimum profuturos, quando videamus indies, ſcabiem, & fœda ulcera ſolis balneis, & lotionibus acidorum fontium in Arduenna ſylva ad ſanitatem reduci. Et Scribonius Largus *capite 146.* ad tumorem, & dolorem, & exulcerationem veſicæ bene facere dicit aquam in aqua ferrum candens demiſſum ſit. Hoc ego inquit, traxi ab aquis calidis, quæ ſunt in Thuſcia ferratæ, & mirifice remediãt veſicæ vitia, apppellantur itaq; veſi-

Aquarum vires unde

Aqua ferrata ad ſcorbutum

cariæ, quondam Milonis Gracchi prætorii, hominis optimi, ad quinquageſimum lapidem reddentis. Neque id mirum alicui videri debeat, quando novam quandam naturam, atque efficaciam, ut diximus, aqua hæc adſciverit, dum ex contrariis & repugnantibus inter ſe qualitatibus; calida dico, & frigida, humidaque & ſicca, nonnunquam adſcititiam naturam imbiberit, ita ut relicta naturali humectatione, qua dulcis ac ſimplex aqua corpora madefacere ſolet, jam ſiccet; non tamen tam intensè quam ipſum metallum, cuius per abſterſionem quandam vim imbuit. Atq; huc ut veniamus, conſideranda erit ante omnia ipſi⁹ metalli temperies, quòd præterfluens aqua eius facultate participat: & quando de acidis, aut ferratis Arduennæ ſylvæ balneis mentionem fecimus, ferri natura expendenda venit, cuius temperiem varii variè diſpeſcunt. Chimiſtæ enim, qui ſingulis metallis ob quandam cognationem, & ſimilitudinem planetas ſuos aſſignant, ferro Martem attribuunt, ita ut id Martis nomine paſſim appellent. Unde quum Mars caliditate & ſiccitate excellat, ferrum etiam eiſdem qualitatibus inſignitum eſſe inferre videntur. Alii contra frigidum eſſe prædicant, idque authoritate Galeni, qui *libro methodi*, lapidum, inquit, ſubſtantia conſtans ſtabilisque propter ſiccitatem & frigus eſt, ad eundem modum æris, & ferri, & ut uno verbo dicam, omnium quæ ex terra fiunt corporum. Et *libro quarto ſimplicium medicam*, quæ corpora ſunt duriora terrea magis ſunt, inquit: Præterea *libro tertio de Simplicium med. facul.* corpus terreum craſſum eſt, ait, ferrum & lapis, quod autem terreum eſt, frigidum & ſiccum eſſe compertum eſt. Atque huic quidem opinioni, quotquot ferè ſunt Arabes, & Neoterici ſubſcribunt, præſertim quando in mixtione ipſa metalli, ferrum ex terreſtribus partibus, & cœnoſis ſulphuris, & argenti vivi peritiores conflari doceant, quæ frigidæ & ſiccæ ſubſtantiæ ſunt, unde & durum, fuſcum, atque grave ſit. Alii medium quoddam inter utrosq; ſtatuentes, ferrũ in minera repertum calida conſtare natura, ob calidorum mineralium ferrum conſtituentium naturam, aſſerunt: quod verò arte conficitur, à reliquis ſecretum mineralibus frigidum, quoniam terrea, craſſioraque in eo abundantius permaneant, ſubtiliori per vim ignis cõſumpto. Qui, quidem, ut quod ſentiam eloquar, rectè ſentire mihi videntur, quum videamus thermas, aut aquas, quæ ferri mineram prælabuntur, temperie eſſe non exquiſitè frigida, ſed cui calor aliquis adjunctus ſit, quem augeri contingit, ſi ſulphuris aliqua minera in propinquo eſt. Quare quum ad Scorburi curationem opus ſit partim incidentibus, partim acrimoniam humoris peccantis obtundentibus,

Ferri natura & qualitates.

partim

partim etiam affectæ particulæ robur addentibus, optimè id effecerimus, balneorum ferratorum, aut aquæ acidulæ uſu, addunt ſiquidem, ſi quæ alia, robur ſpleni, moderataque ſua frigiditate acrimoniam humorum compeſcunt, atque quum acido ſuo ſapore obſcurè quodammodò calefacere videantur, ſicut acetum, craſſa incidunt.

EPISTOLA. IV.

De Lumbagine, & tabe dorſali, ad Gerardum Kegelin, Pharmacopœum Goudanum.

QUereris, mi Gerarde, te ex torminibus, teneſmo, ac graviſſimis circa præcordia doloribus quodammodo redivivum, in alium morbum, qui variis modis te excruciet, atque lancinet, tanquam ex charybdi quadam in Scyllam incidiſſe, ac medicos veſtros, neſcio quid de inſtante renum inflammatione præſagire, quòd nimirum dolor, qui te affligit, à ſcapulis ad lumbos, atque adeò ad ipſa oſſis coxendicis acetabula diſcurrat. Verùm ego ſicut illorum doctrinam & exactiſſimum judicium probè perſpectum habui, nõ potui in animum perducere meum, illos tale quippiam de præſenti morbi ſtatu præſagiſſe, quin potius veriſimile eſſe judicavi, te non ſatis animadvertiſſe, aut alioqui intellexiſſe quid dixerint: quando certum ſit in inflammationibus, obſtructionibus, atque adeo omnibus renalibus affectibus, dolorem fixum eſſe in loco, neque vagari incertis ſedibus, quemadmodum in tuo morbo aſſeris fieri. Nec dubito, quin erroris occaſionem tibi præbuerit lumborum & renum nomen, quod apud practicos aliquot medicos, indifferenter pro eodem apud populum (quanquam non ſatis appoſitè) uſurpari hodiè videmus. Quando igitur obnixè efflagitas, ut & ego, quod ſentio, transſcribam, quanquam præſtò tibi adſint doctisſimi Medici, qui tibi abundè ſatisfacere posſint, tamen antiquę illius noſtræ necesſitudinis memor, meo non deero officio. Morbus ergo etſi longè à nephritidis natura abſit, talis tamen eſt, qui nõn omnino parvipendendus ſit, græci λόρδωσιν, latini lumbaginem appellant, eſtque Hollandis tum propter rationem victus, tum loci ipſius qualitatem, uliginoſam prorſus, familiaris planè, ac propemodũ in digena, quanquam & aliis locis, illos ſoleat invadere, qui im̃oderatiore utuntur venere. Nam ſicuti *libro ſecundo de morbis* author eſt Hippocrates, corripit maximè ſponſos, atque veneri deditos, proditque ipſis genitale ſemen multum, ac liquidum, & genitura, in vtero non manet, & in ſomnis ſemen profundunt, ſive dormiunt cum *Lumbago.*

uxore ſive non. Verum hanc tabis dorſalis ſpeciem, ſicuti puto, non eſt quod metuamus? quando veriſimile magis ſit, morbum tuum originem traxiſſe à materia pituitoſa ſanguini, aut flatibus, aut melancholiæ mixta, per modum catharri à capite per venas in ſpinalem medullam defluente: Siquidem quum ſeptem ſint catarrheumatων, aut defluxionem ſpecies, ut author eſt, *libro de glandulis* Hippocrates, quibus cerebrum ſeſe exonerare ſolet, per nares dico, per aures, per oculos, per palatum in guttur ac gulam, ac reliquæ per venas in medullam ſpinalem, & ſanguinem; neceſſum eſt locum, in quem defluxio decumbit variè affici, pro materia ipſius tum qualitate, tum quantitate. Nam ſi recrementa, aut ſordes, quæ à cerebro in aliam partem defluunt, non prorſus malignæ ſint, ac quantitate paucæ, dolor ipſe & affectus talis erit, qui à natura facile evinci, ac diſcuti poſſit: Sin excrementa tum qualitate, tum quantitate peccans, credendum eſt, eadem eſt, eadem gravisſimorum ſymptomatum occaſionem præbitura. Ac proinde quoniam reliquis ſex omisſis, de ea tantum defluxionis ſpecie, quæ à capite per venas in ſpinalem medullam decumbit nobis ſermo eſt: ſciendum eſt, quod quoties frigidi ac lenti humores in ſpinam defluunt, vicinas partes primum occupare, atque afficere; quæ niſi ita robuſta ſint, ut conceptam materiam ſtatim evincere, ac disſipare posſint, eaſdem ad ſubiectas, ac maxime vicinas partes viciſſim transmittunt, quæ dum nervoſum genus diſtendit, gravisſimis doloribus totum hoc corpuſculum lancinat, incipiendo à ſcapulis, & ſenſim ſerpendo ad lumbos, atque interdum etiam ad ipſum os coxendum. Atque ita affecti vix progredi, aut ſeſe loco movere poſſunt, quā affectionem proprie Lumbaginem, aut λορδωσιν vocamus: ſi quis tamen neotericorum Guttam dicere malit, quòd tanquam gutta à cerebro defluat humor, rectius fecerit, quàm ii, qui generaliter ad omnes articulorū dolores guttæ nomen accommodare voluerunt. Habet autem hoc cum quartana commune, quod omnibus anni temporibus invadat, æſtate tamen ſit brevior, autumno longior, maximeque ſi hyemem attingat. Cæterum ſi acrior ſimul, & tenacior ſit humor, qui à cerebro defluit, atque maiore cum impetu feratur, jam nō ſolum in ſubjectam ſpinam decumbit, verum etiam in acetabula osſis coxendicis, ac tum demum tabem dorſalem, aut ſpinalem, aut oſſis ſacri dicti Hippocrati, conciliat; malum tale, in quo vitam pro morte commutare pro ſolatio eſt, quando ſemper magis ac magis ingruentibus doloribus, requiei tempus nullum conceditur, ſiquidem, ut *libro de glandulis*, Hippocrates ait, Oritur morbus ex defluxione capitis per venas in ſpinalem medullam,

Catarrhorū ſeptem ſpecies.

Lumbago.

Tabes dorſalis.

dullam, inde autem os ſacrum impetum facit, quo medulla ipſa fluxionem producit,& in coxendicum acetabula ſeu juncturas deponit, & ſi tabem fecerit, homo macreſcit, atque hoc modò contabeſcit, & vivere non expetit: ſtatim enim ſcapulæ dolent, amboque pedes ac crura conſequuntur, & ſemper tandem pereunt multò tempore curati, atque ſic deflореſcit homo, & moritur. Habet præter cætera cum reliquis tabidis commune, quod autumnus ei magna ex parte exitialis ſit, ver autem ad pharmaciam opportuniſſimum. Porrò quod ſpinalis medulla areſcat, atque marceſcat, in cauſſa eſt obſtructio ortificiorum, ac venarum, atque vaſorum à cerebro ad ſpinam ſanguinem atque ſpiritum deferentium: quo fit, ut curandi methodus in eo conſiſtat, ut reſeratis poris materia peccans evacuetur. Quod ſi plethoricum quoque corpus ſit, primum tundenda erit vena, aut humeraria brachii dextri, aut media ſiniſtri, aut etiam ſi uſus exigat, poplitis, & ſi fortè tumeant ora illa venarum, quas hæmorrhoidas Græci appellant, conſultum erit eaſdem, aut admotis ſanguiſugis, aut alio quovismodo adaperire ſolet enim, ut ante diximus, lumbaginis cauſſa eſſe. Humor melancholicus, qui quamvis craſſior eſſe videatur, quàm ut commodè ad ſpinam transmitti poſſit: quotidiana tamen experientia ita fieri poſſe docet, quando lienoſis lumbaginem indies ſupervenire conſpiciamus, quemadmodum in ſceletyrbe noſtra annotavimus. Et Galenus, *commento tertio in primum prorheticῶn*, Hippocratis, idem apertè demonſtrat, dum dicit, lumbis dolentibus expectandam evacuationem per hæmorrhoides, quod propter earundem retentionem, non rarò doleant lumbi, magisque ſi eius temperatura, qui ita afficitur, melancholica ſit, aut ſi abſcedetes, ut ſic loquar, præcedentis morbi reliquiæ, ad ora illa venarum delatæ, exitum non habeant, quod & tibi accidiſſe ipſe, ni fallor, meminiſti. Poſt ſanguinis igitur miſſionem decoctis res tentanda eſt, quæ materiam fluidam reddant: deinde medicamenta purgantia, pro humoris peccantis ratione propinanda erunt, incipiendo à clementioribus, habita ſemper ratione capitis, tanquam partis primariò affectæ. Deinde ſi res exiget, fortioribus etiam utendum erit, in quem uſum Elaterium ſuum Hippocrates ſummè commendatum habet. Ego magis probarim globulos ex agarico, cum turpethi portione aliqua maceratos, idque aut in decocto foliorum ſenæ, cui nonnihil ſeminis aniſi, aut fœniculi additum ſit, aut alio quovis, prout res exigere videbitur. Poſt purgatum corpus, conſultum erit fomentationibus, frictionibus, junctionibusque uti, quæ ſimul & evo-

Curatio lumbaginis.

& evocent materiam, & dolorem mitigent, & robur addant affectæ particulæ. Poterit etiam in eundem uſum, ſi locus, tempus atque ægri conſuetudo admittant, præparari balneum, aut aquæ dulcis, aut quod artificioſè confectum ſit, ex verbena, roſis, Salvia, libanotide, chamæmelo, meliloto, atque aliis id genus aquæ incoctis. Quod ſi per ſe non ſatis fluxa ſit alvus, ſuadet Hippocrates, ut eandem, injecto lacte, eluamus: At ſit fortè humor tenacius inhæſerit, atque altius quodammodo impactus fuerit, ac flatus utcunque fuerit particeps: non ſolùm jam dictis hypotheſibus exequendum erit negocium, verùm etiam medicamentoſas illas cucurbitulas in uſum vocare par erit, ut videlicet humor ille, earundem attractione, foràs evocetur, cautione interim habita, ne copioſior ſit materia, quàm ut commodè per eaſdem educi posſit, ſiquidem alioqui periculum eſſet, ne novus quidam fomes morbo ſuppeditaretur. Victus ratio incidens, atque attenuans, & quæ non omnino tenuis ſit, injungenda eſt: protenditur enim malum hoc, ut reliqui articulares morbi, ut minimum, in vigeſimum diem, ut plurimum, in quadrageſimum, quanquam non raro metas has excedat. Potus ſi interim vinum ὀλιγοφόρον, quod nos villum dicimus, interim cereviſia tenuis diligenter cocta. Somnus ſit temperatus, & qui concoctioni ciborum ſufficiat, nimius enim catarrhis obnoxium reddit cerebrũ. Exercitium moderatum eſto, pro virium robore, ac tolerantiæ ratione citra defatigationem. Tu interim vale, atque id cura, ut pro valetudinaria, quàm ocysſimè athleticam corporis conſtitutionem nobis offeras. Lysfeldio.

EPIST. V.

De Hollandia.

DE Hollandia noſtra varii variè ſentiunt, ſunt enim qui Boreæ, ac Rheni munus eſſe ſuſpicentur, quemadmodum in ſymmictis ſuis annotavit Petrus Nannius: alii à ſylvarum frequentiâ Holtlandiam appellatam affirmant: alii rurſum à fœno Hoylandiam dici volunt: potior tamen, ac vulgo magis recepta opinio eſt, quæ à terræ cavitate Hollandiam nominatam exiſtimat. Nam quantumvis Martinus Dorpius eam tantùm probet, quæ à lignorum congerie Holtlandiam vocatam dicit, ac reliquos, qui aliter ſentiant, pro ridiculo habeat, quod veriſimile ſit, illic olim magnas, denſasque fuiſſe ſylvas, quæ aut tempeſtate, aut vi ventorum, aut terræ motu, aut alio quovis modo conciderint, ubi nunc pasſim multo infra terram ingentes quercus reperiuntur, atque effodiuntur: *Hollandia unde dicta.*

untur: evidentiſſimis tamen argumentis id vanum eſſe demonſtrat Nannius, quum pleraque Hollandiæ loca, atque ea præſertim, è quibus ligna hæc effodiuntur, arbores averſentur, ac proinde veriſimile eſſe, arbores has aliundè invectas, potiſſimùm quando Plinius, *libro ſecundo*, dicat, inſulas nonnullas ſemper eſſe fluctuantes: & *lib.* 16. *cap.* 1. idem aſſerat, non procul à Caucis (quos Bremenſes, aut his confines eſſe ſuſpicantur) circa duos præcipuè lacus, littora ipſa obtinere quercus, quæ ſuffoſſæ fluctibus atq; propulſæ flatibus, vaſtas radicum inſulas ſecum auferant atq; in finitima æſtuaria deferant. Huc adde quod recenti hominum memoria, anno nimirum 1552. eventus docuit inundationibus maris integra nonnunquã prædia à continente avelli, atque in alium transferri locum. Exiſtimandum igitur nihil minus, quàm à lignis Hollandiam eſſe dictam, ac potius animadverſione dignum, cur in Hollandia, non ſecus ac de agro Gabienſi meminit Plinius; videamus ad concitatiores ingreſſus, aut equitantium curſum, integra nonnunquam terræ jugera concuti, ac tremere, eſſe ſiquidem rationi magis conſonum, tremebundam hanc natura tellurem Hollandiæ nomen indidiſſe, quàm aliunde invectitias arbores. Quòd & mecum ſuſpicatur vir ſi quiſquam alius polyhiſtor, ac

Hollandiæ ſolum quale.

maximi judicii Hadrianus Junius, *libro animadverſorum quinto*, atque locum ex panegyrico Maximiniano, Auguſto dicto profert. Quanquam illa regio, divinis illis tuis expeditionibus Cæſar, vindicata atque purgata, quam obliquis meatibus Vahales interfluit, quamque divortio ſui Rhenus amplectitur penè, ut cum verbi periculo loquar, terra non eſt, ita penitus aquis imbuta permaduit, ut non ſolùm qua manifeſtè paluſtris eſt, cedat ad nixum, & hauriat preſſa veſtigia, ſed etiam ubi paulò videtur firmior, pedum impulſu quatiatur, & ſentire ſe procul mota pondus teſtetur, ita ut res eſt ſubjacentibus innata, & ſuſpenſa latè vacillat. Hæc Panegyriſta ille de Bataviæ ſolo dilucidè admodum dixit, & nos quotidiana experientia ſic eſſe comperimus: nec mirum. Siquidem quum aquæ lacuſtres graves admodum ſint, & terra paluſtris levis, ac pumicis in morem ſpongioſa, neceſſum eſt, ut his utrisque inter ſe mixtis, æquilibrium quoddam conſurgat, unde contingat, neque omnino deprimi terram, neque rurſus aquas planè obrui, ſed ex æqualiter inter ſe mixtis tremebundam reddi tellurem, ac pedum impulſu, ut ait panegyriſta ille, quati. Quod in rerum natura fieri poſſe, demonſtrat Seneca. Nam ſi aqua, gravior eſt, inquit, leviorem rem, quàm ipſa eſt, feret, & tantò ſupra ſe extollet,

Sic reſtituit Iunius, quũ vetus lectio callidis habetur.

quantò erit levior. At ſi aquæ, & eius rei, quam contrà penſabis, par pondus erit, nec peſſum ibit, nec natabit, ſed æquabitur aquæ, & natabit quidem, ſed penè merſa ac nulla eminens parte. Quod quum ita ſit, non mirum eſt, aquas pro terræ, quam lambunt aut præterfluunt, qualitate, variis ac diverſis inſigniri facultatibus, præſertim quando videamus ipſas non raro ſapore inter ſe differre.

IOANNIS ECHTHII
De Scorbuto, vel Scorbutica paſſione Epitome.

Scorbutus quid.

SCorbutus eſt morbus chronicus, ex natura humoris melancholici, cujus color in cute efflorеſcit. Scorbutus eſt morbus ſplenis, aliquando obſtructi, aliquando intemperati, aliquando cum incipiente Scirrho, qui præpedit eius attractionem, ac conſuetam atrabilariæ redundantiæ ſequeſtrationem ex hepate veniſque eoque humore univerſum corpus vitiat, ſed peculiariter craſſiore fæculentia crura contaminat, atque evaporande acredine gingivas inficit. Scorbutus eſt morbus chronicus, non ſimplex, ſed ex pluribus compoſitus, ex quibus aliqui morbi tantùm, aliqui morbi ſimul & cauſſæ rationem obtinent. Primò adeſt morbus in confirmatione, vel obſtructione lienis, hinc præcordiorum anguſtia. Secundò adeſt morbus in numero, videlicet multitudo humoris melancholici, in venis portæ, per quas lien materiam melancholicam ſolitus erat attrahere, & ſic per conſequens depurare ſanguinē: & etiam in venis per quas ex liene in ventriculululum melancholia transmittitur. Hic morbus naſcitur ex priore morbo veluti ex cauſſa, aut etiam contra; quia potuit utrumque fieri, vel ut primò ſola craſſitie peccans lienem obſtruxerit, deinde impedita eius viſceris attractione, ſui copiam in præcordiis ac meſeraicis auxerit, vel contrà, ut primò copia ſui in venis, ac præcipuè portæ, redundarit, deinde lienem obſtruxerit.

Qui morbi in ſcorbuto adſint.

Ex hoc autem morbo ſequuntur ſymptomata videlicet.

1. Anguſtia præcordiorū, ob retentum humorem melancholicum, in venis portæ. Eſt autem hoc Symptoma operationis reſpirationis læſæ.
2. Expultrix depravata, quippe cū ſanguine fertur humor per corpus totum, qui à liene attractus, partim in ventriculum effuſus, per ipſum evacuari debebat.
3. Qualitas mutata, quæ naſcitur ex proximo Symptomate, videlicet color faciei ex pallido fuſcus, qui in reliquo etiam corpore efflorеſcit, & rubedo gingivarum pruriginoſa ac dolor.
4. Crurū debilitas, quod eſt Symptoma operationis læſæ, vel animalis, vel naturalis, vel utriusque.

Tertiò adeſt intemperies inæqualis, quæ ſicuti ex humore melancholico diutius præcordia obſidente gignitur, ita reciprocatione quadam eum humorem aſſiduè gignit, id eſt, intemperies iſta inæqualis morbus eſt ſimilaris, ex præcedente morbo partim factus, partim fiens. Hi tres morbi ſunt in principio ſcorbuticæ paſſionis, quæ tùm ex inſcitia curantis, vel ægroti negligentia, ad augmentum vel ſtatum pervenire poteſt, & tunc ei etiam ſequentes morbi in augmento vel in ſtatu ſuperveniunt. Quartò adeſt ſolutio continui, videlicet ulcus gingivarum, quod naſcitur ex ſymptomate gingivarum modo dicto, id eſt, in ſymptomatibus ſecundi morbi, videlicet ex rubedine pruriginoſa, ac dolore gingivarum. Quinto, crurum magnitudo modo aucta, modo deminuta. Et hic etiam morbus eſt in confirmatione, quem animalis operatio, ſcilicet motus crurum, ablata, vel tantùm læſa comitatur, nempe in nervis, tendonibus, ac muſculis tanta materia imbibita, ut vel facultati animali tranſitus intercludatur, vel membra illa ad motũ inhabilia propter humorem, etiamſi facultas prædicta tranſeat, reddantur. Ego certè pro mea obſervatione dicerem, Scorbutum fieri non ſolum ex duritie, aut Scirrho, aut etiam lienis intemperie, ant fortè etiam hepatis exceſſiva ipſum viſcus debilitante, & per conſequens eius facultatem, ac operationem lædente: ſed etiam ex corrupto, vel etiam putrefacto ſanguine circa viſcera, tum hepatis, tum lienis, aut vicino loco contento: certè ſi ſanguis eſt putrefactus ac corruptus, & fortè ipſum corpus hepatis, & lienis, faciet haud dubiè ambulandi impotentiam, & diſponeam, imo etiam aliquoties ſyncopen, non minus quàm in vero ſcorbuto. Nam ſi grumus ſanguinis lipopſychiam, & colorem fœdum, & pulſum parvum obſcurum, & frequentem adfert, teſte Galeno, *6. de locis affectis cap.* 3. quanto magis ſanguis corruptus in viſcere aliquo & eodem etiam fortè putrefacto. Quomodo vero Scorbutica paſſio ſupervenit hominibus irregulariter & gulosè viventibus, præſertim prava, & corrupta atque etiam putrida victus ratione utentibus corrumpatur, aut etiam putrefiat ſanguis, quam corruptionem ſequitur præcordiorum anguſtia, & levi ex momento lypopſychia: nec tamen neceſſum eſt ſemper ſequi maculas in cruribus, relaxationem gingivarum in ore. Ut ut ſit, ſive rectè ſentiam ſive ſecus, quæſtione tamen dignum inter medicos cenſeo, an ex prava & putrida victus ratione (unde plerunque hic morbus eique conſimilis quivis alius affectus originem trahit) poſſit corrumpi, atque adeo etiam putrefieri ſanguis, vel læſis viſceribus, vel etiam illæſis. Item ſi concedatur talem ſanguinis putredinem eſſe, quod genus morbi conſtituat, apud veteres nomenclaturam aliquam habens. Item an talis

ſis putredo citra febrem ſubſiſtere poſſit. Ratio dubitandi eſt, quando hic morbus plærunque conſpicitur ſine febre ſenſibili. Porro putredinem etiam frigidam videmus fieri in locis cœnoſis frigidis, ubi bufones, & ſimilia generantur. Quod ſi quis inſtet, hoc tamen non fieri citra calorem, nos contrà negamus illum calorem exceſſivum, atque adeo febrilem eſſe. Nam de formali eius corruptione vix puto ſcientiam haberi poſſe, niſi quod in genere putridam, aut ſaltem corruptam atri humoris ſpeciem præ ſe ferat aliquam.

De varia & multiplici nomenclatura hujuſce paſſionis, & quid ſit apud veteres.

Nomina ſcorbuti.

SCorbutus dicitur â Scorbuck, quæ dictio (ſicuti mihi refertur) eſt vox Danica, ſed â Saxonibus etiam uſurpata. Gingipedium quibuſdam ficto nomine dicitur, â gingivis, & pedibus corrupto ſanguine infectis, eoque ſanguinis mundificativa rectè ad curandi rationem exhiberi. Stomacace & Sceletyrbe veterum videtur eſſe Scorbutus: ſcripſerunt de Stomacace & Sceletyrbe Plinius, *lib.25.cap.3.* & Strabo, *libro 16. Geographiæ*: Græcorum tamen & Arabum regioni ignotus hic morbus fuiſſe videtur, quia Pliniana appellatione nusquam utuntur, nemoque unus uni morbo ſigna, quæ ſcorbuto adſunt attribuit. Sceletyrbe autem, quæ definitur ab auctore definitionum medicarum, diverſum omnino eſt malum ab affectibus crurum, qui in ſcorbuto viſuntur. Apud Avicennam, *cap.3.fen.15.tr.2.cap.5.* ubi de ſignis apoſtematum ſplenis diſſerit, eſt invenire congeriem ſymptomatum, quæ in ſcorbuto viſuntur. Aegineta quoque *libro tertio cap.* 40. eaſdem ſcirrhi ſplenis notas ponit in hæc verba: Hoc preſſis vitio os fœtet, gingivæ exeduntur, ulcera in cruribus cicatricem non recipiunt. Alexander Trallianus ſimilia ferè de phlegmone ex atra bile prodidit *lib. 3. cap.* 23. Icteritiam nigram minimè credimus: quia nuſquam Icteritiæ nigræ ſcorbuto familiaria ſymptomata attribuuntur, & ictericorum nigrorum nemo nec in ore, nec in pedibus affligitur, poſſet tamen Scorbuto aliquando ſupervenire.

De cauſſis Scorbuti.

Cauſſæ ſcorbuti procatarcticæ.

CAuſſę procatarcticę. Prima diæta groſſa & corrupta, ut in navibus Hollandorum, & Phriſiorum: uſus aquarum corruptarum in aquarum dulcium penuria, præſertim in aere calido, quò citiſſime aquæ corrumpi poſſunt: Item caro villa, â coctura etiam ſubolida, lardum rancidum, caro venatica putida, piſces groſſæ ſubſtantiæ, panis biſcoctus aliquanto ſubmucidus, allia, cerevisia mali ſucci procreativa, carnes vel piſces vel quæcunq; alia fumo indurata, & ſale diu conſervata, & id genus reliqua.

Secunda, aer ambiens calidus ſanguinis partes ſubtiliores reſolvens, reliquam ſanguinis maſſam craſſiorem relinquens.

Tertia, vigiliæ.
Quarta, labores.
Quinta, curæ.

Sexta, febres præcedentes; quia, ut inquit Galenus, ſunt nonnulli, qui per febriles morbos melancholicum humorem contraxerunt, *l.3. de loc. aff. cap.3.*

Hæc poſſunt generare humorē melancholicū cauſſam videlicet proigoumenam hujus morbi, etiamſi prava victus ratio non proceſſerit.

Cauſſæ proigoumenæ & conjunctæ.

Cauſa antecedentes. PRimus morbus aſſignatus fuit obſtructio lienis: hujus cauſſæ proigoumena eſt vel antecedens, primò hepar copioſè generans humorem melancholicum: ſecundò humor melancholicus in meſeraicis, præcordiisque redundans. *Cauſſa continens.* Cauſſa continens eſt idem humor melancholicus lieni jam infarctus, vel copia, vel craſſitie ſua obſtructionem ipſi viſceri afferens. Secundus morbus aſſignatus fuit multitudo humoris melancholici, hujus cauſſa proigoumena, & continens eſt, primò Hepar generans humorem melancholicum: Secundo obſtructio lienis. Tertius morbus aſſignatus fuit intemperies inæqualis, quæ ſi fuerit ſine febre, cauſſam principem, & cōtinentem habet frigidam & ſiccam: ſi vero cum febre, calidam, ſeu aduſtionis participem & ſiccam. Quartus morbus asſignatus fuit gingivarū ulcus, hujus cauſſa proigoumena, & continens, eſt acrior ſubtiliorq; materiæ peccantis portio, quæ vel à natura Criticante, ut ſi dicam, vel à calore ſurſum ſublata, loca tenera humidaque facilius arrodit. Quintus morbus asſignatus fuit crurum mala diſpoſitio, huius cauſſa proigoumena & continens, eſt humor melancholicus craſſus magnitudinem augens, & motū impediens, unde crura maculoſa ita intumeſcunt, ut elephantiaſin Arabū quiſpiam eſſe opinetur. hujuſmodi autem magnitudo aucta cauſſam habet intemperiem crurum ex humore præſente factam, & fientem invicem. Item antecedentem habet cauſſam ex ſuperiorū intemperie, & humorum multitudine. Magnitudo vero crurum diminuta, cauſſam habet atrophiam: atrophia autem operationes ablatas ſequitur. *Cauſſa coniuncta ſcorbuti.* Summa ſummarum cauſſa princeps (ſic enim malo reddere proigoumenam) atq; adeo ferè coniuncta ſcorbuticæ pasſionis, eſt humor melancholicus, id eſt multitudo fœculentæ bilis atræ, in hepate cum ſanguine procreatæ, aut putridus ſanguis ex prava, atque putri victus ratione procreatus, ſicuti nos opinamur.

Signa

Signa Scorbuti remotiora, & communia aliorum morborum.

Signa Scorbuti. PRimum corporis totius gravitas. Secundum ſpontanea laſsitudo, quæ tamen hebetiores non ſentiunt niſi à conſueto exercitio. Tertium præcordiorum aliqualis anguſtia. Quartum crurum debilitas. Quintum gingivarum pruriginoſa rubedo ac dolor. Sextum faciei color ex pallido in fuſcum vergens. Hæc ubi conjunctim inveniuntur Scorbutum adeſſe judicare licet.

Signa propinquiora, & certiora.

PRimum oris graveolentia. Secundum gingivarum laxus ſanguifluus tumor. Tertium dentes vacillantes. Quartum crurum maculæ plumbeæ, purpureæ nigris violis obſcuriores. Quintum lentigines innumerabiles gryſii, ſive pulli, aut ſolum circa os, vel ſola crura ſupervenientia ſymptomata. Sextum ſignum eſt paſſione magis ingraveſcente, ambulandi impotentia. Septimum anhelitus difficultas, potisſimum dum ſe movent, aut erigunt, & ſi aliquandiu erectè ſedere conantur, quaſi deficiente ſpiritu ſemianimi deliquio afficiuntur. Octavum rurſus decumbentes reficiuntur, ac reſpirant liberiùs, imo decumbentes ſe ſanos aſſerunt: Sed quia fieri non poteſt, ut ſine omni motu decumbant, fit interdum ut delinquentes animo langueant. Nonum in his rarisſimè deficit appetitus, frequenter cibum appetunt. Decimum obſervatur aliquando motus aliquis aggrevationis, in pluribus quarto: quintoque die, in aliquibus tertio die, in paucioribus ſingulis diebus, ſine tamen omni febre, aliqui tamen febriunt. Undecimum, præceſſerunt aliquando febres, quæ quaſi per criſin in ſcorbutum terminatæ fuerunt; unde etiam talis ſcorbutus natus contagione ſerpit in totas familias, & tota monaſteria, deſinitq; in lethalem dyſenteriam commutatus, aliquoties verò deſinit ſubito, ac mortali deliquio animi. Duodecimum quibuſdam alvus toto morbi decurſu eſt conſtricta, ac ad egerendum difficilis: Contrà nonnulli continuo ventris fluxui obnoxii ſunt. Decimum tertiũ, interdum maculoſa illa crura ſic intumeſcunt, ut elephantiaſin Arabum ſuſpicari eſſe poſſis: rurſus verò aliorũ crura ſic attenuantur; ut nuda cutis deturpata oſſibus affixa videatur. Nec mirũ, quia etiã aliis morbis, contraria aliquando ſuperveniunt Symptomata, ut in pleuritide &c. Decimũ

quartum

quartum, maculæ aliorum in nigras, aut pullas ſquammas reſolvuntur, uti morphea, & Græcorum lepra aſſolet, aliorum verò leves, æquales, ſplendentes permanent cum quodam veſtigio ad impreſſionem digiti. Decimum quintum, item morientibus quibuſdam deliteſcunt maculæ, quibuſdam à morte uberrimè efloreſcunt. Decimumſextum, conſpicitur etiam aliquàndo, licet perraro, varicoſa venarum plenitudo, ſic & ſub tota lingua minutiſſimæ etiam venæ varicibus ſimilimæ, & ſimiles in inferiori labro varices viſæ fuerunt.

Iſthuc tamen ſæpiſſime vidiſſe contigit.

Indicationes curativæ.

Indicationes.

PRimus morbus, videlicet obſtructio, tollitur apertione, quæ per ſubtiliantia atque abſtergentia perficitur. Secundus morbus, videlicet multitudo, tollitur partim intentione curativa, videlicet evacuatione eius, quod jam factum eſt, partim præſervativa eius quod fit: idque bifariam. Primò prohibendo ne talis humor amplius generetur, quod fit per curationem intemperiei jecinoris, & per ablationem cauſſarum procatarcticarum. Secundo prohibendo ne retineatur, ſi quid fortè iterum genitum ſit, quod fit per meatuum reſerationem, & per ſplenis confortationem. Ita prohibitio retentionis duplicem præſtabit uſum, nempe præſervativum in hoc ſecundo morbo, videlicet multitudine, curativum in primo morbo, videlicet obſtructione lienis. Tertius morbus, videlicet intemperies tollitur, partim intentione curativa, videlicet correctione factæ intemperiei per contraria, partim intentione præſervativa ſimilis adhuc intemperiei: idque bifariam: primò per ablationem ſuæ cauſſæ, nimirum multitudinis humoris, quod fit partim diæta attenuante & boni ſucci: Secundo per roborationem viſcerum. Ita ablatio humoris duplicem & ipſa uſum præſtabit, nempe curativam in ſecundo morbo, videlicet multitudine, & præſervativam in tertio morbo. Sunt igitur quatuor intentiones, apertio, evacuatio, alteratio, confortatio. Evacuationi debetur primus locus, quæ partim univerſalis, partim particularis eſſe debet. Secundus locus apertioni, deinde repetitur aliquoties evacuatio. Tertio loco ſuccedit alteratio, quæ etiam corroborationem aliqua ex parte exequitur. Nam corroborationis quoque eſt debilitatem membrorum ex intemperie propulſare, privatim tamen magis exequitur viſcerum indigentiam, nempe lienis, hepatis, & ſtomachi.

IOANNIS WIERI.

De SCORBUTO. TRACTATUS.

Scorbutus quid.

SCorbutus eſt, quando propter obſtructionem impeditur attractio humoris melancholici, qui reliquo ſanguini commixtus, univerſum corpus tabida corruptione inficit: tũ puniceis lituris crura defœdans, ex craſſiorum ſui partium decubitu: tum portione tenuiore ſurſum elata, teneras gingivas acri corroſione, & putida carnis excreſcentia vitians. Ejuſmodi definitionum, deſcriptionumque libertatem medicis uſurpare licet ad faciliorem rei intelligentiam: quum alioquin curioſius hæc in logicorum ſcholis fore diſcutienda non ignorem.

Scorbuti nomina. Scorbuc.

Nomen verò fictum ex Danica, & maritimæ Germaniæ lingua. Scorbuc enim iis ſonat ruptum ventrem, quaſi totus venter & hypochondria, ut fit, patiantur: quomodo & Scormunt noſtrates appellant, quando inficiuntur gingivæ, quod ruptã buccam, vel os ſonat: Item Scorbein, quando in cruribus morbi, ſymptomata vel ſigna apparent, quaſi dicas ruptas tibias: Hollandis à puniceis maculis blauſcuyt nuncupatur.

Scormunt. Scorbein. Blauſcuyt.

Stomacace & Sceletyrbe Plinii eſt, cuius meminit, *libro natural. Hiſt.* 25.*cap.*3. iis verbis. *Nec beſtiarum ſolùm ad nocendum ſcelera ſunt, ſed interim aquarum quoque & locorum. In Germania trans Rhenum caſtris à Germanico Cæſare promotis, maritimo tractu fons erat aquæ dulcis ſolus, qua pota intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus diſſolverentur. Stomacacen medici vocabant & Sceletyrben. Et malo reperta auxilio eſt herba, quæ vocatur Britannica, non nervis modo, & oris malis ſalutaris, ſed contra anginas quoq; & ſerpentes. Folia habet oblonga, nigra; radicem nigram. Succus eius exprimitur, & ex radice Phriſii, qua*

Stomacace ſceletyrbe. Britannica.

ſu, qua caſtra erant monſtravere illam. Apud hos & finitimas regiones maritimas, potiſſimum ſeptentrionem ſpectantes, ſparſim illud malum hactenus ſæviit: proximis verò annis additiones confines, ubi antea inauditum ex prava victus ratione, ſive contagione, proſerpere cepit, ut jam Germaniæ inferiori univerſæ propemodum innotuerit: Alioqui ampliſſimo totius Germaniæ ſuperioris regno adhuc incognitum, quemadmodum Italiæ, Gallicæ, ac Hiſpaniæ. Si fortè in aliquo Aſiæ, vel Africæ loco lues hæc ſentiatur, is erit vel maritimus, vel alius, ubi rarus ſalubris aquæ uſus, vel ubi victus aut aer ejus fomitem ſuppeditat: proinde & morbus hic ei tractui ſolumodò peculiaris, velut maris quoque borealis accolis: nullo autem modo cunctis mundi partibus, ut reliquus morborũ acervus familiaris. Nabathæi ſiquidẽ in fœlici Arabia & eo adventantes Romani illam perpeſſi fuiſſe videntur Auguſti Cæſaris ævo. Hujus etenim imperio, quum in Arabiam exercitum Romanum traduxiſſet Aelius Gallus, eum in ipſa expeditione relinquere coactus eſt in albo vico maximo Nabathæorum emporio: ubi æſtatem & hyemem tranſigere oportuit, ut reficerentur infirmi. Quandoquidem oris, & crurum cæteriſque ejus loci vitiis tentabatur exercitus, quorum illa circa os, hæc circa crura reſolutionem quandam fuiſſe ob aquas, & fructus provenientem ſcribit Strabo *libro 16. circa finem*, qui eodem tempore vixit. Peculiare verò nomen ejus peſtis apud Arabes non comperio. Cæterùm medici vel Græci, qui apud Romanos fuerunt, tum potiſſimùm medicinam faciebant, vel latini Græcæ linguæ periti, qui in illis bellis exercitus Romanos ſectati fuere, ex ſymptomatibus, quæ maximè tum in ore, tum in tibiis apparuerunt nomina finxerunt Græca, ut morbus *ςομακάκη* ab oris vitio; *σκελετύρβη*, à tibiarum læſione infectioneque appellaretur. Voces enim has, nec qui Germanicum Cæſarem comitabantur medici, à Phryſiis accepere, qui tunc temporis medicis maximè doctis, & in linguarum peregrinarum uſu tritis caruiſſe videntur, ut apta morbis nomina Græca formare nequiverint: ſi tamen fortè quos habuerint, ii fuere patrii, & eruditionis exiguæ: Ab Arabibus vel Nabathæis, eaſdem voces identidem non didicere medici Aelium Gallum ſequuti.

Stomacaces & ſcelotyrbes nomina à quibus Scorbuti indita.

Porro quæ ſceletyrbe ab authore definitionum ſub Galeni deſcribitur nomine, nihil minus eſt, quàm Scorbutus noſter; quum eam paralyſis ſpeciem eſſe ſcribat, qua rectè incedere nequeunt, ſed nunc in lævam, nunc in dextram corpus contorquent, interdum crus poſt ſe trahunt non ſecus, quàm acclives locos aſcendentes faciunt. Hæc eius verba: *σκελετύρβη ἐςὶν εἶδος παραλύσεως;*

σκελετύρβην non eſſe Scorbutum.

ὥςε

ὥστε περιπατεῖν ἐπ᾽ εὐθείας μὴ δύνασθαι, καὶ ποτὲ μὲν κατ᾽ εὐθὺ, ποτὲ δὲ εὐώνυμον εἰς τὰ δεξιὰ περιφέρειν τὸ δεξιὸν εἰς τὰ ἀριστερὰ, καὶ ποτὲ μὲν ἐπισύρειν τὸ σκέλος, ὥσπερ ἀναβαίνοντες τι μέγα.

Oſcedo. Oſcedinem appellaſſe hunc morbum Marcellum, ab oris, vel gingivarum eroſione arbitror. *Gingipedium.* Gingipedium quibuſdam dicitur, nomine ficto à gingivis, & pedibus læſis.

An ſcorbutus Græcis & Arabicis medicis fuerit cognitus. Quæſtio hoc loco occurrit, utrum lues hæc à priſcis, nimirum ſacræ & veteris noſtræ Medicinæ ſcriptoribus Græcis, & Arabicis fuerit cognita, deſcriptaque? Cuius affirmativam partem, quum alii ſuſtineant, ego in negativam propendeo. Nam Avicenna, *can. 3. fen. 15. tract. 2. cap. 5.* quandam ſymptomatum quidem congeriem, quæ in Scorbuto videntur, recenſet, ubi de ſignis apoſtematum ſplenis agit: Scorbutum tamen noſtrum non deſcribit licet proximius eum attigiſſe videatur. Hippocrates item de magnis lienibus ſic quidem ſcribit, *lib. 2 Prædictionum*, ut quædam Scorbuti accidentia notet, ſed paucis ſignis, quæ in ſplenis affecti morbis apparent, Scorbutus noſter peculiaris morbus non deſcribitur. *An magni lienes.* Ait enim gingivas vitiatas, oris graveolentiam his accidere, quibus ſplenes magni. Quicunque verò habent ſplenes magnos, & neque ſanguinis eruptiones ipſis contingunt, neque oris graveolentia, horum tibiæ ulcera prava habent, & ex his cicatrices nigras. Ad trutinam nunc Hippocratis verba vocemus, expendamusque. Quibus magni lienes his gingivas inſici & putrere aſſerit, illud unum ſymptoma eſt. Hinc ſubiungit. Quibus vero ſplenes magni, nec putreſcunt gingivæ, neque ſanguinis eruptio contingit, horum tibiæ ulcera ſortiuntur maligna, atque cicatrices hinc atras. Hinc manifeſtè apparet Hippocratem in ea eſſe ſententia, quòd eodem tempore utrumq; illud ſymptoma in ſplene magno nõ coniungatur: Sed tibiarum ulceratum primum ſubſequantur, quando humor ille melancholicus acris non feratur ſurſum ad gingivas, vel ſanguinis eruptione minuatur, verùm ad tibias ſubſidat, fœdè exulceret, & cicatrices poſtea nigras relinquat. In Scorbuto autẽ ſimul gingivæ putreſcunt, fœtentque, & tibiarum lituræ amplæ liveſcunt, quæ etiam quàm rariſſimè ad exulcerationem perveniunt. Hæ etiam præcedunt ulcera ea rara malicioſaque ſi fortè tandem emergant: nullaque harum macularum magnarum, in hoc morbo ſemper ferè apparentium, apud Hippocratem mentio fit, ſed ſolarum cicatricum nigrarum poſt ulcera relictarum, quæ communes quoque ſunt cunctis exulcerationibus ab humore melancholico natis. Enim verò difficulter admodum ſanantur: quare etiam in ſcirrho ſplenis cica-

tricem non admittere affirmat Paulus Aegineta, *lib.3.cap.40.* Ad Celſi ſententiam, qui latina reddidit ea Hippocratis verba, *l.2.cap.7.* idem dictum volo. Eadem ratione ad Celii, & reliquorum ejuſdem ſententiæ veterum authoritates reſponſum ſit.

An icterus niger. An volvulus hæmatites. Scorbutum adhęc alium eſſe ab ictericia nigra, & tertia volvuli ſpecie, quam Hæmatiten vocat. Hippocrates, & ego longo medicinæ uſu obſervavi, & doctè in ſuo inſigni libello de magnis Hippocratis lienibus, oſtendit excellentiſſimus medicus Balduinus Ronſſeus, mihi neceſſitudine haud vulgari junctus.

Ex recentioribus ſcriptoribus Scorbutum ſic ſatis deſcribit Olaus Magnus natione Suecus, in ſua hiſtoria de gentibus Septentrionalibus, *lib.15.cap.51.* etſi multis in locis eum figmentorum alioqui minimè puduerit; hæc ipſius verba. *Eſt & morbus caſtrenſis, qui vexat obſeſſos & incluſos, talis ſcilicet, ut membra carnoſa ſtupiditate quadam denſata, & ſubcutaneo tabo quaſi ceraliqueſcens, digitorum impresſioni cedant, dentesq́; veluti caſuros ſtupefacit, colores cutium candidos reddit ceruleos, toporemq́; inducit cum medicinarum capiendarum nauſea, vocaturq́; vulgari gentis lingua Scorbuck: Græcè cachexia, forſitan à ſubcutanea mollicie putreſcente, quæ videtur eſu ſalſorum ciborum, nec digeſtorum naſci, & frigida murorum exhalatione foveri, ſed vim tantam non habebit, ubi muri interius tabulis quorumcunque lignorum ſunt cooperti. Inſuper ſi diutius graſſetur iſte morbus, abſinthiaco potu continuato illum arcere: Sicuti & calculi radices, per decoctionem veteris cerevisiæ cum butyro epotæ tollere ſolent.* Lib. item 9.cap.38. *Viribus* ait, *primis annis demum (milite ſtragibus continuis diminuto) artibus, dolis & inſidiis obſidentium ſurripiunt commeatum, præſertim pecudes, quas ſecum abductas, in herboſis domorum tectis paſcendas imponunt, ne defectu carnium recentiorum, morbum incurrant quibuſvis ægritudinibus triſtiorem, patria lingua Scorbuck nuncupatum, hoc eſt ſaucium Stomachum, diris cruciatibus & diuturno dolore tabefactum. Frigidi enim & indigeſti cibi avidius ſumpti morbum hujuſmodi cauſare videntur, qualem medici cachexiam univerſalem appellant.* Hujus luis quoque obiter meminit Albertus Grantz *in ſua Saxonia.* Item Euricius Cordus, *in ſuo Botanologico.*

Cauſſæ.

Cauſſa proxima ſcorbuti. CAuſſa proxima erit humor craſſus, crudus, frigidus in vaſis ſanguinis contentus, ſive is ſit melancholicus, ſive cum pituita mixtus.

Cauſſæ remotæ. Cauſſæ remotæ, ſex res non naturales, aer corruptus, victus pravus, putriſque frequens in regionibus ſeptentrionalibus, maximè earum navibus marinis, velut caro ſuilla à coctione nonnunquam ſubolida, lardum fumo infarctum, exiccatumq; ſubinde rancidum, quandoq; ab initio

tio

tio impurum, graviſque infectionis indiciis imbutum, plærunque crudum etiam voratum: Item carnes reliquæ, & piſces ſaliti priùs, deinde atro multoque fumo transfuſi, & indurati, vel multo ſale conſervati diu, ſimiliter qui craſſæ ſubſtantiæ, & exucci ſunt. Caro venatica, & putida, volucres aquaticæ, & quæcunq; acceto condita longo tempore fuere, brasſica, allia, panis vetus, bis coctus, nonnunquam ſubmucidus: legumina, cereviſia craſſa, & feculenta, uſus aquarum vitioſarum in dulcium penuria, unde ſævi gignuntur morbi, teſtibus Hippocrate, *De aere aqua & locis* 31. & Plinio *lib.* 25. *cap.* 3. Item jeiunia, cum exiguo mali ſucci cibo: ad hæc vigiliæ, labores intempeſtivi, immodicique affectus animi, cogitationes graves asſiduæ, præcedentes quoque febres, & vacuationum debitarum intermiſſio, ſive ſuppreſſio, ut hæmorrhoidum, menſium, & ſimilium.

Signa.

Signa Scorbuti in principio. SIgna in morbi principio. Corporis totius gravitas, ſpontanea laſſitudo, qualiſcunque præcordiorum anguſtia, crurum imbecillitas leviſque rigor, cum dolore exiguo, gingivarum pruriginoſa rubedo à naturali mutata ac dolor: faciei color ex pallido in fuſcum vergens.

In augmento: In incremento gingivarum laxus ſanguifluusque tumor, & putredo cum oris fœtore, quarum aliquando etiam caro ad dentium radices conſumitur, utrobique dentes vacillant: crurum adhæc lituræ conſperſi leviter ſanguinis faciem oſtendentes quandoque & quales morſu pulices inprimere ſolent, majores tamen, quæ etiam in fæmoribus, & toto corpore ſparſim aliquando apparent, ex minus craſſo ſanguine procreatæ. Plerunq; etiam maculę amplę, plumbeæ, lividæ, purpureæ, nigris violis obſcuriores, ex fece corrupti ſanguinis eò decumbente genitæ: quare rarò admodùm in aliis locis, quam cruribus emergunt. Quandocunq; vero hæ videntur, certiſſimè Scorbutum adeſſe denunciant, etiamſi alia ſigna adhuc deliteſcant. In faucibus item aliquando is livor apparet, in iis, quibus univerſum corpus hac putrilagine ita permaduit, ut ferè mortis periculum haud longè abſit.

Ingraveſcente Ingraveſcente morbo, nervorum in cruribus rigor, ambulandi impotentia, nervorum item contractio, anhelitus difficultas, maximè ubi æger movetur, aut erigitur, aut ſedet: tum quoq; ferè vel omnino linquitur quandoque animo, decumbens autem reſpirat liberius, reficiturque. Quidam appetunt cibum frequenter, quibuſdam edendi aviditas languet. Motus aggravativus in multis quarto, quintoque die, in plæriſque tertio: in paucis ſingulis diebus, ſine

manifeſta tamen febre obſervatur. Aliquos interim quandoque ſimul febrire non eſt dubium. Nonnulli enim hac lue correpti, febre lenta erratica corripiuntur: Aliquando etiam febres præceſſerunt ardentes, malignæ, duplices tertianæ: & ubi in ipſo Scorbuto nondum poſt eas febres perfectè curato, febris quartana valdè maligna ſubſequeretur, vidi: & in ipſa quartanæ declinatione rurſus apparuit Scorbutus, ſano tandem conſilio victus. Sic eæ febres non adeò per criſin terminari ſæpenumero videntur, quàm novos ex labefactis viſceribus, atrophia, & multa ſanguinis corruptione putrilagineque producere morbos, prioribus non rarò pejores. Quibuſdam alvus aſtrictior, aliis fluxilior. Livor ille crurum quandoque integras tibias inferiores, circumquaque uſque ad pedes, cum tumore ita obſidet, ut elephantiaſis notam eſſe quis judicaret; rurſus aliorum crura ſic attenuantur, ut oſſa videatur cutis tegere ſola, plerunque cum calore multo, nonnunquam absque eo. Quorundam etiam maculæ in ſquamulas reſolvuntur, quemadmodum in Eriſypelate fieri etiã aſſolet: aliorum leves, æquales, nonnunquam ſplendicantes permanent cum levi veſtigio ad digiti impreſſionem. Plerunque etiam, licet rarò admodum apparet varicoſa venarum plenitudo, & ſub lingua tota venæ minutiſſimæ, varicibus perquam ſimiles: Identidem & inferiori labro conſpiciuntur: Pulſus hic, ut in quartana febre varius, exilis, durus, frequens, debilis pro temporis, & morbi varietate. Urina rubicunda, turbida, craſſa, feculenta ad modum vini rubri recentis, quemadmodum & fervente quartana potiſſimùm à ſudore ſolet apparere & gravis odoris.

Prognoſtica.

Scorbutus in iiſdem familiis aliquando frequens partim quod eodem victu ſint uſi ægroti, quare contagione putatur ſerpere: partim quod contagio lædat, ubi in oris, & gingivarum vitio, ex iiſdem poculis bibunt, vel aſſidua contrectatione vitiatos Spiritus admittunt. Quandoque eſt à parentibus hæreditarius. *Prognoſtica.*

Febres aliquando in hunc morbum terminantut. Hunc etiam plærumque tabes comitatur, ſubinde hydrops, quandoque & dyſenteria, atrophia vero propemodũ ſemper.

Ulcera in tibiis, ſi nonnunquam exoriantur, quod raro tamen fit, cicatricẽ difficulter admittunt, quippe fœtida admodum, maligna, & aliquando gangrænoſa, ita plærunque corrupta, ut immiſſum ferrum non ſentiant.

Habent nonnulli in hoc morbo illæſas gingivas, ſed defœdata crura, qui

qui, vel ex ore, vel ex naribus ſanguinem rejiciunt.

Morientibus ex hoc malo pleriſque deliteſcunt maculæ, aliis à morte effloreſcunt vberrimè.

Victus.

Diæta. VIctus ſit concoctus facilis, & boni ſucci moderatè calefaciens, tenuis, incidens et à ſubindè, atq; attenuans abſtergensq; cui levi-ter aſtringentia accedant quandoq;. Convenit Polenta noſtra hordeacea, vel hordeum exorticatum, cocta in juſculo aut aqua, deindè cum vino per ſetaceum redacta Paſſulæ Corinthiacæ etiã coquantur in jure aliquo idoneo, vel etiam aqua & vino, atq; ſimiliter per ſetaceum transmittantur: Poteſt & ovi vitellum ſubindè commiſceri. Eædem quoque paſſulæ manduntur, ſi nimia ſiti, aut oris ſiccitate laboret æger. Proſunt & amigdalæ cum colatura decoctorum furfurum triticeorum apparatæ, quibus amararum pars aliqua fuerit mixta. Aromata in cibo, pro flaccidi corporis, & morbi exigentia, quandoque miſcenda, ut cinamomum, macis, nux myriſtica & zinziber. Omphacii uſus hic non inutilis. Cõdimenti loco aſſumantur & interdum Cappares, cũ uvis paſſis Corinthiacis ex oxyſaccharo, vel oxymelite longo: atterantur vero dentibus prius minutiſſimè, quàm deglutiantur. Potus ſi cereviſia bona, optimè defecata, maximè abſinthites, uti & vinum eadem herba confectum: aut ſi quis chamædrite afficiatur, erit & hoc utile multum. Aqua etiam lactis haud temerè quis utetur. Lac item caprinum, vel in eius defectu vaccinum recens, in quo decocta fuerint ſiſymbrium, cardamine, vel naſturtium hortenſe cum foliis latioribus, hyemale vocant, vel cochlearia, non ſine ſucceſſu plerique uſurpant, potiſſimùm qui lacti aſſuevere, eoque afficiuntur, vel qui id innoxiè patiuntur. In cubiculo verſentur ſicco, calido, mundo, & lucido: triſtiores animi affectus excludant.

Curatio.

Sanguinis miſſio. CUratio à ſanguinis miſſione inchoanda erit in initio, ſi eius fuerit plenitudo, vires, ætas, & reliqua conſenſerint. Copioſam autem detractionem hic diſſuaſerim. Per hæmorrhoides ſi legitimè vacuentur, commodum erit. Si peculiari modo affectus comperiatur ſplen, ſplenaris, vel media in ſiniſtro brachio aperiatur: Sin vero hepar magis, vel æquè gravatum; corpusque ſanguine redundare deprehendatur, tùm dextri brachii [illegible] datur jecoria, vel baſilica, au[illegible]

raro advocetur medicus, niſi altas malum egerit radices, invalueritque, & lituris in tibiis ſe morbus prodiderit, à ſectione venæ abſtinendum conſuluerim.

Purgatio.

Hinc leniter corpus evacuetur cum foliis ſenæ Alexandrinæ, quam vocant expurgatis ad unc ß. vel Drachm. iij. vel minus, ſi epithymi tantundem adjunxeris, cum paucis paſſulis Corinthiacis, ſemine fœniculi, & zinziberis an. Drach. ß. quæ ſimul veſpertina hora in ſeri lactis ſufficiente quantitate leniter effer-veant, & macerentur noctu: Deinde manè poſt fervorem unicum forti expreſſione coletur ſerum quod propinetur. Poteſt & unc. ß. ſequentis pulveris eodem modo infundi, colaturaque expreſſa exhiberi.

R. *fol. ſenæ Alexandr. expurg.* unc. j.
epithymi
tartari albi an. Unc. ß.
cinamomi
garyophyll.
galangæ
ſeminis aniſi an. Drachm. j.
diagryd. Drachm. ij. ß.
F. pulvis.

Conferunt ac pilulæ de fumaria, ac diaſenæ: Pilulas etiam ex lapide lazuli, & armeno, etſi quidam exhibeant, mihi tamen diſplicent: confectionem hamech qui offerre quoq; volent, quantitatis ut ſingularem habeant rationem neceſſe eſt, quum vehementes expurgationes innoxiè hic morbus non ferat, ubi tam facilè cor afficitur, læditurque.

Scorbutica medicamenta.

Purgato ſuaviter corpore, ſingulis diebus bis, hora nimirum matutina, qua etiam in pleriſque ſudor expectatur, & quarta pomeridiana aſſumentur unc. iiij. ſucci expreſſi ex herbis ſequentibus, admiſcebiturq; Sacchari puri quantum voles, & canellæ parum.

Cochlearia *Siſymbriũ.* *Naſturtium aq.* *Becabung.*

R. *cochlear.*
ſiſymbr.
cardamines
naſturtii hyemalis dicti an. partes æquales
becabungæ partem mediam, quantitate obſervata unius prædictæ herbæ: hæ virides in mortario lapideo cum piſtillo ligneo contundentur, exprimenturque. Cęterùm eæ potiſſimùm in hoc morbo extirpando ſingularem ſunt ſortitæ ex ratione prærogativam, quũ primæ tres incidant, extenuent, & per urinas expurgent, quarta aliarum vires contemperet. Propterea etiam pro corporis, morbi, & caloris ratione augeri, vel minui poteſt. Contuſæ item illæ in lacte caprino recenti, vel in ejus penuria, vaccino decoquuntur: & à forti expreſſione ſimili modo potus propinatur. Recentem eum quotidie apparari conſultius eſt. Felicem quoque ſucceſſum expertus ſum, ſi quando in lactis ſero, illæ herbæ decoquerentur. Succorum tamen exhibitio præſtat: at ex docti, exercitatique medici arbitrio hæc mutari poſſunt, ubi & cum vino rubello coquerentur, non temerè memini. Liquoris verò non magna ſuperfundenda quantitas, quod

quod ſucculentæ ſint herbæ: quare hæ ſolum ejus admixtione contegentur ad coctionem, aliàs cum iis liquoribus etiam per cribrum ſetaceum validà expreſſione trajici ſolent contuſæ crudæ. *Abſinthium vulgare* admixtum confert plurimum, utiliterque adjunxi ſæpenumerò nummariam,& chamædryn. *Nummularia* quandoque ob laxa viſcera, & diſſolutas compages miſcetur.

Abſinthiū

Nummularia.

Alia plantæ ſcorbuticis utiles.

Si aliis deinde multa aliarum materiarum farrago placuerit,quemadmodum myrobalanorum, maximè indorum, corticum radicum capparis,fraxini,cuſcutæ,aſari,thymi, epithymi adianthi, matricariæ, chelidoniæ, betonicæ, hyſſopi, agrimoniæ,ſcabioſæ,teucrii,phyllitidis,ceterah, tamaricis,acetoſæ, radicum valerianæ,biſtortæ,enulæ, polipolii, lapathi acuti, fœniculi, petroſelini, pimpinellæ,cichorii, boraginis, buglosſæ rhapontici, ariſtolochiæ, rotundæ,glycyrrhicæ,paſſularum, senę Alexandrinæ, florum geniſtæ, ſambuci,ſeminū aniſi, fœniculi, viticis, ſeminum frigidorum, & id genus reliquorum, per me licet, ex paucarum tamen plantarum legitimo uſu curationem conſequutus ſum non rarò felicem.

Hoc item remedio infinitos eſſe curatos intelligo.

R. *Comæ abſinthii vulg. ſicci,*
granorum juniperi contuſor. an. M.j.
lactis caprini lib. IV.
Coquantur ad tertiæ partis conſumptionem exprimendo colentur, deinde admiſce croci in pulverem redacti Drachm. j.
denuo ebulliant fervore uno aut altero, ſecundo colentur.

Decocti hujus datur hauſtus tepidus ter in die, hora matutina, ac tertia pomeridiana,& quando cubitum itur. Mulierem novi in Scorbuti curatione celebrem, quæ corpore vacuato, hanc propinabat potionem.

R. *becabungæ*
ſiſymbrii
cardamines an. M.iij.v.IV.
contuſis herbis admiſce
ſem. erucæ
rad. ireos hortenſis noſtri vulgaris recentis an. Unc.ß.
zinziberis Drachm.ij.
piperis longi Drachm.j.
Simul per colum trajiciantur cum vini rubei lib.ij. *Ex hoc* potu commoto ſingulis diebus hora matutina calidè offerebat, deinde ægro diligenter contecto eliciebat ſudorem, novem in ea curationis ratione impendens dies. In comitatu Mercenſi, beccabungam, ſiſymbrium, cardaminem, & aloen contuſa, & cum lacte colata propinant nobiles quædam matronæ. Tenello infanti cum ſucceſſu aliquoties apozema hoc exhibuit Comitiſſa quædam.

R. *Rhabarbari*
Centaur. minor.
rhapont. vulgo dicti an. Drachm.ß.
ſem. aniſi
liquiritiæ an. Drachm.ij.
In pulverem redacta trajiciantur cum expreſſo liquore. Manipuli florum roſa-

 rum

rum damaſcenarum, quas vocant, in aqua decoctarum, hinc cum Sacchari ſ. q. fiat Syrupus longus, unde cochlear manè & veſpere bibit.

Ingratam & ferè abominabilem potionem in Phryſia Orientali velut certiſſimam in ſcorbuti curatione habitam, hic ſubjungere volui, ut excrementis quoque ſuam ineſſe vim naturalem quilibet videat, quæ tamen in uſum non admittimus, quod alia magis grata, neque uſque adeo abominabilia certiori ratione uſurpari queant, jucundiorque curationis modus obſervetur.

℞. *vini rhenenſis menſuram ſex quartarum, ſingulæ quartæ pendent* lib. IV. *medicinales, radicum raphani majoris boni, & recentis in mortario lapideo diligenter contuſi* Unc. iij. *quæ cum parte vini dicti in ollula ſeorſum mixta macerentur per horam integram: liquor fortiter expreſſus per linum, cum ſex vini dicti quartis commiſceatur: deinde in ejuſdem vini portionem aliam immittatur ſeparatim ſtercoris taurini, & anſerini par quantitas trium magnarum nucum, itidemq́; per horam relinquatur, poſt validam inde expreſſionem, vino primo affundatur. Hinc Rec. nucum myriſticarum, cariophyllorum,* an. unc. ij. *contuſæ ſeorſum, linoq́; illigata in dicto vino ſuſpendantur, atque eo modo horis viginti quatuor potus conſiſtat.* Inde quotieſcunque ſitit æger largè bibit: nec aliam uſurpat potionem donec integram conſequutus fuerit ſanitatem. Potus autem hic apparari, ſecundò poterit, ſi requirat neceſſitas.

Interea caventur ſalita valdè, ſecalinusque panis. Quum Phryſia taurorum & anſerum ſit feraciſſima, ex paratu facilibus ibi concinnantur hujuſmodi medicamenta. Tantam autem vim calorificam ſtercori anſerino ineſſe, ut in quæ inciderit gramina, urat: & hinc cum liquore convenienti transfuſum incidere, menſes, ſecundinam, & urinas potenter movere conſtat: nec dubium eſt taurinum ſtercus identidem hac nonnihil facere.

Stercoris anſerini, & taurini vires.

Vacuationes priores ſemel atque iterum tota curatione reiterari queunt. Inde diebus aliis offeratur matutina hora cochleariæ conſerva, vel etiam conſerva chamædrytis ſeorſum, vel mixtæ, quibus accedant radices bugloſſæ, vel borraginis conditæ, velut & enulæ.

Porro notandum omnes ferè plantas acres, quibus inciditur attenuaturque materia morbifica, ad huius mali profligationem juvare: ne quis ſibi perſuadeat, a tota ſubſtantia, vel forma occulta ſolùm herbas tantoperè prædicatas, nobisque hîc familiares, ut efficaciſſimas, puta ſiſymbrium, cochleariam, & becabungam, iſtum profligare morbum, cuiuſmodi ſunt, præter enumerata paulo antè, draco, Scordium, ſemper vivum minus, herbæ omnes ſpleneticæ, radices aperitivæ, ſemina calida, baccæ lauri, juniperi, atque id genus ſubſtantiæ reliquæ.

Plantæ ad Scorbutũ utiles omnes ſunt acres.

Hypo-

Externa medicamenta. Ad lienem Hypochondria illinantur, ſiniſtrum hac vel ſimili mixtione.

Ad epar. R. *Olei de capparibus* Unc. ß.
Vnguenti de bryonia
contra ſplenem an. unc. ß.

Miſce Dextrum oleo abſinthite, quibus ſi poſtulet neceſſitas, primarum noſtrarum herbarum ſuccus incoquatur.

Ad gingivas. Gingivæ laxæ & putridæ interim colluantur cum decocto foliorum & corticum oxyacanthæ vulgaris, cochleariæ, ſiſymbrii, cardamines, naſturtii hyemalis, & roſarum rubearum immaturarum, in aqua ferrata præparato, in cuius colatura expreſſa aluminis pauxillum fuerit diſſolutum. Saporis & abſterſionis ratione, admiſceatur mel crudum, vel roſaceum: ſive ut conſerventur confirmenturque magis gingivæ, imò & fervor reſtinguatur diamoron. Valent huc quoque oleaſtri folia cum ſtillatitio plantaginis ſucco expreſſa: item pruni ſilveſtris cortices.

Collutio quoque alia hoc conficietur modo.

R. *Aquæ* lib. j.
Salis
aluminis an. Drachm. ij.
bulliant ſimul.

Item R. *malicorii*
ſumach.
baluſtior. an. Unc. ß.
Paßularum unc. j.

Cum aquæ fluviatilis lib. iv. *ad medietatis abſumtionem coquantur, traiectoque per colum liquori admiſce mellis roſacei* unc. ij. *aluminis* Drachm. ij.

Confricantur & gingivæ ſanguinolentæ, & flaccidæ, ſale uſto, cui pulvis balauſtiorum fuerit mixtus: vel cineribus ſarmentorum, cum teſtis oſtreorum, aut mytulorum uſtis: Interim illa ſanguinis ſanies quoq; exugitur, expuiturque. Inde etiam os colluitur decocto radicum biſtortæ, quæ virtute Britannicæ ſimili pollet: hinc & ſuccus exprimitur, ut etiam ex dicto noſtro naſturtio, & cum diamori parte dupla miſcetur, quo gingivæ illinuntur.

Vel R. *Succi biſtortæ*
mellis roſat. an. unc. iij.

Ad ſucci conſumptionem coquantur: inde aluminis uſti Drach. j. *admiſce* hoc linimento utere: quemadmodum & hac confectione.

R. *Biſtortæ* unc. ß.
Salis Scrup. j.

Cum diamoro ad conditi conſiſtentiam miſceatur: Sic & alumine & pyrethro cum melle crudo mixtis, quibus ex ſalivæ, & olibani pulviſculo parum indi poteſt. Cuius ſupra memini, muliercula collutionem parabat ex hyſſopo, ambroſiana, betonica, & radicibus enulæ aquæ incoctis, in colaturæ expreſſæ lib. ij. diſſolvebat aluminis unc. ß. & ſimul cum melle ſinebat efferveſcere, deſpumabatque Phriſii aliam conficiunt ex aceti cereviſiarii lib. ij. boli armeni unc. ß. aluminis Drachm. ij. mellis unc. iij. ſimul bulliunt. Saxones plerique ſabinam adiungunt.

Si gingivarum putredinoſus tumor nimis luxuriet, forficula nonnihil auferatur, & unguento ægyptiaco, vel alumine uſto cum roſaceo melle mixto conſumatur, aut etiam vitrioli oleo coerceatur. Eſt & hæc aqua in earum putredine eximia, quomodo etiam in malignis ulceribus, ſi ſpongiola eo liquore imbuta confricentur gingivæ.

R. *Arſenici ſublimi.* Drachm. ij.
aluminis uſti Drachm. ij. ß.
In pulverem contuſa ſimul bulliant in aqua plantaginis lib. j. *ad horam in vaſe duplici.*

Ad maculas. Lituræ in cruribus foventur decocto baccarum juniperi leviter contuſarum, ſiſymbrii cardamines, utriuſque naſturtii hyemalis cochleariæ; quibus ſi voles addes flores camomillæ, arthemiſiam, meliſſam, abſinthium, roſmarinum, majoranam, thymum, hyſſopum, & ſimiles herbas, quæ aquæ incoquantur. Si & ſpongias ex eo calido expreſſeris, inferioribusque tibiarum partibus utrinque applicueris, maculas ſub cute obſcuras, & adhuc deliteſcentes manifeſtè elicies, ut effloreſcant, & Scorbuti ſigna luceant. Linimento hoc inungentur quoque.

R. *Butyri maialis* Unc. ij. ß.
baccar. juniperi contuſ. Drachm. vj.
Vini puri Unc. ij. *coque in fictili ad vini conſumptionem, expreßione* vehementi colato, ungantur, crura manè & veſperi, vel fiat illinitio, butyroſitate collecta ex lacte, in quo decocta fuerint ſiſymbrium, cardamine, naſturtium hyemale, beccabunga, abſinthium, & baccæ juniperi contuſæ. Applicantur & panum ea pinguedine imbuti.

Habenda etiam ratio caloris, ut inſigniter calefacientes plantæ tum minuantur, becabunga augeatur, & in lacte ebutyrato apparetur decoctio. Coagulum lactis ebutyrati per ſe quoque apponitur, vel lac ebutyratum recenter concretum.

Ad tumores duros. In tumoribus durioribus admovetur cataplaſma ex lacte, cui conſolida major fuerit incocta, abſinthium, ſive etiam chelidonium majus, & minus, radices bryoniæ, medulla panis, farina fabarum, vel hordeacea quoque, vel lupinorum pro affectæ partis conſtitutione, aut calore.

Ad membra vigiola. Nervi, ligamenta, tendonesque, ſi hujus materiæ gravis copiam imbiberint, rigidioraque & ad motum inepta fuerint reddita, poſt fotum vel etiam abſque eo inungantur adipe anſerino vel anatino, vel taxi pinguedine aut ſimili.

Ad ulcera tibiarum. Si tibiæ exulcerentur, pro hulceris conditione mutanda, quæ adhiberi debent. Pro abſterſione autem, & mundificatione paretur linimentum ex cochleariæ, apii, & abſinthii ſucco, ac mellis quantitate debita coctis ad conſiſtentiam: cui ſi putredinis magnitudo poſtulaverit, ſive pulveris ariſtolochiæ rotundæ, vel aluminis uſti, vel præcipitati momentum

mentum admiſceatur. Conferet quoq; emplaſtrum diacalcites, ſive diapalma, quod nonnihil etiam cum oleo roſaceo diſſolvi poteſt: item ad cicatricem citius inducendam emplaſtrum de minio, vel unguentum de tutia, vel confine, poſtea applicetur.

Appendix.

QUum inter morbi huius cauſſas non minima exiſtat aquæ vitium, quæ hinc corpori humano arceſſantur incommoda, ad pleniorem noſtri inſtituti explicationem, hîc ex Hippocrate, ſubiungere volui, *lib. de Aere, aquis & locis*, ubi ita ſcribit: *Hyeme verò glaciatas frigidas, ac turbatas præ nive, & glacie ut pituitoſiſſimæ, & mucoſiſſimæ exiſtant. Bibentibus autem ſplenes ſunt magni, ac pleni, & ventres duri, tenues & calidi, humeri verò, ac clavicula & facies attenuata. In ſplenem enim carnes colliquantur, quapropter graciles exiſtunt. Edaces autem eſſe tales, ac ſiticuloſos par eſt: ventresq; tum ſupernos, tum infernos calidiſſimos habere, ut etiam medicamentis fortioribus opus habeant, atq; hic morbus ipſis & æſtate, hyeme familiaris eſt. Ad hæc etiam hydropes plurimæ, ac lethaliſſimæ fiunt. Aeſtate enim dyſenteriæ multæ, ac alvi profluvia incidunt, & febres quartanæ diuturnæ. Hi autem morbi prolongati tales naturas ad hydropas deducunt, ac occidunt. Et hi quidem morbi æſtate ipſis fluunt. Hyeme verò junioribus quidem peripneumoniæ, & inſaniæ morbi: Senioribus verò ardentes febres, propter ventris duriciem: Mulieribus autem tumores oboriuntur, & pituita alba, & vix in ventre concipiunt, ac difficulter pariunt: & fœtus magni ac tumidi, deinde ex alimentis tabeſcentes, ac depravati fiunt. Expurgatio commoda poſt partum mulieribus non contingit: Pueris verò herniæ accidunt, & viris varices, & ulcera in tibiis. Quare fieri non poteſt, ut tales naturæ ſint longævæ, ſed ante temporis adventum ſeneſcunt. Præterea fœminæ ſe in utero habere putant, & ubi partus tempus adeſt, ventris moles illa ac plenitudo evaneſcit: hoc autem contingit ex aqua, quum utero ex aqua concepta laborant. Atque has quidem aquas ad omnem rem improbas eſſe ſentio*: Intelligit autem de paluſtribus, ſtabilibus, ac lacuſtribus, nam earum & paulo ante meminerat.

Adhæc quòd in lacte plantas coquant, expreſſumque liquorem felici ſucceſſu hauriant ægroti, id ſeri magis ratione quam totius lactis evenire ſentio, dum in colatura butyroſitas, vel lactis coagulum in cribro ſetaceo, vel panno lineo, per quem transmittitur liquor, adhæreſcit, permanetque, & ſi quippiam ſimul tranſfluit, reliqui ſucci acrimoniam contemperat, ob qualitatem ſuam calidam & pinguem. Serum autem, ſanguinis ſero, id eſt, lotio facultatibus reſpondens, & propterea acre calidum tenuiumque partium, *Seri lact. vires & uſus.*

 abſtergit,

abſtergit, aperit. Vrinas [illegible]vet, atque vel huius luis profligationem cum primis utile ex priſcorum etiam teſtimonio, ſiquidem Aetius Amidenus ex Galeno *libro 2. Cap. 94. ſic* ſcribit: *Efficaciori ſero utitur aliquis ad corpora & morbos, qua validioribus præſidiis indiguerint, præſertim ad diuturna exanthemata, liventesque varos, ad omnesque humorum depravationes in cutim tendentes, ut lepram, & conſimilia, ad antiqua ferinaq; ulcera, ad capitis achores, & huiuſmodi: item ad oculos aſſiduò fluentes, ad palpebrarum ſcabiem, ad faciei maculas, imò & ad diuturnas periodos febrium, & ad hos, qui ab adverſa valetudine in hydropem pergunt.* Prætulit Meſues ſerum ex nigrarum caprarum lacte elicitum, deinde ex ovillo ſic inquiens: *Aqua lactis macerationis materia eſt, & per ſe quidem innocuum medicamentum; præfertur, qua fit ex lacte nigrarum caprarum in laudatis paſcuis victitantium, recenterq; fœtarum. Excalfacit hac, atque ſiccat ordine primo completo, & uſque ad ſecundum. Quinetiam attenuat, abluit, abſtergit, & nitroſa, qua referta eſt facultate, alvum abſque aliqua mordacitate leniter ſubducit, bilem tum flavam, tum atram ab exuſtis humoribus genitam deijcit, quo fit ut mirificè conferat maniacis, & melancholicis. Præſtat idem ad viſcerum infarctus, & morbis inde provenientibus opitulatur, nimirum aqua intercute laborantibus, felle ſuffuſis, & lienoſis. Datur utiliter febrientibus ex bile, & viſcerum ac vaſorum obſtructionibus. Competit etiamnum vitiis in cute à bile & peruſtis humoribus emergentibus. Quare lichenibus, vitiliginibus, alphis, pſoris, lepris q; admodum convenit.*

Ne præterea remoram iniiciat plantarum noſtrarum non ita vulgarium ignoratio, paucis meam explicabo ſententiam, potiſſimùm quum hic mirè hominum noſtrorum iudicia varient. Præcipua autem celebriorque cochlearia eſt, quæ ternas perſpicuè oſtendit formas, pro ætatis diverſitate. Primò enim ortu foliola edit ophiogloſſo, vel linguæ ſerpentinæ ſimilima, quæ confertim ab ipſa radice cum pediculis emergunt: deinde poſt adoleſcentiam carnoſiora evadunt, aſaroque & magnitudine ferè, & figura reſpondent, niſi quòd circuitus notetur obtuſioribus angulis, ut plurimùm ſeptenis, vel novenis, potiſſimùm etiam hyberno tempore, foliorũ item minor portio plana, frequenter verò conſpiciatur, incurva ad cochlearis analogiam, ex qua & etymi ratio tam apud Germanos, quàm latinos profluxit, ut cotyledon meritò dici poſſit. Tandem altero ætatis anno folia illa hæderacea, vel aſaro conformia ſtriantur, gracileſcuntque paulatim eò magis, quò altius à radice ad umbellam conſcendunt, angulis interim quoque ſe manifeſtius prodentibus, idque menſibus Martio, Aprili, & Maio, quibus flores luxuriant albi, in quorum locum deinceps menſe

Cochlearia deſcriptio.

menſe Junio ſuccedit ſemen uberrimum, quod maturum in exiguis capſulis apparet, obſcurè ſubrubrum, exiguum & planum. Radix huic eſt tenuis, albicans, recta, non longa. Guſtu herba deprehenditur calida in ſecundo gradu completo, aut potius tertio, ſiſymbrique cardamines acrimoniam attingit. Apud nos planta eſt domeſtica, apud Hollandos, Phryſios, & confines ditiores maritimos ſylveſtris. Et quia à nullo planta hæc depingitur authore, præterquam eruditiſſimo Dodonæo, qui tamen in eius delineatione multùm deliquit, volui ego primus poſteritati exhibere genuinam effigiem.


Cochlea-

Cochleariæ integræ forma.



Adole-

Adoleſcentia & hyberna cochlearia folia.



Cochlearia non eſſe Telephium. Contendunt plerique hanc eſſe Telephium, quòd portulacæ ſimilia folia habere judicetur, id quod à me negatur, licet quoque ad eius ſimilitudinem folia habeat: nequit tamen unica hæc conditio nobis inde creare Telephium: alioqui cepæa, crithmum, tribulus terreſtris, tithymallus, thelioſcopius etiam forent Telephium, quum folia ſortiantur portulacæ, hoc eſt, craſſa, lenta, carnoſa: At plures ſunt notæ repugnantes. *Telephi deſcriptio.* Primum enim Telephium habet folia cærulea, id eſt obſcurè nigricantia, ut plumbago Plinii, branca urſina: at cochlearia ſaturati eſt viroris. Secundò illius folia ſunt plana, æqualia: huius ut plurimùm ad cochlearis formam incurva cum exiguis angulis. Tertio cauliculi Telephii altius aſſurgunt, ſuntque referti foliis plurimis: cochleariæ pediculi à radice aſſurgunt plurimi cum foliis ſingulis in unoquoque pediculo. Quartò nec caulem hæc habet portulacæ ſimilem, hoc eſt pinguem & rotundum, ſed pediculos ſolummodò introrſum anguloſos, extrorſum rotundos. Quintò illius flos quandoque eſt albus, nonnunquam luteus; huius ſemper albus. Sextò loci ratione diverſitas contingit: Telephium enim in cultis, & maximè inter vites naſcitur, cochlearia verò in Phryſiæ, & Hollandiæ pratis & aggeribus mari vicinis, non vinetis. Septimò facultatis gradu differentia liquet, quandoquidem illud exiccandi & detergendi virtute præditum eſſe dicit Galenus, quemadmodum & Dioſcorides, quũ vitiligines curare ſcribat, ſed non eſſe calidum inſigniter niſi in primo gradu. At cochlearia eundem occupat gradum quem ſiſymbrium cardamine: acrimoniam enim inſignem præbet guſtui. Telephium itaque cochleariam diſcrepare aſſerendum.

Cochleariam & Britannicam diverſas eſſe plantas. Jam verò, neque eſſe cochleariam eandem cum Plinii Britannicæ plantam, ut non nullis placet, hinc præter cætera demonſtratur, quòd non ſit altera à Dioſcoridis Britannica, quæ ſylveſtris lapathi ſortitur folia, ſed nigriora piloſiora & guſtu aſtringentia: Cochlearia autem rotunda, viridiora aſaro ſimilia, lævia minimè hirſuta, ut nec ullo modo aſtringentia: urinam etenim promovet: Proinde etiam anginæ nullatenus conducit, velut illa ut Plinius vult. Britanica item habet caulem: cochlearia vero multos pediculos cum ſingulis foliis ab una radice, quæ etiam hîc ad ſpithami longitudinem tendit; illius, brevis eſt.

Siſymbrium cardamine, ſive naſturtium aquaticum minus, naſturtium aq. majus, & naſturtium hortenſe hyemale.

Siſymbriũ cardamine naſturtiũ aquaticũ minus. Siſymbrium, quibuſdam Cardamina dictum, naſturtium eſt aquaticum minus, exiguis primo exorta foliis rotundis, quæ adoleſcendo paulatim gracileſcunt, prolõganturque ramulis numeroſis, in cacumine tantùm

tantùm comantibus in quibus floſculi tandem emergunt candicantes circa veris initium. Id non modo in aquoſis, & riguis locis provenit, ſed in hortis quoque & circa itinera ſapore admodum acri. Alterum naſturtium aquaticum maius dictum folia habet multo maiora, primo rotunda, quum vero adoleverint, erucæ modo diſſecta, ſativo naſturtio ſapore proxima. In locis riguis, & potiſſimùm circa fontium rivos diſcurrentes naſcitur. Italis nuncupatur Siſembro aquatico, & Creſſione, Gallis Creſſon, Hiſpanis Berros, & Agriors; Germanis, Brunnkreſſen/ & Waſſerkreſſen/ utriusque jcones à Matthiolo exquiſitè proponuntur.

Naſturtiũ aquaticũ maius.

Creſſon.

Naſturtiũ hybernum.

Eſt & naſturtium dictum hybernum, majori aquatico primùm ſimile, quo autem huius folia ætatem conſequuntur maturiorem, eo frequentius profundiusq; laciniantur, maximè caulem verſus irionis modo, antrorſum vero cum quinq; angulis in circumferentia variant. Caulis autem altius rectà excreſcit angulosus, ſtriatus, racemoſus, & flexilis, floribus in cacumine luteis, qui in Majo, & Junii initio florent, quibus pereuntibus, emergunt ſiliquæ oblonga rotundæ, & erectæ exiguum continentes ſemen: in hyeme naſturtii aquatici maioris effigiem refert, in acetariis familiare. Dodonæus *ψευδοβύνιον* Dioſcoridis eſſe arbitrantur, nuncupatque Barbaream, vel herbam S. Barbaræ: Gallis herbe de S. Barbe dicitur: noſtratibus Winterkreſſe. Tres hæ nominatæ naſturtii ſpecies in Scorbuti curatione ſunt utiliſſimæ.

IOANNIS LANGII
de Scorbuto Epiſtolæ duæ.

EPISTOLA: I.

De novis morbis.

QUod in meis, præter amicorum conſuetudinem, literis nihil novi ſignificaverim, nō tantùm admirari, ſed ægrè ferre quoque videris. Nempe quum in epiſtola de portentoſo partu aſſeruerim, Germaniam crebrius ipſa Africa, aliquid morborum vel monſtri novi parturire. Nam ut Diogenianus octavi apud Plutarchum Sympoſii conviva ait, οἱ δὲ καὶ τὰ νοσήματα τὴν φύσιν, ὥσπερ τέρατα γεννᾶν ἀξιοῦσι, id eſt, aliqui naturā parere morbos novos, æque ac monſtra cenſent. Si id ſcire tibi cordi, & non horrori fore ſciviſſem, nō modo quid noſtra ætate, ſed etiam, quid olim in genere morborū novi præteritis ſeculis, accidiſſet, libens ſignificaſſē; nam ut tu es φιλόκαινος, novitatis amator, ita ego ſum παλαιόφιλος, antiquitatis amator. His porro morborum monſtris, non ſolùm ob ſiderum, & cœli ex octava domo ſchemata, aeris, aquarum mutationem, ſed ob ganeam, mutati victus rationem Germania noſtra eſt valde fœcunda: quæ quum, ut alia quævis monſtra, præter naturæ conſilium accidant: ita quoq; ſenſim exoleſcunt, vel in aliam morbi ſpeciem degenerant, ut febris illa ex Britannia ſudorifera, & venerea illa ex Neapoli contagionis lues, quæ quū ſit multorū morborum farrago, facilè in alias cummutari ęgritudines potuit: ut rectè quis cum Poeta exclamarit:

Morborum monſtra nova.

Cauſſa novorū morborum:

Species morbi gallici mutata.

Heu quantū noſter mutatꝰ ab illo?

An non quoq; morborū portenta dū Traianus Cæſar orbi imperaret, contigerunt? dum quidā diuturna laborans δυσουρίᾳ tandē emixerit geniculatū ordei calamū. Ac dum Plutarchus viveret, adoleſcens ephebꝰ magna cum ſpermatis libertate excrevit animalculū hirſutum & multiples. At illud longè mirabilius, quū quædam in Principis cuiuſdā Germani gynæcio juvencula, ad ſpeculū ſeſe adornaret, detentis in ore acubꝰ, quibus peplum affigeret ab amaſio à tergo clāculū adeunte intra ſcapulas perculſa, ingemiſcens acus deglutivit, quas poſt biduum illæſis ureteris eminxit. Atqui quū hæc rarenter, & admodū paucis accidant, præter morbi rationē miraculis, quàm morbis, ſunt ſimiliora, quorum tres ſunt primariæ claſſes. Epidemii, qui ex aeris, & aquę infectione, aut privata virulentę luis cōtagione, aut Dei ob noſtra delicta ultione

Hæc morborum portenta Plutar. Symp. 8. cap 9.

Tres morbo Claſſes. Gal. 1. Epid. 1. Et lib. 2. de nat. hum. & lib. de ratio, vict. acut.

Morbi epidemii & endemii. ultione, ac vindicta vulgo graſſantur. Alii ſunt endemii vini populo familiares, ob vitiatas mineris aquas, ut Corinthiis, & quibuſdã Alpiũ accolis, ſteatomata, ſtrumæ, bronchocelis: aut ob crudi, & falſi victus rationem, ut Danis Stomacacia: vel uni nationi ſunt vernaculi, & quaſi natalitii. Ter-*Morbi ſporades,* tiæ claſſis morbi dicuntur ſporades, qui ex prava vict⁹ ratione diſpari ſpecie, paſſim graſſantur. Nihil ſanè æquè parit morbos, & veteres innovat, ac prava cibi, & potus victus ratio; ἐκ τ' ὑτων γὰρ (inquit Diogenianus) νοσοῦμεν, οἷς καὶ ζῶμεν, ex his enim *Plutarc. Symp.* ægrotamus, quibus & vivim⁹. Ad ſa-*Hip. lib. 1. de nat. humana.* nitatis quippe conſervationẽ & morbi effugium, plurimùm referre, quo quisque cibo aut potu utatur, Julius *Maſſilien. peſtis.* Cæſar de bellis civilibus teſtatur, in quibus aſſerit, Maſſilienſes gravi peſte cõflictatos, quod in obſidione ob annonæ inopiã, veterem panicũ, ordeumque exoletũ edere fame coacti *Diodr. quoque eadem Lib. 1. & 4.* fuiſſent. Herodotus in Euterpe ſcribit Aegyptios ac Chaldæos, quovis menſe triduo ſe vomitu purgare, atq; inteſtina clyſteriis eluere ſolitos, ſanitatis conſervandæ ergo; arbitrati inquit, omnes corporis languores, ex cibis & aeris mutatione oriri. Quod & ille Medicorũ coryphæus Hippocrates libro de natura humana altero his verbis nobis teſtatum reliquit, At præſtat Galeni ejuſdem fidi interpretis verba Græca, quæ plus ener-*Verba Hippo & Gale. de natu huma.* giæ habent, adſcribere. Εἴπερ οἱ ἐν αἴνῳ, ἐν λιμῷ, ὀσπριοφαγόντες, σκελέων ἀκραγέες ἐγένοντο, αὐτοὺς καὶ οἱ ὀροβοφαγέονοντες, γουναλγέες. ἴσμεν δὲ, ὅτι καὶ πυροὺς ἡμισαπεῖς διὰ λιμὸν ἀναγκασθέντες ἐσθίειν τινὲς, κοινὸν ἀπὸ τῆς κοινῆς αἰτίας ἐνόσησαν νόσημα, καὶ πᾶν στρατόπεδον ὅλον ὕδατι μοχθηρῷ χρησάμενον, ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς στρατιώταις τὴν βλάβην ἔχε. Id eſt non rectè Hippocrates omniũ communium morborũ cauſſam, in ſolum aerem refert, ſiquidem qui in Eno urgente fame, veſcebãtur leguminibus, cruribus vacillabant; qui vero erva edebant, hos genuũ dolor infeſtabat. Nec vero nos id latet, quum quidam cogente fame, triticũ ſemiputre mãducaſſent, in cõmunem, cõmunem ob cauſſam, incidiſſe morbũ. Aliqando etiam quũ totus exercitus vitiata teretur aqua, ſimiliter eodẽ morbo omnes afflictos fuiſſe milites. Hæc *Plin. Lib. 25. Cap. 3.* Galenus. Quod & Plinii hiſtoria perbellè cõfirmat, qui ſcribit in Germanici Cæſaris exercitu citra Rhenum, ex vitioſi & medicati fontis aquæ potu, vi malefica cõſpurcatæ, duos novos exiliiſſe morbos, quorũ alter erat putridũ oris maleolentis vitiũ, quod ſομακάκην appellabant; quo intra bi-*Stomacace* ennium omnes dentes decidebant, cõmune quoq; Gallicæ luis ſymptoma: Alterum quod nervos crurum adeo oblædebat, ut compages in genibus diſſolverentur, & crura vellicaret, quod ob id σκελετύρβην à cru-*Scelotyrbe.* ribus appellarunt. Strabo vero non in Germania, nec ex vitio aquæ tantùm, ſed in Arabia quoq;, ex fructuum ac pomorum eius regionis eſu, in Gallorum exercitu utrunque malum ſeviiſſe tradit. Quæ ſua ſem[...]inaria in

 Daniam,

Olaus de regio. Sept. L.9.cap.38 & lib.16. cap 51.

Daniam, & Norvegiam uſq; propagaſſe videtur, ubi (ut Olaus Magnus Gothorum Archiepiſcopus, harum rerũ teſtis oculatus ſcribit) ex cibis, piſcibus, carne, & ſuffitu maceratis, eſculentis frigidis, & crudis, ac pane non probè piſto, morbus ille horrendus caſtrenſis & à vulgo dict⁹ Scherbock, incrudeſcit, quo fauces, & gingivæ putreſcunt, ventriculus duris cruciatibus torquetur, dentes ſtupent, & vacillant, membra carnoſa tumore inflantur, & caro ſub cute livida, ac ut cera mollis tabeſcit, ac digitorũ impreſſioni velut œdema cedit: obſeſſi vero in Dania, ne defectu carniũ recentium hoc corripiantur morbo pecora ſecum abducta vel hoſtibus adempta, in herboſis domorum tectis paſcunt. Hic morbus frigida murorũ exhalatione exacerbatur, intra tabulata vero miteſcit: aſſiduo autem potu vini abſinthitis, aut veteris cum butyro cereviſiæ, in qua abſinthium quoq; maceratum ſit, potu, is crudelis morbus profligatur: quem ut novũ Coloniæ incrudeſcere morbũ, quum non diſſimili Danorum victus ratione utantur, Doctor Joannes Echtius, vir eruditione, vitæque integritate ſpectat⁹ mihi recenſuit. Senſit quidem, inquit Plinius, & facies hominum novos, o[...]aniq; ævo priore incognitos; non Itali[...]æ modò, verùm univerſæ ptopè Europ[...]æ, morbos. Graviſſimũ ex his morbi g[...]enus, quod primum Tyberii Claudii p[...]rincipatu irrepſit in Italiã, Lichenas G[...]ræco nomine: Latino

Scherbock Daniæ & Norvegiæ morbus.

Pl. L. 26. cap.1. Plutar. Sym.3. Cap. 9.

De novis morbis hac Pli. L.26. Cap.1, Pet.

quidem, quoniam joculari quadam laſcivia à mẽto pullularet, mox uſurpato inde vocabulo Mentagram appellaverunt: Græcorum elephantiaſin, quam Arabam eſſe lepram aſſerimus, ante Pompei magni ætatem Italia non vidit, & quam ex canis rabie ὑδροφόβαν juxta Aſclepiadis primùm tempora, Græcorum medicis agnitam, Athenodorus Philoſophus in primo epidemiorum teſtatur. Et hic quidem morbus in Italia celeriter reſtinctus eſt, ſicut & ille, quem Gemurſam appelarunt priſci, inter digitos pedum naſcentem, etiam nomine jam obliterato. Id ipſum certè, inquit Plinius, mirabile, alios deſinere morbos, alios durare ſicut colum, quod Tiberii Cæſaris principatu irrepſit, malum. At Plutarcho mirabile non videtur, dum ob novam victus rationem, novos incrudeſcere morbos, & rurſus ob alteratam corporis complexionem eos exoleſcere quoq; pateat, inquit enim, διὸ μὴ θαυμάζωμεν ἂν γένηταί τι τῶν ὂν πρότερον ὄντων, ὕστερον ἐκλέλοιπεν. αἰτία γὰρ ἡ τῶν σωμάτων φύσις, ἄλλην ἄλλοτε λαμβάνουσα κρᾶσιν. Id eſt, nihil admirabimur, ſi quid morborũ acciderit, quod prius non erat, ac rurſum defecerit, cauſſa enim eſt corporum natura, aliam, atque aliam ſuſpiciens temperaturam. Quid igitur ad has novitatis morborum cauſſas reſpondebis? An vis ut Aftrica plus novitatis afferat? aut Deorum iras cenſebis? Parũ ne erat, quum homo trecentis morborũ generibus infeſtaretur, niſi etiam nova adderen-

Crin. L.10 cap 10. Plut. ut ſupra.

Lichen mentagra.

Aquæ timor in canis rabie.

De Gemurſa hac Plin. lib.26. ca.1

Ex oc. Plutar. Sympo.

De morborum numero Plin. quæ lib.7. cap.51. & lib.25. c.2

adderentur? à quibus te & humanum genus univerſum Chriſtus, qui pro nobis languores noſtros ſubſtinuit, aſſerere velit.

EPISTOLA II.

De veterum Stomacacia, & Sceletyrbe, & morbi Gallici tuberibus.

ACcepiſti ne modò obſecro Theodorice exoletos veterum morbos? quorũ vel nomina ſunt obliterata, ſeminaria tamen in corporibus elementariis rediviva delituerunt: ob mutatam victus rationem, loci, aquarum, aerisq; naturam, cœleſtium ſiderum ortus, occaſusque radiis alteratam; ut novos nonnunquam renaſci morbos. Ob id accidit, ut Plinius, Strabo, Olausq; Gotthorum Archiepiſcopus, Stomacaciam, Sceletyrben, novos in Dania & Cæſaris Germanici exercitu caſtrenſes eſſe, & dici morbos arbitrati ſint, quũ iidem ante Hippocratis quoq; tempora mortale hominum genus diris calamitatibus affixerint. Id ambiguitatis ut in herbarum cenſura, nominum varietas, & mutatio effecit. Stomacaciam quippe Danorum, & Cæſaris Germanici militum morbũ, Hippocrates libro de internis affectibus, ſub nomine volvuli hæmatites, non deſcribere, ſed tanquam penicillo his verbis depingere videtur: In hoc, inquit, morbo accidunt, ut ex ore malè oleant, à dentibus gingivæ diſcedunt, & à naribus ſanguis profluit, aliquando ex cruribus ulcera pullulant, & alia ſaneſcunt, alia emergunt, & cutis extenuata nigreſcit. Eſt & alter ærumnoſus nervorum morbus, ac roboris eorum decoctor, ante Cæſaris Germanici expeditionẽ quoque non ignotus, quem à ſolutis in genibus nervorum compagibus Sceletyrben appellarunt. Hic ex lentore; & defluxu phlegmatis per ſpinæ medullã, obſtructis ac relaxatis nervis, qui à poſtremis lumborum vertebris, & oſſe ſacro, ubi multifariam divaricantur; ac in colli veſicæ, & ſphincteris muſculum & crura propagantur, cæteris ſupremis à lumborum vertebris per totam corporis molem nervis illæſis. Quo fit, ut ſuprema corporis pars in vigore ſubſiſtat, & inferna ab umbilico ad talos uſque relaxetur, & ægrotus cruribus tremat, & vacillet, ac titubet. Nervi quoq; groſſo de phlegmate flatu diſtenti, quum in lecto vel quovis motu incaluerint, & crurum, ac veſicæ muſculi ſaltu jectigationis adeò cõvelluntur, ut lotium præter voluntatis arbitrium emingant. Quid multis? Corpus niſi baculis ſuffultũ fuerit, progreſſuri labaſcunt, & corruunt. Quemadmodum Hippocrates lib. prænotionum altero hiſce verbis deſcribit: Medulla, inquit, ſpinæ affecta, homo nec crurum, nec veſicæ, aut ventris officio potens eſt, niſi urgente neceſſitate, ſi verò morbus invaluerit, tum aliquando præter voluntatem mejit, & egerit. Hunc verò morbum author libri definitionum perelegãter ita definivit. Σκελοτύρβη

Volvulus hæmatites ſtomacacia noſtra. de quo Hipp. lib. de morb inter.

Ab oſſe ſacro uſque ad talos crurum paralyſis.

De Sceletyrbe Plin. lib. 25. c. 3.

Hippoc. lib. prædict. 2.

Galeni in lib. defin. iti onũ ſceletyrbes deſcriptio.

ἐςὶν

ἐστὶν εἶδος παραλύσεως ὥστε περιπατεῖν ἐπ᾽ εὐθείας μὴ δύνασθαι, καὶ ποτὲ μὲν κατὰ δ᾽ἰθὴ, ποτὲ δὲ εὐώνυμον εἰς τὰ δεξιὰ περιφέρειν, ἢ τὸ δεξίον εἰς τὰ ἀριστερὰ, καὶ ποτὲ μὲν ἐπισύρειν τὸ σκέλος, ὥσπερ οἱ ἀναβαίνοντες τι μέγα. Id eſt, Sceletyrbe eſt ſpecies paralyſis, qua correpti recto calle progredi nō poſſunt, ſed modò à dextris in ſiniſtrum vacillant, ac ſiniſtrum pedem in dextrum circumferunt, ac coguntur dextrum in ſiniſtrum; & in progreſſu attollere crus, tanquam hi, qui magna & ardua conſcendere volunt. Plærique mederi cum theriaca, ac balneis laconicis, & unguentis calorificis de caſtorio, coſto, ac euphorbio volunt. Sed fruſtra omnis conatus, quum thermis ſulphureis fruſtra inſudarunt: quibus tamen eſum odoremq; columbarum ſylveſtrium eſſe ſalutarem. Zoar Soldano ſcripſit, & dixit: Comedere columbas ſylveſtres eſt præſentanea antidotos relaxationi omnium membrorum, & illis, qui reponunt poſt ſe crura & pedes, & ſalutares privationi ſenſus, & motus. Verſari etiam in periſterotrophio, id eſt, columbario, eſt iis paraliticis valde ſalutare. Morbū quoque Gallicum, quamvis ſit veterum morborum farrago, & colluvies, novum tamen eſſe plærique contendunt, quum ſæva illius Symptomata, multis ſeculis, antequā incrudeſcerent, nobis viſa ſint: varia ſcilicet exanthematum genera, lychen, ſerpigo, herpes, gargareonis & tonſillarum ulcera, ſephiros, cancer ſteatomata, & tubera, ac ex intima oſſium medulla concretus ſub illorum panniculis tumor: & in cruribus ſcyrrhi & πόροι, qui noctu plus quā interdiu ſæviunt, quos ochram θρύπτειν, id eſt, diſſipare, dixit Dioſcorides. Nec tam dirus in arthritide ex viſcidi humoris lentore graſſatur dolor, qualis circa oſſa in hoc Gallico morbo ſævire ſolet, quem Græcè ὀστοκόπον ob id dicunt. Qualem quoque dolorem, & olim Archigenes, & Galenus, oſſibus cranei impactum, cantharidum cauteriis, & helleboriſmo purgarunt, Προμεμελετηκῆαν, inquit Aetius, ἤδη γὰρ διαθεῖν καὶ ἐν αὐτοῖς ὡς εἰπεῖν, τοῖς ὀστέοις πεπυγῆαν. Hoc teſtatum fiet, Oſtocopum, oſſiū dolorem, antequam Gallica ex venere lues innoteſceret, in humana deſeviiſſe corpora. Unde & in capite, ſub pericranio tubera, oſſibus cranei impacta crebrò innaſci vidimus, quæ ex morbo Gallico cephalalgiæ, agnata meritò dicere poteris. Proinde nihil opus eſſe arbitror, ut meis literis ſemper aliquid novi ſignificem, quū exoleti veterum morbi quotanis denuò incrudeſcant, & renoventur, & ut Comicus ait, nil dictum modò, quòd non ſit dictum prius; ita nil in morbis modò accidit, quod non acciderit olim.

Eſus columbarū medetur paralyſi. Rabi Moſes in conſilio ad Soldanum.

Morbus Gallicus vetus morbus.

De dolore oſſium Aretæus Capadox. lib. 2. cap. 12.

Ca. de ochra terra.

Aetius lib. 6. cap. de hemicrania.

Vale.

SCHOR-

SCHORBUTI HISTORIA

Propoſita in publicum.

à

SALOMONE ALBERTO
Norinbergenſi, Medic. D. & in
Acad. Wittebergenſi Profeſs.
Primario.

ILLUSTRISSIMO
Illuſtriſſimique generis Principi
ERNESTO
Dei gratia.

Duci Brunſwicenſi & Lunæburgenſi Chriſtianiſſimo,

Domino ſuo Clementiſſimo.

M*Ore vivendi fit, ut morbi indies, immò vero in ſingula pene momenta evarient, faciemq; ſubindè novent ſuam. Ex iis namque, quibus alimur,* —— quiſque ſuos patimur manes, *ægreſcimus, ac ubi ſummo illi imperatori* DEO *viſum eſt, de præſidio & ſtatione vitæ decedimus atq; interimus. Obſervatum id ab iis quoque eſt, qui* ἔξω hoc eſt, extra eccleſiam populumq; Dei, *neq; de conditione generis noſtri, conſtituti* ἐν μεθορίῳ in confinio *cadentis pariter & ſempiternæ naturæ, neque de ruina, ejuſdem, quam mors velut autoramentum è veſtigio conſecuta eſt, quicquam unquam inaudivêre. Ipſi illi prævidentes acie mentis ſuæ in baccis arborum terræque frugibus & cunctis cæteris rebus ſublunaribus aliquid vietum, caducum atque extremum ineſſe ſtatuerunt, mortem hominum perinde* κατὰ φύσιν καὶ μάρανσίν τινα τοῦ πυρὸς φυσικοῦ, id eſt, ſecundum naturam, & marcorem obitumque quendam eſſe caloris nativi: *quorſum reſpicientes primi impoſitores nominum, homines* θνητοὺς mortales *appel-*

luvêre. Etenim ut ignis διακονικὸς miniſtrans nobis in foco *paſtu eget aliturque: Sic qui in viventium corporibus ſpirat calor, niſi benignitate primigenii fundati in ſubſtantia ſolidarum partium, tanquam nectare vivifico, nequit ſuſtineri. Neq; abeſſe omnino poteſt, quin continenti illo & fatali fluore noſtrorum corporum de prædicto humido aliquid atque adeò multum ſubinde claneulum deteratur, ipſa ſubſtantia partiumque ſingularum compago in habitu corporis idcirco una dilapidetur. Quæ quidem jactura, quoniam de commeatu alimenti quamlibet inculpati, etiam ab optimè morata œconomia corporis reſarciri, & quod defluxit modò, eadem reponi bonitate amplius nequit, hoc tandem uſu venit & veniat neceſſe eſt, ut calor inſitus cum conſociati atque alibi humore ſuo unà ſenſim marceſcat, donec ad extremum tandem conficiatur: non quod ſui ipſe appetat interitum intendatve, quando unumquodque eo in ſtatu, in quo eſt à primo rerum parente conditum, quàm diutiſſimè ſalvum & incolume conſervari ſatagit: ſed quia primigenium humidum aſſidua iſtiusmodi* ἀποῤῥία *quaſi* peculatu edacique depaſtione ἐμφύτυ *caloris, lapſu temporis ætatisq; decurſu furtim deminuitur: ut ſi vita mortalium penè inſtar ellichnii, tamdiu perdurantis, quamdiu oleum ei inſtillatur. Scilicet hæc eſt* ἀρχὴ ζωτικὴ vitale principium, *in humido primigenio, ſpiritu caloreq; perfuſo radicitus inhærens, cujus primum ſtamen ab utriuſque parentis ſemine velut deciſum, inq; arvum genitale matris traductum fatalem intrà ſe fovet ac continet tàm vitæ quàm interitus neceſſitatem; illam calore definit philoſophus; hunc eiuſdem exſtinctione: Illic* ἐκλάμπει vigetmicatque *calor, hic contra* ἐκλείπει deficit. *Neque verò* ἡ μοῖρα πεπρωμένη interitus fabricationis hnmanæ, *quam divina cuiq; præſtituit voluntas uſquam alibi, atque in fundamento naturæ poteſt quæri ac debet, cui nomen* φύσεως *ab Hippocrate ideo accommodatum ſit, quod* ἀεὶ φύεται, *ſeu quod idem eſt* διακρίνεται μεχρὶ θανάτυ *hoc eſt*, ad uſque ad mortem aliquid ſui abs ſe fundendo, digeritur atque exhauritur. *Cæterum hæc altius videantur alicui fortaſſis inchoata: fateor, at non tamen trans* τὰ φυσικὰ *neque ultrà limites humanæ perſpicientiæ, intra quos noſmet ſiſtimus. Qui verò mihi jam illi, & quot ſunt fomites naturæ, quibus vita, dũ in humanis & ſub hujus cõſociationis*

contuber-

contubernio degitur, in ſeros prorogatur annos, atque incolumis ſuſtine-
tur‹iimet ſcilicet ac totidem, quibus & quot natura ipſa coagmentata eſt.
Ex quibus namque ea conſtat, ex iiſdem nutriri par eſt. Hippocrates duo
in univerſum percenſet, aerem & diætam, unde ægrotandi ut plurimum
emergat occaſio, tamque fertilis multiformium morborum hiſtoria na-
ſcatur. Nā ut ab iis, quæ intus tot morbos ac interim diverſos proximè pa-
riunt, pauliſper nunc recedā, ceu ſunt in παμμιγεῖ *&* πανυγιελκῆ *politia cor-*
poris ſpirituū ξύμπνοια, *humorum* ξύρροια, *partium ſingularum mutua &*
amica inter ſe ξυμπάθεια: *illa quæ vitæ noſtræ fovendæ, fulciendæque fo-*
ris adveniunt, πολύμορφα *eſſe liquet. Eſt quidem una, qua veſcimur, aura*
atherea, idem aer inſpirabilis, contentis ſub orbe Lunari corporibus cir-
cumfuſus, aſt qui tamen & rapidiſſima cœli vertigine, & influxu ſyde-
rum aſpectuque diſſimili, tum quoque ſuſpiratibus terrarum ſubinde
evariet. Quantopere alteratur atque alienatur idem nunc ex tempeſta-
tum temporumque defectione, nunc locorum ſpurcorum aura impura, in-
quinata? Quàm diſpar eſt hodie diæta, & quantum ab avita illa primaq;
degeneravit? Repetatur memoria omnium ætatum mundi, vel ſtrictim
aſpiciatur illa velut per tranſennam. Erat mundi naſcentis, ortusque ad-
huc proximi ſuo lex & vivendi ratio ſanè quàm ſimpliciſſima, rudis pro-
pemodum & agreſtis, ſolis herbis, ſegetibus agri, arborumque fructibus
adſtricta, in qua tamen μακροβιότης *vigeres, innumeras* γεννέας, *plurima*
ſecula excedens. Quo fiebat ut etiam medicina eſſet herbarum unius &
alterius. In mundo altero vix dum conſeri cœpta vitis, vix vinea coli, &
lectus inde latex cultorem decepit ſuum, & crapula beavit planè inſolenti
morbo, obſide in poſterum ſecuturæ ἀσωτίας, *unde nihil non infirmitatis*
in genus noſtrum redundavit. Eſt ſub eamet tempeſtate etiam à cœna ne-
ceſſaria, h.e. tenui ac frugi, *quæ ſolùm naturæ expleret deſideria, itum*
ad alienas & prorſus monſtroſas, ac tum doctum veſci carnibus, ſed for-
taſſis ob mundi renaſcentis inopiam & difficultatem. Terra namque
eluviis vaſtata penitus atque inculta erat, neque facta ſemens exſpecta-
tioni tum fecit ſatis. Adhuc occultabat cœlum aer turbidus, penetratu
difficilis, caligineque confuſus. Nihil ergo mirum, carnibus animalium
homines uſos fuiſſe præter naturam: multo magis iſtud, quod prius adhus

 quam

quam mundus degeneratione peſſum iret, gigantes (quorum prima ætas fœta feraxque fuit) cupiditatibus inſolentibus atque iniuſtis capti, & inter copiam rerum omnium libidine elati ad voluptates à natura & ſocietate animantium prorſus alienas, provecti eo ſeſe contulere. Non ita multò poſt ætatem ſecula contracta ſunt, & ſua cujusque vita multo arctiore, quam prius, circumſcripta limite atque definita. Cuncta dixero paucis, ſi Sardanapali ganeam, voluptates Perſicas, menſas Medicas, delitias, Aſianas, Sybaritica, convivia dixero, in quæ non me demergam: quippe quibus nihil eſſet, nihil nunc etiam ſit neque inquinatius, neque mollius. Ecquis enim inerti & inſcitæ gulæ, quæ ſimiliter linguæ ἑρκῷ ὀδόντων *undique velut obice obſepta eſt, non dico finem, ſed modum ſaltem ſtatuet aut præſcribet? Nunc palma poſita eſt, & aſſignata præmia gulæ proceribus, qui ex tempore mille aut non numerandis ferculis menſas ditando poſſunt ſuo cujusq; palato adulari. Quin nos quoque eò luxuria & delitiarum hodie provehimur, ut ſimplice menſa cibisq; pauperibus non contenti ſimus, ut ſaliaribus epulis inhiemus, quarum gurgitibus & familia proluitur, & pecunia abliguritur, non aliter, quam ſi ad gulæ ſervitium, & ut Imp. Vitellius autumabat, ad omnem licentiam nati ſimus. Adeò ne ab ingenio naturæ deſciviſſe genium mortalium, ut luxuria ſeipſam incitet, & tot creſcat ſeculis, quot ætas noſtra horis, quot momentis. Et quis eſt, qui eam æſtimarit? temperare certè nemo potis eſt. Cibus ſumendus, ut vivas, non contra vivendum ut edas, ſemperq; citra deſinendum*

Quàm cupias, paullò quam potes eſſe minus.

Pocula & immania horum certamina quod attinet, plerisq; hodie nihil minus hominis videtur, quàm iis, à quibus provoceris, non reſpondere, roridis exſiccandis atq; exhauriendis. O beatos, & iterum verò beatos, quibus hoc ævo in rerum omnium voluptate, immò voluptatum copiis voluptates ſine voluptate atq; prolubio percipere, in luxuria abſq; pollutione luxuriare, in dapium lenociniis contractè naturæq; convenienter vivere datum eſt. Non libet nunc mihi hinc divagari in ætates hominum, quibus ſua quædam ἀναλογία *mutuusq; cum mundi ætatibus reſponſus, quarum unaquæq; æquè ſuos habet & peculiares morbos, qui in extremam pariter omnes conveniunt, eſtque*

Una

Una ſatis cuivis multa ſenecta mala.

In mundi pene præcipitantis fæce ad ſumma ventum eſt, in qua exaudire liceat gemitus naturæ cum lectiſſima hominum parte, jam dudum ſuſpirantis & unà parturientis uſque adhuc. Cœli corrugatione, nimia vetuſtate aut inclinatione id fiat nec ne, penes illos inquiſitio erit, quorum ſtudium hujus rei proprium. Nobis ab iis quæ propè ſunt, & in ſinu noſtro, religio eſt vel latum, quod ajunt, digitum deflectere, in quæ etiam oracula divina periodos ſive converſiones rerum, inclinationesque regnorum conjiciunt. Agite eò revertamur, unde ſumus digreſſi τὸ ποικίλον τῆς διαίτης, ut inquit ille, ποικίλα νοσήματα parit, ſtipendium non ſolùm abſurdiſſimi illius deſiderij primæ matris Evæ, ſed tanquam hæredium atq; ſupplicium luxuriæ omnium noſtræ indidem. Et ut plerunq; fere multa opipara fercula multos, ſic nova novos genuere morbos, ut hiſce moribus juſtius quæri hodie debeat, atq; olim à priſcis, fieri ne poſſit, ut propter cibos novi exiſtant morbi, quorum vel ſeminaria in elementariis corporibus hactenus delituerint nunc rediviva, vel veſtigia non primitus exſtiterint in natura hominum impreſſa, & ad nos velut per manus propagata. Pilum Lupus non mentem mutat, morbus nomen non perſonam, quæ tamen ipſa ita ſæpenumero & multifariam fucetur, ut nova videri queat. Sic omnino comparatum eſt in vita, ut partim morborum exoleſcat ac deſinat, partim eorum, qui penitus exoleverunt, incrudeſcat denuo atq; innovetur. Haud quaquam nova eſt illa febris Lenticula, neq; nata primum tempore Fracaſtorij, ſed iam olim per Græciam vulgò debacchata, quod Aetius Amidenus in exanthematibus febrium ex Herodoto priſco medico teſtatum reliquit. Lues quæ multis nominibus etiam cura gentium ignominia infamis eſt, Gallica plerisq; indigata, iam à mille annis & amplius increbuit in India, farrago morborum complurium ἱδροπύρετος qui ſudoribus omnium exſpectatione citius diſſolvebatur, iis, quas ἰλώδεις ἢ τυφώδεις dixêre, febribus congener fuit atq; Germanus. Gravedo anheloſa ſeu anhelitus gravedinoſus, qui annis abhinc 13. multo plures attigit, quàm iugulavit, iam olim quoq; decimo ſupra milleſimum quingenteſimum anno, in omnes fere mundi plagas ſæviit, cum febri, cum dira capitis gravedine, cum cordis deniq; pulmonumq; anguſtia &

arida

arida tuſſi, qualis ſolet ovium generi eſſe familiariſſima & infenſiſſima. Quid dicemus de morbo, qui ſub incude noſtra eſt? qui & ipſe novus putatur, aſt perperam: quando natura ipſum non genuit noviter, ſed redintegravit ſolùm ac ceu interpolavit, idque ob aeris, aquarum, locorum, vivendiq; rationem, propter hominum temperaturam, à cœleſtium ſiderum influxu, ab ortuum obitumque radiis alteratam. Agnitus ille primum Hippocrati fuit, mox Celſo qui ponè ſecutus eſt, tandem etiam poſteris Straboni & Plinio. Neq; vero Galeno noſtro, in cujus manus utriuſque illorum hiſtorias γεωγραφικὰς & naturales conſtat perveniſſe, indictus fuit, qui ſub cenſu τῶν στρατιωτικῶν complexus eſſe, & ſimiliter aliis certo terrarum tractui adſtrinxiſſe videtur. Cæterum ſuper hac re in ipſis theſibus ex profeſſo, & paullò luculentius, quando hoc in mari qui plenis velis huc uſque navigarunt, de Galeno ne hitum pleriq; omnes fortaſſe ſubveriti, ne quò rationes allidèrent ſuas, venia nihilo ſecius mihi digniſſimi. Quemadmodum autem morbus hic faciem, ita pomœrium ſubinde mutavit ſuum. Nec enim Aquilonariis ſeptemque trioni ſubjectis populis nunc ſolummodo familiaris eſt, ſed etiam iis, qui propius Auſtros deſcendunt; & mediterraneis, immò in ipſo Germaniæ meditullio innotuit, non tamen nullo prorſus diſcerniculo. Quibus patrius atque indigena morbus eſt, apud hos prærogativum quoddam jus vel potius imperium obtinet uſq; adhuc quoque magis increbreſcit, hoc malignior ſe ipſe ingraveſcendo evadit, ut non raro inemendabili pravitate duretur in omnem vitam. Fovemus in noſtro ſinu, & in medullis penitus circumferimus vivaria illius, ſuccos nempe craſſos pituiteos & Melancholicos, qui ſanè quam promptè inteſtinam corruptelam ſubeunt, dum modò φαύλη καὶ φλαύρα diata acceſſerit. Ego quidem nuſpiam non reperi Scorbuti ſeminaria, quorſumcunq; appuli, quemcunq; in mundi cardinem curandi cauſſa evocatus ſum hactenus. Regnat is in Miſnia, Luſatia, finibus Bohemiæ & Sileſiæ ad ſylvam Harciniam & tractus Bruſacterorum, in Saxonia ſuperiore & inferiore, in Holſatia, & maximè vero in Dania, & inſula hujus Fionia, in qua menſtruum ſpacium apud Nobilem Dn. Hilarium à Brockenhus, Cimbrum equitem mihi peractum eſt, ubi conditaneis & in ſereno duratis ſuffitisque cibis prima dos, panificium tale, ut ſimilem dicas

elixati.

elixationi. Aer Aquilonariis craſſior & pigrior eſt, accolis Oceani inſuper caliginoſior, tàm ſalſilagine, quàm uligine, ſqualens. Sine aquis nihil vivit Plutarcho, ſed quarum tamen magna ad nocendum vis ſit, multa (ut cum Plinio loquar) ſcelera, ſic ſatis evidentia atque parata. Teſtimonium pro me ferent aquæ Marath in deſerto, tum quæ Suſis & Trozæni, & in tractu Germaniæ ad Rhenum ſunt, quæque Carnos Allobrogas & Alpinos potant, ferè ſemper aliquid lambentes ac ceu abſtergentes à vena, à minera, ab uligine terræ, argilla, topho, dum prӕterlabentes ea perluunt. In Zelandia, Friſia, Dania aquæ hoc nomine minus ſalubres ſunt, quod maria in propinquo habeant, cuius aſſiduis exſpirationibus nitroſis atq; uliginoſis infici conſtat. Addam & hoc, quòd mihi paſſim in Saxonia inferiore & Fionia videre licuit, quòd putei ἐν κρύπταις, & intimis penarum receſſibus abſtruſi ferè latent in locis ὑπογαίοις, concluſis, non perſpirabilibus, liberiori aeri aut radiis Solaribus prorſus inacceſſis: cujuſmodi ferè gravi craſſitudine, & craſſa gravitate ſua potui minus ſunt idoneæ, ibi in primis, ubi motus cœli propius cardines lentior minusq; rapidus eſt: quo fit ut calor propter Solis abſentiã, lenitatemq; motus multùm intepeſcat. Non orbati ſunt Dani dulcibus fontibus, eſt abundè ipſis ſcaturiginum, & ab his nomina multis locis impoſita. In hoc natura mihi miraculum ſui expleſſe videtur, quod eo in freto, quod eſt in aditu Fioniæ, eamq; ab Holſatia ſua interluvione diſterminat, prӕternavigantibus ad dexteram non procul ab Aſſena oppido, fons aquæ potabilis exiguo in campo paulò editiore ſcaturit, non ſecus quàm fere è Depole medio thermæ Carolinæ ad fines Bohemiæ. Sed eſt profectò cur credamus, ipſas illas aquas nonnihil à mari, vel ſaltem aſſiduis huius ſuſpiratibus vitiari. Vt enim illud D. Iac. naturæ juxta atq; myſteriorũ Dei conſultiſſimi, οὐδεμία πηγὴ ἁλικὸν καὶ γλυκὺ ποιεῖ ὕδωρ, nullus fons ſalſam pariter & dulcem aquam edit, in capitibus fontium locum habeat: rivuli tamen ab iis producti, aliam atq; aliam venam perluere, indeq; libare ſaporem alienum, guſtantibusq; repræſentare queunt. Deſcendamus in noſmet ipſi, & videamus domi quid fiat noſtræ. Ex epate tanquam fonte ſuccorum vitalium, quamprimum à naturæ cathorthomate declinaverit, dulces pariter & ſalſi & amari humores confuſi, per vaſorum tubulos quaqua verſum in corpus derivantur. In morbo arcuato

circumfertur fel, lurore univerſum corpus tingens, ac veluti trophæū ſui in ambitu ejus ponēs. Mitto jā innumera vitia ſanguinis, quæ conſtat naturā ſuopte robore foras emūgere, & in extima corporis univerſitatisq; ſuperficiē, quā χροίαν veteres Pythagorei appellarūt exſpuere, quo loci in ἐξανθήματα, ἐκθύματα ἐκβεβράσματα in σπίλους nævos & maculas deinceps efflorefcunt. Foris hoc conſtat fide experientiæ, diſſimilis ſaporis aquas ferri uno in canali liquidò poſſe, ſed ita ut ſeſe mutuo contactu inficiant, & altera alteri ſui aliquid inprimat & quaſi inſtillet, id quod uſu ſæpenumero ſuo cuiusq; palato venit. Verum enim vero τὸ εἰλικρινὲς merum & ſincerum *refractu mutuo tollitur, & emergit quidam μέσον h. medium, quod utrunq; habeat δυνάμει, tametſi interim neutrum ἐνεργείᾳ. Vocetur res ad guſtus arbitrium. Serveſtæ putei ſunt aqua dulci & nitroſa pleni, ex quibus ſapidiſſima cerevisia diſcoquitur, vi Vulcani inter coquendum nitroſitatem ſequeſtrante atq; epotante. Salſilaginem quæ fontibus inest è mari latentibus cuniculis traductam multæ aquarum ſub dio noctu deponunt, aliæ percolatione, quando & Plutarcho aqua marina colata dulceſcit. Aquæ quorundam fontium ſimulatq; reſidendo inclaruerint, non aliter potabiles, quàm ſalſi humores in corporibus πεπάσμῳ alibiles, corporisq; genio educando idonei evadunt.*

Anno ab hinc quarto cum ab Illuſtriſs. patre tuo Princeps illuſtriſſime, ad percūrationem morbi doctâ plus valentis arte benigniſſimè invitatus eſſem, non ſine admiratione ſumma in pago Henningſen prope caſtrum tuæ provinciæ Giffhorn incidi in fontes, qui funderent & aquam limpidiſſimam, & ad rotarum axes bitumen pinguiſſimum, quod cæteris omnibus tàm factitiis, quam ab uſtulatis piceis ad eandem lituram igniū commercio profluentibus anteſtaret multis paraſangis. Aqua ipſa bituminoſi nidoris non exors à me impunè obbibita eſt, & ab operariis ex puteis illis bitumen obnatans hauſtris atq; ſitulis excipientibus potari Solibus æſtivis ſolet. Evagor longius quàm deceat: ſed cum in aquas inciderem, nolui dotem ditionis tuæ Celſitudinis, qua tanquam vectigali hac in parte præ cæteris à natura beata eſt, ſilentio præterire. Qualis ergo aer, qualis aqua, qualis ſors victus, tales in corporibus generantur ſpiritus & humores, quibus habitus ſolidarum partium poſtea fere correſpondet. In humoribus

ribus morborum nutritiis etiam Schorbuti προυπάρχον *conſiſtit, qui, ut dixi, nonnullis etiam primæ claſſis medicis novus eſſe putatur. Multis autem nominibus mihi inter alios hic arriſit, tum quod annis abhinc XXIII. de indiciis Balduini* Ronſſei, *cujus liber lucem non ita pridem tum aſpexerat, in ſtudioſo Friſio agnoverim, & à cognatis aliis, ut puta oris putilagine, ab ictero nigro, quibus alii eum venditarent, dinoverim, tum quod tàm domo h. e. ab utero genitricis aſportatum, quam collectaneum, & in propè jam actæ ætate affectaque paſſim & multis in terrarum tractibus percuraverim. Præteribo jam peculiariter mihi quæ in eo notata ſunt, neq; dum obſervata ab aliis, qualis eſt genarum coarctatio, genuum contractioni (ſi ab unius humoris eſſentia atque indole ſolummodo diſceſſeris) finitima, ac ceu conſanguinea, cuius diritate ſimul mandibulæ aliquantulum ſiſtitur, atque inhibetur articulus, ſimul ſermonis explanatio præpeditur, in iis præſertim, quibus cum aut natus morbus, aut in diſciplina lactendi culpa nutricum, aut non multò poſt in tenella ætate, quacunque ex cauſſa contractus eſt, aut quibus ſtirps ejus ita pertinaciter funditusque inhæſit, ut quotannis reſtibili fœcunditate ſua repulluletrevertatq; redux, quam niſi quis probè exciderit aut radicitus evellerit, utiq; verendum erit, ne renaſcatur illo deterior. Utinam vero in hac commentatione mea, qualis eacunque ſanè eſt, eò appulerim, quorſum equis velisque contendi, nempe ad portum utilitatum, tantumque navando rebus communibus impenderim, quantum debui. Certè manum admovi, ſi perfeci, optimè: Sin minus, ſat hoc ſit, ſat inquam mihi voluiſſe, quod exegit mortalitas: ſi minus aſſequi per puſillitatem virium mearum quivi, ab aliis quod exſpectabatur. Perlibenter fateor & ingenuè, ſæpe mihi aquam hæſiſſe, ut in quibusdam nunc etiam, quorum partim ædificavi, partim reconcinnavi. Boni qui ſunt, & quorum recta, non adultera judicia, multa hic deſiderabunt, multa reprehendent obeliſco digna, quorum iudicia adeò non defugio ut minime detrectem etiam limam, virgulam cenſoriam eorum deſiderem ita ut cum maxime. Horum urna qui abſolvitur, ne mihi ille copioſe expleſſe videtur, quod debuit. Etſi verò nunquam tanta fui in me ſeu benignitate ſeu indulgentia, neque ſum adhuc*

 ut,

ut; quod progenui, protinus iſtud amem:

quoniam tamen occultæ hominum voluntates ſunt, multiplices naturæ, cenſuræ & damnationes præcipites: huic commentationi meæ cavere debui, perinde ac potui. Non autem potui melius, quàm ſi ederem in vulgus tuo ſub nomine, Princeps Illuſtriſſime & Chriſtianiſſime, cujus judicium ſubire minime veretur. Eſt enim εἰλικρινὲς, ſic bonum, ut melius nemo requirat; cæteroquin etiam ſane quàm politum, ut quanti penſi ſit à me abſolutum penſum, & quam belle pro illuſtri eruditione Tua penſitare quam dexterrime queas. Adhæc morbus, quem præfert, & in cuius cura ſum uſq; curioſe verſatus, gentilis eſt non verna, & abs tua ditione, quocunq; tandem fato, minime alienus, neq; dum hactenus alienus. Cognovi præterea ego tuæ Celſitudinis ſtudia ergo eos, qui fidei ipſius ſe commiſiſſent: cognovi divinam humanitatem, & colui qua debui animi ſubiectione plurimiq; feci, tanquam numen quoddam ſuſpexi. Nec jam præteribo, quamvis hoc ſeculo leve viſum iri complurimis rear, quot tecum ſint litteræ, quanta principum philoſophorum præcepta abs te percepta, quam diligens hiſtoriarum, cùm veterum tum noſtrorum temporum lectio, quantum deſiderium perquirendi familiarum origines, ex quibus propagines proavorum, & geſta virilia repræſentantur, quanta deniq; cura explorandi in ultimis terris, quid agatur, quorum omnium nuſquam adhuc pertæſum eſt, quippe in quibus exiſtimationem agi tuam, vertiq; gloriam putes. Quare ſub te, tuæq; Celſitudinis illuſtri genio, tanquam tutelari quodam Deo peroptavit partus ille meus ſubtiteſcere: Et tua unius poteſtate ſit, eum tibi commendo, & commendem neceſſe eſt: tu ergo orbum clientem tuere, & ut tuearis, valde ſubmiſſe etiam atq; etiam oro. Quod ni faxis, proximum erit ut ad Momi lucernam, examinatus fiat epulum calumniæ obtrectationis victima. Adverſus hos morbos, quos certum eſt alere vulgum non deſinere, quibus ne ipſa ſalus quidem videatur ſaluti eſſe poſſe, ingens tuum ingenium ſpero genium ipſi facile conciliabit. Hæc penſio ſumma erit & ſolida mihi, nihil amplius reſpicio.

Hanc ſi abs te Princeps illuſtriſſime impetravero, bona autem Spes eſt, quæ tua eſt humanitas, æquo animo te ſiturum impetrari, velim ſic de-

me

me exiſtimes; non tibi tam illum partum meum, quam me pari fluctuantem fortuna, & aliquoties ea perculſum, ad omnia ſubjectiſſimi animi obſequia obnoxium atq; obligatum fore. Aſt enimvero exiguum do: fateor, ſed magno: humile, ſed ſublimi: non ſplendidum, at perilluſtri. Quid? quod donum ſemper tanti eſt, & eſſe certè debet, quantus animus ejus, qui accepit, non qui dedit: illius æſtimare eſt, hujus negligere. Ad omnia hæc annuenti illuſtriſſimæ Celſitudini tuæ hæc mei voti ſumma eſt, quam unam poſſum rependere, plus non habeo: nempe ut te, tuamq; domum illuſtriſſimam velit fortuna, vel potius qui hanc finxit rerum omnium molitor DEVS, quam diutiſſimè ſuperſtitem eſſe, & ut meretur, in multa ſecula non minus dignitate & honore florere quàm gratia & fortunis creſcere. Fiat, fiat. Dabantur Dreſdæ Anno Ieſu Chriſti 93.

Celſitudini
Tuæ

addictiſſimus.

Salomon Albertus
Medicus.

DE SCHORBUTO
CL. V.
SALOMONIS ALBERTI,
Saxonicæ domûs Elect. archiatri.

VIdit in Elyſio (PORTA mihi nuper EBURNA
Rettulit hæc Morpheus) SCHORBUTI Plinius artem,
Quam miro SALOMON ALBERTI condidit uſû:
Verſus ad Hippocratem, qui MAGNOS forte LIENES
Ruminat: Ecquid, ait, ſatin hæc germana videntur,
Quæ ſcripſit Germanus homo ſuper indole morbi,
Livida quem generat fæcatæ copia bilis,
Ac craſſo pit vita trabax lentore propagat?
Excipit Hippocrates: Mihi non incognita narras:
Neſcio quo medicos hic condat Apolline libros!
Quis noſtrum? qui jam MAJORUM GENTIUM ab omni
Cenſemur populo *Medici*; Quis porro Medentum,
Quos tulit annorum ſeries decurſa notavit;
Malarum articulos & texta reciproca menti,
Sermoniſque ratos plano diſcrimine flexus
Hâc *Schorbuti* etiam ſerpente tyrannide ſiſti?
Primus hic obſervat. Quis ſcripſit acutius aut hanc
STOMMACEN; aut hanc SCELETYRBEN plenius illo?
*N*on oculis eris invidiæ, Germania noſtris:
Sic licet hic SALOMO*N* tibi Plinius Hippocrateſque.

DE EODEM.

CÆSAR ut hæc legit GERMANICUS: inquit; In Orco
Seriùs, ô SALOMON, quid juvat iſta legi?
Tunc tuus in lucem SCHORBUTUS oportuit edi,
Quum meus ad Rheni flumina miles erat.
In Latium poterat dentatior ille reverti,
Et minus enervis cruribus ire domum,

Frid. Taubmannus Francus.

THESES

THESES DE SCHORBUTO MEDICÆ & HORUM TEMPORUM.

1.

Morbi & moriendi neceſſitas unde.

TAm morbi, quam extrema eorum linea mors moriendique neceſſitas, quibus genus noſtrum inde uſque à prima ruina obnoxiũ eſt, τῆς ἁμαρτίας merces & ὀψώνια id eſt *autoramenta ſive ſtipendia* ſunt fatalia.

2. Quæ quidem πεπρωμένη, ἢ μοῖρα πεπρωμένη, *ſors fatalis*, aut μοῖρα βίου, *fatum vitæ* in humani corporis politia à Dei voluntate præſtitura, ejuſdemque juſſu in fundamento vitæ, hoc eſt, in animato utriuſque parentis ſemine poſita, & in fluxa cujuſque natura fundata eſt.

3. Habet ea ratam metam ſtatamque periodum ſibi præfixam, ad quam utinam atque iterum utinam recto curſu tenoréve inoffenſæ naturæ collinearemus, atque attingeremus eam etiam. At enim hanc vix quiſquam legibus naturæ, qualis nunc quidem ea eſt, conficit. Ad hæc ſummus Imperator ſuo nomine fatum ſæpe prævertit, vitæq; omnium noſtræ ſpacia vel contrahendo ſuccidit, vel prorogando ulterius ire ſinit.

4. Hic eſt, hic unus diſpenſator & vas vitæ prolixioris minimè ἄτροπος, qualem eſſe unam è Parcis vetuſtas commenta eſt. Quaſi verò neceſſitas illa fatalis flecti immutarivè, aut τῇ ἀνάγκῃ (quæ eadem hoc loco εἱμαρμένη eſt) neq; ineptè attributi clavi adamantini refigi nullo modo queant.

5. Quis enim nos, qui in populo & eccleſia Dei cenſemur, commentitiis fabulis τῶν ἔξω credere coget? quibus ne ſui quidem Dii ab eo, qui ſibi ſit charus, mortem, ſi maximè velint, propulſare poſſunt, ubi Parca eum ſemel prehenderit. Nempe his fati vis invicta eſſe exiſtimatur, in quorum ſalebras hodiè videas non etiam de noſtris nullos periculoſe

jampri-

jampridem incurrere, immò verò in iis ſæpenumero prorſus adhęreſcere.

6. Neque vero ipſis numeris annorum climactericorum (Plinius ſcanſiles nominare ſolitus eſt) tanquam fatalium, neque horum complexui ferri accepta debet illa morborum & moriendi neceſſitas, quādo nulla vis numeri, nullum jus, nullum imperium in naturam noſtrorum corporum: ſed morborum tàm animi quam corporis ἐφόδοις, *id eſt, inſultibus*: tum jacturæ perenni triplicis naturæ, quam architectura noſtrorum corporum in ſe habet, aſſiduo fluore variis ex cauſſis continentur diſſipabilis, tum paupertati ſive depaſtioni humidi primigenii, quod ſpiritu caloreque perfuſum eſt. Duobus poſterioribus operam navant ſuam ſpiratio & nutricatus: Utrique horum viciſſim inſerviunt inſpirabilis aer, quem ducendo vivimus, dein eſculenta & potulenta.

7. Faceſſant ergo hinc deliramenta Chaldæorum, qui plus nimio calculis numerorum dediti ſunt, eorumq; licentia ferè ad omnia, quemadmodum Epicuræi regno atomorum, abutuntur, vitas fortunasque & pericula Climactericorum tanquam ad trutinam exigentes, quibus familia Pythagoræorum in Aegypto, mox etiam ſcholæ medicorum in errorum ſuperſtitione impia fucatum, ſtulta credulitate ſeductæ ſunt.

8. Furor eſt, profecto furor omnipotentis Dei providentiam articulis ſive momentis temporum, numerorum ſerie atque complexu velle diſtringere, in cujus ditione ſunt omnia; cuius nutu res eunt divinæ pariter atque humanæ: cuius item χῆρες morbi ſunt jam olim ab Ethnicis Poetis ita nuncupati, ne numerorum imperio affluere putaremus. Nihil interit injuſſu ſummi illius Imperatoris, immo ne quidem capilli defluunt, quos in numerato quisque circumferimus.

9. Sicut autem morbi, qui iter ſunt ad mortem, per peccatum in naturam irrepſerunt: Ita donum Dei vita æterna eſt in Chriſto ſervatore, mortem in æternum ſic præcipitante, aut verius perinde abſorbente, ſicut balæna Prophetam Jonam in ventris barathrum glutiit. Ea namque vocis כְּלָא vis eſt atque energia Hebræorum grammaticorum ſenatui, quam multis ſeculis poſt Apoſtolus & translatio Syriaca enuclearunt.

10. Quoniam autem ἡ ὁλομελίη *Morborum distinctio.*
corporis univerſitas non ſimplex eſt, ſed edit ipſam multarum & interim diverſarum partium in unam quaſi politiam conſpirans atque conſentiens compago: quo nomine ſanè quàm ſcitè Plutarcho παμμιγὴς καὶ πανηγυρικὴ nuncupata eſt: certè etiam non uno, ſed variorum morborum genere impetitur, quorū quanta quanta ἰλιὰς, quàm numeroſa eſt, in duo ſumma digeritur faſtigia, nempe in ἀποϱϱίδας & κοινὰς.

11. Σπ-

Σποράδες 11. *Σποράδες ἢ σποραδικοὶ νόσοι, morbi palabundi σποράδην, id eſt, ſparſim palatimq́;* huc illuc vagantur, non multos gregatim populatimvé, ſed omni tempore ac loco nunc plures, nunc pauciores ſigillatim corripientes: Aliàs διάφοροι appellati, τῷ εἴδει ἢ μορφῇ h.e *ſpecie formaq́;* differentes, utpote è cauſſis peculiaribus, ſua videlicet cujusque diæta vivendique ratione diſpari, & errore vel immoderantia in ea ſuppululantes. Ut Epilepſia, catarrh⁹, Pleuritis, eryſipelas, & quotquot hunc aut alios diſtrictus nunc tenent.

Κοινοί. 12. *Κοινοὶ, πάγκοινοι, πάνδημοι πανδήμιοι* ſpectant ad univerſum populum, prioribus ἐκ διαμέτρου velut oppoſiti, publici & quaſi plebei, vulgares atque communes, interim tamē certi ac ſingulares, ejuſdemque generis. Qui uno, eodemque tempore in multos cuiuſcunq; ſexus, temperamenti, ætatis, conditionis, aut generis vitæ fuerint, promiſcuè graſſantur ac deſæviunt.

13. Ex his rurſum alii veniunt nomine generis, *κοινοὶ ἁπλῶς, ſimpliciter communes* nuncupati, alii ἐπιδήμιοι, alii ἐνδήμιοι, *communes & populares utrique*: illi quidem externi, alienigenæ, adventitii: hi natalitii, patrii atque vernaculi.

14. *Κοινοὶ ἁπλῶς* progerminant ex aere, quē inſpiramus pariter omnes, aqua mala, quam potamus, cibo à cœli intemperie, aut alia de cauſſa depravato, gravi tetraque exhalatione, vel ſimili non tamen perpetuo vitio, quod vitare nullo pacto queamus: Exempli gratia, gliſcentibus fame & annonæ difficultate ex inſolentium, & eorum, à quibus natura planè abhorret, uſu eſuque ex ſyderatis frugibus, quæque ſeu rubiginem ſeu æruginem (hæc ſegetum peſtis quædam eſt, manans à cœli ſolíque iniuria) contraxere, ex iis quæ uliginoſis in locis ac fœtidis condita juſto diutius fuere, ſitu putrilaginéve obſita atque inquinata, ex ingurgitatione aquarum ſtagnantium in caſtris. Hoc genus morbi ſunt Cephalalgiæ, anginæ, diarrhœa, dyſenteriæ, febres.

15. *Ἐπίδημοι, ἐπιδήμιοι*, à cauſis ipſos committentibus appellantur: qui ductu primordio ex qualitatibus aeris, ſive ab inordinatis & dubiis tempeſtatum conſtitutionibus, à ventorum noxiorū perflatibus, frequenti exſpiratione ac tranſpiratiōe ægrotātiū, à putorib⁹ recluſorū ſpecuū terræ, à foricarum memphite, ex aquæ infectione, aut privata aliqua virulentia, à malignis & infauſtis ſyderum aſpectibus ſeu permiſtionibus, aut DEI vindicta, tanquam ſupplicia noſtrorum ſcelerum ſtatis anni temporibus populatim graſſantur, ac vel una in regione, vel pluribus ſimul quoſcunque inſolenter adoriuntur, & multos unà imperioſè fatigant. Horum alii λοιμώδεις alii μὴ λοιμώδεις. Epidemÿ morbi.

16. *Λοιμώδεις, λοιμικοὶ ἢ λοιμοί*, aliàs Λοιμώδεις.

aliàs νȣ́σοι θεȣ̃, & ſine adjecto, excellentiæ nomine νόσοι dicti ſunt: qui certè quidem omnes prodeunt, non ex vitio aeris ſolis inhærente qualitatibus, ſed potius à venenato inquinamento aeris diffuſo, quod Cor, in quo principium & fons eſt vitæ, ac principatus facultatum vitalium, & quotquot ipſi ſocietate, vicinia, & ſpirabilis materiæ per arterias commeatu conſentiunt, protinus ferit percellitque quamprimum ſpiritu hauſtum eſt.

17. Hanc ambientis aeris conditionem ſive conſtitutionem Hipp: de natura humana libro, νοσερὴν ἀπόκρισιν vocat (Galenus interpretatur ἀναθυμίασιν) τȣ̃ ἀέρος, ἢ τȣ̃ πνεύματος κατὰ τὴν εἰσπνοὴν, morboſam exhalationem, *ſive qualitatem aeri impreſſam*, quæ ab aere excernitur, & in corpora noſtra ſpirando inſinuatur, quaſi morborum in omnes juxta læthaliter graſſantium commune quoddam ſeminarium non tàm nudis & primis qualitatibus, quàm potius proprietate ſeu divortio toti⁹ ſubſtantiæ, corpori infenſum noxiumque quod Hippocrates paullò poſt ῥεῦσιν, aeris in fluxum μιάσματα, *aeris inquinamenta, libro* περὶ φυσῶν, indigitavit.

18. Scilicet hoc mihi eſt illud θεῖον divinum in morbis, quod quandoque, ut penitus abſtruſum, nec cuique ſtatim obviū admiramur, quandoq; ſub rationis humanæque perſpicientiæ examen vocari nequit, ut interim Alexandrei, ærumnoſique Solones in rerum indagine tanquā apud Sirenios ſcopulos cōſeneſcentes ſecùs exiſtiment, vice Academicę, ἀκαταληψίας temerè & fruſtrà commenti perceptionem, ſeu (ſi verbum verbo exprimas) comprehenſionem rerum omnium, quarum multis ſanè, ſi non plurimis, tranſenna illā obtentui eſt, quam ruina noſtri generis induxit, ut jam rerū naturas ἐκ μέρȣς, vel ſolum ſimulacra earum ſtrictim ſummatimque; aut (ut cum Apoſtolo loquamur) δι' ἐσόπτρȣ ἐν αἰνίγματι, ὀυ δὲ εἴδȣς aſpiciam⁹, τῆς πίστεως veſtigiis ingreſſi in iis, quorum πίστεις non ſunt, & niſi in adytum naturæ depreſſa penitùs & quaſi demerſa fidem & ἀνθρωπίνην σιώεσιν ſuperarent, vix ab ullo unquam crederentur.

19. Λοιμώδεις rurſum pro ſua indole aut μοχθηρότεροι ſunt, aut ἐπιεικέστεροι. Μοχθηρότεροι, qui & ὀλέθριοι & κινδυνωδέστατοι, non tamen extrà artem & limites huius poſiti, ac quaſi exautorati, derepente maiorem vim hominum ſtrage plùs quàm miſerabili perimentes, è medio furenter tollunt, idque propter τὸ θερμὸν σηπεδονῶδες ἢ πολέμιον καὶ κτεῖνον, in quo regnum eſt peſtilentiæ. Ceu ſunt peſtis ſimplex, febris peſtilens tùm ſimplex, tùm etiam putrida: quas æquè exitialia ſymptomata excipiunt ſeu occulta ſeu manifeſta, peſtilentes bubones, Carbones.

20. Ἐπιεικέστεροι feritate minus ſunt maligni, tametſi prorſus impunè haud

mè haud abeunt, quipped quibus multi perimantur, neq; tamen pauci interim evadant. Ut minus contagioſæ febres, quas comitantur peſtifera ἐκθύματα, ςίγματα ſive lenticulæ, petechiæ vulgo. Italorum dictæ, maligniores quàm peſtilentiores bubones & Carbunculi,

21. Μὴ λοιμώδεις καὶ εὐηθέστεροι, mitiores & manſuetiores peſtilentibus ἀνώνυμοι ſunt, aut mutuaticio generis nomine ſimplices ἐπιδήμιοι indigitati, ab intẽperatis exuperantiis, ex ſubitis & continentibus aeris cõverſionibus, humores in corporibus magnopere cientibus orti. Bifariam hi differunt: Alii enim uſitati ſunt, alii contra inuſitati.

Morbilli. 22. Uſitati & conſueti, ut papulæ pueritię infeſtæ, quas Barbari partim *morbillos*, Græci generis nomine ἐξανθήματα, dicunt, partim *variolas*, Græca natio ἐκθύματα ſive pituitæ eruptiones. Adhæc phrenitides, ophthalmiæ quædam, anginæ, peripneumoniæ, Lienteria, diarrhœa, dyſenteria, tubercula, dolores articulorum, febres acutæ. Quos quidem omnes vix à diſperſis internoſcere liceret, ni quatenus ἐπιδήμιοι ſunt, ſaltem vulgaris malignitatis aliquid reſiperent.

23. Inuſitati atque inſolentes & σπανιώτεροι, ut prodigioſa illa, & projectæ audaciæ inſania, qua prehenſi ὀρθοστάδην diſcurrunt, ſuſque deque & viciſſim toto corpore ſubſiliunt more tripudiantium, unde exargumento choreæ S. Viti nomen accepit: Paraplegia illa inaudita in Thaſo, 1. *hiſtoriarum epidemiarum*: Mentagra, quam Plinius, *lib. naturalis hiſtoriæ 26. cap.* 1. in Italiam irrepſiſſe ait, rerum potiente Tiberio Claudio Cæſare.

24. Ἔνδημοι, ἐνδήμιοι, communes morbi quidem & communibus à cauſſis, nempe aere regionis proprio, &, quæ huius ambitu comprehenduntur, cœli conditione, regionis ſtatu, victus corruptione, aquarum pravarum potione pronati & ipſi: Verum natalitii, familiares alicui ſolum regioni, civitati, populo, & huic quaſi perpetuati: qui quavis tempeſtate anni, & nunquam non ex æquo multos unà præhendunt, minimè interim lethales. Cuius ferinæ ſunt catharrus Genevenſium, phthiſis & tabes Luſitanorum, icterus Apulorum Hernia rania, ramex & quidem ὑδροκήλη Tectoſagum, elephas ſive Lepra Arabum (quam Horatius malam, id eſt, *incurabilem* ſcabiem nominat) Judæorum & Aegyptiorum, podagra Athenienſium, βρογχοκήλη Alpinorum, Allobrogum & Carnorum, qui ἐξέρβρογχοι ſunt, ſtruma Hiſpanorum, gibbi & lycanthropia Vaſconum, Hemitritæus Romanorum. Ἔνδημοι.

25. Eſt aliud inſuper genus quoddam morborum inter Epidemios & Endemios ambigens, ac velut, ἐπαμφοτερίζον, & ἐν μέσῳ κείμενον: quod prima quidem ἕδρᾳ, & quamdiu

diu uno circumſcribitur territorio, *Endemium* eſt: ſimul ac vero τῷ ἐπιτείνειν, *id eſt, ingraveſcendo* fines longius propagaverit ſuos, quaſi *Epidemium* evadit.

26. At tùm aliàs priſtinam & primigeniam ſuam naturam accuratè retinet, pertinaciterque tuetur, aliàs ab eadem ſeu ἀποῤῥοίᾳ ἢ νοσερῇ ἀποκείσει ægrotantium, ſeu alia de cauſſa latentiore degenerans, novam indolem acquirit peſtilentem ſimul atque contagioſam.

Sudor Anglicus.

27. Poſterioris huius generis fuit ἱδροπύρετος *febris ephemera & ſudorulenta* inſulæ Britannicæ, quam alii ob madores, quibus diſſolverentur corpora ægrotantium, aſſiduos ad ἑλώδεις, alii ad τυφώδεις Galeni retulerunt. Diu ea ἔνδημος fuit; & ſolius Angliæ, poſtea peregrinando à Septentrione ac propius nos graſſando populis epidemialis evaſit, λοιμώδης pariter & contagioſa, ſi Fracaſtorio fides eſt adhibenda.

Lues venerea.

28. Prioris generis ſunt ἄλοιμοι ἢ μὴ λοιμώδεις, ut Siphylis ideo à Fracaſtorio appellata, quod φυλαδὸν ſive κατὰ τὰ φῦλα, quod eſt κατ᾽ ἔθνη, id eſt, *tributim & centuriatim* vagaretur, in Aſia & Africa vix centenaria, quæ Americam jam à mille annis exercuit. Galli, ad quos principio inde commigravit, facilè *magnam variolam* indigitarunt. Eiuſdem albi fuit anh loſa lues illa, ſive gravedo pulmonia, quæ an͡o abh nc decimo tertio, proprio ac inauditæ malignitatis impetu, ſi non longius, certè per totam penè Europam debachando multò plures ferè momento temporis inſperatò attigit, quàm jugulavit.

Vari.

29. De grege horum cenſentur Dithmarſis & Weſtphalis nomine, ut videtur, è Germanico deluxato, (Sunt enim Dithmarſi Teutomarſi) ab aurigando Vari ſunt appellati, quod nuſquam non in corpore huc illuc, ultrò citroque ſusque deque, atq; in primis per artuum compagines velut Catulientes cum ſenſione pererrantium fomicarum aurigentur, vel more Dracantiorum (Meden Venam Avicennas à natalibus nuncupat) quornm æmulæ ſunt feræ tergora jumentorum & cervorum peredentes, vulgo Engern dictæ, mihi unico in nobili veteris Marchiæ obſervatæ: vel ritu accarorum ſyronũque, aut vermium ἐσιατρων ἢ ὁμοσίτων, id eſt *epulonum commeſſatorum*; aut denique τριχώδων σκωληκίων, *vermicum capillarum ſubcutaneorum*. Vulg⁹ Varos ab errabundo diſcurſu Lopende Varen: Bruſacteri vel Burcteri per antiphraſin gutte Kinder / in tractu Gottingenſi guttleholden / & alibi die Madden vocant. Nobis interim ubi jam temporis diuturnitate animati in corpore fuerint, δρομοσκώληκας ἢ σκώληκας ἀμφιδρόμους, *cutambulos & veredarios vermes* licebit bona cum aliorum pace & venia appellare.

30. Malum hoc non infrequens

eſt

eſt Cimbricæ Cherſoneſo, quàm à colonis Danis hodie Daniam, & à limitania præfectura, Danomarchiam appellant: tum quoque vicinæ Dithmarſiæ, Weſtphaliæ, & oræ Clevenſis inferioris Germaniæ.

Scorbutus quibus regionibus familiaris & endemius.

31. At enim quorſum, inquiet aliquis, quorſum tàm multa de morborum diſtinctione? nempe ut aditus præſtruatur *Schorbuto*, quo de agere impræſentiarum viſum nobis eſt, ejuſdem medii generis malo, perquam iis familiari, quotquot oceano Germanico & Suecico adhabitant: ut Batavis, Zelandis, Hollandis, Friſiis, Saxonibus, Pomeranis, aliisq; finitimis nationibus aquilonaribus, & accolis peninſulæ Scādiæ ſive Codanoviæ, quæ Pomponio officina gentium, & nationum vagina dicta, ſuo ambitu regna illa Norvvegiam, Suediam, Gotthiam, aliasque regiones complectitur, atque includit.

Scorbutus quandoq; eſt è numero ἀποξενίδων.

32. Immò auſim ego *Schorbutum* ex colonia Endemiorum & non peſtilentium Epidemiorum in caſtra τῶν ἀποξενίδων transponere, quando avitos ſuos limites jam dudum excedere, extraque maritima, Littoralia atque paluſtria loca Cimbricæ Cherſoneſi, Weſtphaliæ, Belgici, Saxoniæ peregrinando hodie etiam Sileſiæ, Bohemiæ, Miſniæ, aliisque tractibus, quibus hactenus inſolens fuit, cœpit innoteſcere.

33. Neque cauſſa id mali pariens ita communis amplius eſt, ſed in ſua cuiusque vivendi, victusque ratione (quam Galeni exemplo hîc voco ipſa ſola eſculenta & potulenta) & aliis poſita, vitioſum craſſum, lutulentum atque tenacem chymum in corpore vel gignentibus exaggerantibusque, vel paulò diutius cohibitum intus depravantibus.

34. Ad eiusmodi *παρεκβάσεις ſive degenerationes* morborum, non aliter quam ad eorundem ſucceſſiones ac tranſitus, medicum, quàm queat profectò diligentiſſimè advertere oportet, ſiquidem à ſcopo in medendo toto, quod ajunt, cœlo nolit aberrare, aut ſuo ſaltem cum dedecore, ægrotantiumque detrimento ſanare.

Scorbuti nomina.

Scorbuti nomina.

35. *Schorbutus* variis olim dotatus eſt nominibus, diverſis interim: quorum alia ipſi quadrant morbo, alia & quidem multo plura, ſolis ſymptomatibus, tanquam affectionis conſectariis ſive accidentibus: his namque vulgus magnoperè conſtat addictum eſſe, quando ut umbra corpus affectantur, liberaliusque in ſenſus ſemper influunt, denique animos aſtantium, in quorum fide & clientela ſunt res ægrotantium, plerunque magis percellunt.

Gingipedium.

36. Nomen totius morbi eſt *Gingipedium*, ſed craſſa ut ſic dicam, & pingui Minerva à ſymptomatis, quibus ipſe fœtus eſt, factum, quoniam gingivæ pariter & pedes hîc ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον malè habent: flaccent illæ uvidoque prægnantes madore

 ſupra

ſupra modum turgeſcunt, mox etiam hulcerantur: Hi præter laxum tumorem livoribus, perinde ut in ſugillatis, paſſim literati deturpantur, non etiam nunquam, licet rariùs, neque niſi morbo pejorante, maximeque in parum propitia cœli ſolique conditione hulcera ſatis moroſa atque maligna contrahunt.

Stomacace

37. Oris ſymptoma Straboni, & hunc ſequenti Plinio vocatur privatim στομακάκη, Barbaris novè Stomacaxia, quaſi τοῦ στόματος καχεξία. Marcello (qui ſub Gratiani & Theodoſi Imperatoris ætatem floruit) libro de medicamentis cap. 11. oſcedo: Danis Schorbeck / oris depravatio: aliis Schürmund / id eſt, *rupta bucca*. Etenim gingivæ nimio madore prægnantes gliſcunt, ac tandem etiam hiſcunt.

Sceletyrbe.

38. Crurum ſymptoma σκελοτύρβη nominatur Straboni & Plinio, id eſt, *conturbatio ac ceu divulſio crurum*. Galeno eadem vox reſolutioni attributa eſt. Hollandis à blavis ſive glaſtinis maculis in cruribus potiſſimum, nõnunquam univerſo in corpore conſpicui Blawſchuyt indigitatur.

39. Nomenclationes cæteræ, ut στομακακεξία & Saxonum Schörbünck imo ſive alvino ventri competunt, qui hoc in morbo ut plurimum στρόφοις, *cruciatibus ſive lacinantibus verminibus* efflictim torquetur, materia, quæ ſua natura φυσωδεστέρα eſt, tùm ſtomachum quam inde ſpiratim detexta inteſtinorum glomera, ſive ſinuoſa volumina diſtendente.

Natura Scorbuti.

Natura Scorbuti.

40. De nominibus & horum aucupio ſatis: nunc ad rem. Schorbutus morbus, qui ætate Strabonis & Plinii ἔνδημος fuit, non multò poſtea limite imperii non contentus ſui longiùs latiùsque Septentrionem verſus graſſando in regiones Germanico Oceano Belgicoque ſinui adiacentes, ἐπίδημος non tamen peſtilens evaſit. Tempeſtate majorum & noſtra ab Aquilone proſerpſit inferiùs aduſque oras Germaniæ, & domicilia noſtra, vulgoque ac paſſim diſpalari jam atque invaleſcere oc-

Scorbuticorum malorum enumeratio & generatio.

cœpit. Is ergo naſcitur tàm ex hypochondriacorum viſcerum, partiumque nutritiarum in prima regione corporis circumſitarum, quàm ex humorum κακοχυμίᾳ *ſive impuritate*, & hac quidem pro conditione cœli ſolique, & ſui cuiusque genii ratione admodum diſſimili, & quaſi multiformi: Cumque viſcera à catorthωmate i. e. *naturæ ſtatu, functionumque norma atque præſcriptione* procul egreſſa ſint, neceſſe eſt ipſa unà cum finitimis partibus, & venis, quibus utraque reſperſa ſunt, multis crudis & lutulentis, & ob pravam victus indolem degeneribus ſuccis perfundi atque inebriari, & ipſos illos, quia densè conculcati in culina corporis inferctique ſunt, ac tàm ſui caloris moderamine deſtituti, quam alieno

circum-

circumventi, inardeſcere primùm ac ſeu fermentari, mox fomitem putredinis concipere, febrem denique lentam atque errabundam ſuccendere. Neque ſatis hoc eſt, ſed ex ζέσει *ſive fermentatione* intra ſtagnantis humoris ἀνομοιομερέως, quod tenue ineſt, per vaſorum tubulos εἰς τὸ ἄνω, *ad ſupera* viam affectans, gingivas relaxat, erodit, putrefacit: quod vero craſſius & limoſius, gravitate ſua per lumbos & femora ſic ad crura deſidit, ut nonnunquam, in ipſo decubitu ſigna ſui forâs mittat, in cruribus tumorem flatulentum in muſculorum tendinibus compaginibusque articulorum, ſi pluſculum ejus combiberint, rigorem excitet, ſummam tibiarum cutim commaculet deformiter, non raro etiam bullet papuletque, denique diutius cohercitum ex contracta interim malignitate eandem cum ſubiecta ipſi carne exulceret.

41. Arctioribus terminis utrunque ſymptoma ςομακάκην & σκελοτύρβην circumſcribit Strabo γεωγρα-φικ: 16. Illam dicit πάθος περὶ τὸ ςόμα eſſe: hanc παράλυσίν τινα περὶ τὰ σκέλη poſteriorem rectè definierit necne, recentiorum & inprimis vero Galeni trutina declarabit, ad quam pro noſtra virili ſumus rem omnem exacturi.

Cauſſa Scorbuti.

Cauſſa Scorbuti. 42. Atque hæc ſuper philologia, eſſentia atque idea Schorbuti. Nunc porro videndum de morbi cauſſis, ex quibus ipſe primùm & per ſe, non tanquam morbi alterius ſuccedaneus pullulat, deque ſignis earum cauſſarum: tum quæ curandi ratio ex perſpicientia utrorũq; ſequi morbum debeat. In quibus medentis diligentia verſatur atque abſolvitur.

43. Non eſt autem hîc à capite, quod volumus, arceſſendum, non à fronte repetendus ortus morbi. Nec enim nobis τὸ θεῖον hic amplius quæritur, quod verbo Dei, non numeris abſolvitur: neq; ἡ φύσις, quam ſcribit Hippocrates ἀεὶ φύεσθαι, quod eſt διαχεῖσθαι μέχρι θανάτου, id eſt, *de ſuo ſemper aliquid fundere*, vi caloris inſiti, vel ab aere circumfluo deperdere, donec ad ultima ventum ſit vitæ: ſed una victus neceſſitas ſive Diæta, φαύλη ἢ φλαύρα, *mala atq; vitioſa*, potius expendenda eſt.

44. Ubi ergo malum hoc ἐπιχώριον eſt, *Cauſſæ* ponuntur in aere uvido, ſqualido ſituque obducto; deinde in vitiatis aquis, quas potant incolæ, ab orbita ſeu via Solis longius diſſitis, aut cœlum omnino non videntibus, quales credibile eſt minus probè percoctas eſſe, vel quod radii Solis aditu ad eas prohibeantur excludanturque, vel quia eo uſque integris viribus non pertinent, faciem terræ nimis obliquè ferientes. Quid mirum ergo, ſi vitium promptius contrahant? *Aëris.* *Aquæ.*

45. Secundum Plinium etiam aquarum ad nocendum ſcelera ſunt, *lib. 25. cap. 3.* Documento fuit in Germaniæ

maniæ tractu maritimo fons aquæ dulcis, qua ingurgitata intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus ſolverentur militibus Germanici Cæſaris, poſteaquam caſtra trans Rhenum eo in loco metatus eſſet.

46. Idem Ael. Galli exercitui in Arabica expeditione ad Album pagum, maximum Nabathæorum Emporium, *teſte Strab. l. 16.* ex uſu vitioſarum cùm aquarum, tùm herbarum, multo antè contigit, milesque ab ea infirmitate, iſti regioni familiari, vix anni ſpacio liberari, refici iterum atque aliò transportari potuit: Tantoperè tentant valetudinem aquæ ignotæ, peregrinantibus iccirco ſuſpectæ, præcipuè navigantibus defectu laborantibus dulcis aquæ.

Cœli ſtatus & loci conditio. 47. Huc referri poſſe videntur cœli ſtatus, ſitus regionũ, anni conſtitutio, conditio locorum, amnium, ſtagnorum, &c. Etenim loca uliginoſa, lacuſtria, maritima, aut infecta, muri humecti, ſituque obſiti, & quæ inde exſpirant exhalationes, inquinamenta relicta ab eluvie & exundationibus fluviorum, ab æſtu & Euripo maris: hæc igitur omnia, & alia hoc genus, multum ſanè immò vero plurimum etiam teſte Hippocrate ad epatidas & ſplenetidas conducere poſſunt.

Cibus. 48. In primis autem lex & ratio vivendi, quam in cibo & potu conſiſtere ex Galeno retulimus, hîc non prætermittenda eſt. *Ex iis enim morbi affluunt nobis & contingunt*, (inquit apud Plutarchum Diogenianus 8. ſympoſiacorum, quæſtione 9. *è quibus vivimus*: Ἐκ τέτων νοσῆμεν, οἷς καὶ ζῶμεν.

49. Cibus, ut quicquam aliud, morbos parit, ſi non novos, ſaltem veteres ita velut interpolat ſubinde atque innovat, ut faciem novorum inducere, aut in eos degeneraſſe putes. Cibum hodie plerique metiuntur non tantum qualitate, ſed & menſura, & verò inprimis varietate.

50. Multa fercula multos ſemper fecere morbos, ſupplicia noſtræ luxuriæ. Philoſopho varius cibis gravis eſt: & Baſilio τὸ ποικίλον τῆς διαίτης jure merito pœna ſtatuitur noſtrorum peccatorum.

51. Quòd ſi rem paulò propiùs & probiùs putaverimus, tot morborum monſtra, tam multiformis eorum lerna non tam ob ſyderum & cœli ex octava domo ſchemata, ob aeris & aquarum mutationem, propter ſitum regionum, quas ortus obitusque ſyderum radiis ſuis variè aſpiciunt, quàm ob ganeam potius & vivendi rationem, qua quotidie vel in dies & momenta horum ſingula variari, & ad deſideria faſtidiaque hominum inflexa adulterari ſolet.

52. Sed nec una ciborum varietas hoc in morbo tantum poteſt, niſi iidem ſimul pravi fuerint atque corrupti, qualis eſſe ferè ſolent regionum Aquilonarium, in primis accolarum

arum maris, & eorum, qui navibus curſum ſuum ad Helicen & Septentriones dirigunt.

53. In quorum colonia cenſentur carnes taurina, arietina, hircinæ annoſæ nimis exſuccæ, permacræ, ad bonum ſuccum generandum deterrimæ: tum quæcunq; veteri rancore ſunt infectæ, quibus termites nonnunquam ætate ingenerantur: adhæc lardum è ſubolidis ſuccidiis, mucidum, ſitu veternoque maceratum, & ita crudum devoratum: piſces lacuſtres & marini, ſale vel multo atro fumo ad Solem, aut frigora paſſi obduratique, Ceu ſunt exſiccati aſelli & ſaliti, âleces crudæ conditaneæ, paſſæ ſive infumatæ, paſſeres Græcis ut & Germanis πλατεῖς nuncupati. Breviter carnulenta & piſculenta edulia pituitea & melancholica, craſſa, viſcida, & quibuscunque ad ſaporem gulæ cœpit ſaltabeſcere, hoc eſt, quæ muria aut ſalſilagine condita ſunt durataque, quæ ſanguine ſuillo ammiſtis ſale & arvina farta & poſtea infumata ſunt.

45. Adhæc corruptum ac inveteratum ſecale, lectum pluvio tempore, neque, ut decet, exarefactum: piſtus inde panis, & tractu temporis mucidus, ſitumque reſipiens; mox nauturatum. biſcoctus (bucellatum Ammianus vocat) ſquaroſus, ater, confuſaneus, id eſt, à furfure & utriculis minùs accuratè caſtratus, inſuper maceratus ſale, & ad Solem arefactus, vel ad perennitatem etiã perfumatus: legumina ſubterraneis in locis fœtidis & uliginoſis repoſita, ſemiputria, vel negligenter recondita atque verſata, vel perperam præparata: Pervetus & rimoſus caſeus.

55. De potuum generibus huc ſpectantaquæ vitioſæ, quarum in dulcium & potabilium penuria uſus eſt. *Potus.* Zythum ſive cerevilia rancidula, fæculenta, diſcocta ex aquis crudis, gravibus, reſidibus aut ſtagnantibus, ingrati & ſaporis & odoris: Vina craſſa & atra, in primis mucida quæ ſunt, pendula, marcida ſive vappæ: in quibus cum odor tum ſapor genuinus jampridem exolevere.

56. Cum eſculentis & potulentis (quæ nomine τῶν διαιτημάτων venerunt) amicè conjurant etiam ἐπιτηδεύμα sive *vita ſors atq; inſtitutum*, *Vitæ genus* iners nempe & deſes vita, ignavum & ſupinum ocium, immodicæ excubiæ, exercitia jugia ac parum tempeſtiva, ſtatarum & ſolennium evacuationum tàm in maribus, quàm in fœminis interceptiones, animorum perturbationes, præcipuè autem cura, mœror, ſolicitudo: quæ univerſa & ſingula inſitum, nobis calorem, primarium concoctionis & ſuperfluorum ſecretionis δημιουργὸν deminuere, crudum & glutinoſum humorem congerere atque coacervare in corpore queunt.

57 Suffragari jam enumeratis & quaſi ſubſidio venire poteſt, ac in multis perſæpè ſolet dyſcraſia viſce-

rum προϋπάρχουσα, *id eſt, primigenia*, in primis Epatis & Lienis, quando videlicet ambo ſimul ſuapte natura νοσερώτερα aut πλαδαρώτερα, proq; carnis ſuæ contextu ad ſuſcipiendũ opportuna atque proclivia, præterea liberaliore ſupervacuæ proluviei attractione adeo inebriata ſunt, ut ſequeſtra eorum virtus, nimia prægravata mole neque ſanguinem defæcare, neque quod vel jam modo oneri, vel brevi poſt detrimento futurum eſt, deſtinare ad convenientia emiſſacula, nedum excludere per eadem potis ſit.

58. Immò illæſis etiamdum beneque moratis viſceribus, & œconomia naturæ ſibi conſtante, neque periclitantibus viribus partiũ principum, ejuſmodi eſculenta & potulenta (quorum hiſtoria ſerie quadam percenſa eſt) ſuo quodam vitio in tãtam κακοχυμίαν, in tàm degenerum ſuccorũ impuritatẽ abire apta ſunt.

59. Hic certè vix diu immunibus eſſe viſceribus licebit, neq; ſeſe ipſa ſatis munire, aut à pravorum humorum contagine defendere poterunt, quin eorum commercio tandem pullulantur, labefacteturq; eorum tàm εὐκρασία, quàm quæ in hac fundamentum habet, εὐτονία, atque adeò ſuam ipſorum integritatem amittant.

60. Neque hîc mihi prætereunda eſt ἰδιοσυγκρασία à Dioſcoride appellata, id eſt, *ſua ac propria cujuſq; natura* ſive peculiaris corporum certo quodammodo conſtitutorum affectus & habitus: Venarum item in viſceribus exilitas, terreum craſſumque humorem non valentium commodè, quorſumque decet, deducere, unde obſtructionis occaſio emergit.

61. Hi nimirum ſunt fontes tàm huberis proventus humoris vitioſi & lutulenti, qui prima in corporis in regione, concavo Epatis, quà exitus portarum eſt, in liene & ad hunc in utriuſque viſceris interveniis ac carne, circa pancreas, ad præcordia & hypochondria, in ſpaciis omnibus his interjectis, alias merus, alias & quidem frequentius pro ratione loci, perfuſus aliis permiſtusque congeritur, qui tum craſſitie, tum lentitia ductus offarcit, focoque concluſis anguſto, calorem ſuſcipit alienũ; cuius ope initio ſolummodo ebullit, mox ni obſtiteris, etiam putret.

62. Utrumlibet horum fiat, cum humor, qui eſt vitio, ἀνομοιομερὴς ſit; diſſimiliumque partium ad alia atq; alia loca nunc ſurſum, nunc deorſum pro ῥοπῇ *ſive inclinatione* ſecedit. Ubi ubi autem ſit, quocunque appulerit ἀνόμοιος eſt, & à natura partium prorſus alienus.

63. Quid? quod eius malignitatis idem met eſt, ut ex ſe pronatum morbum à matre in ſobolem velut per traducem propagat atque diſſeminet. Ecquid enim ſanguis menſtruus (unum de primordiis generationis noſtræ, & altera temperamenti conſtitu-

Scorbutus quandoq; σύμφυτος eſt.

ſtitutionisq; cauſſa, quo nutriri conſtat fœtum toto geſtationis tempore, dum intra arvum genitale matris hoſpitatur) aliud eſt, quàm ſemen quodam materiale ceræ inſtar habens? cuius demenſum in carnes ſive partes ſanguineas, ſicut utriusque parentum ſemina in ſpermaticas & univerſam corporationem fatiſcit.

46. Hic morbus medi is *σύμφυτος*, *coætaneus*, *coævus* appellatur, inde uſque a teneris (quod aiunt) unguiculis quaſi connatus, qui ferè ſolet cum ægro etiam adoleſcere: Aliâs *συγγενὴς congener* velut parente ſatus, tanquam avitum hæredium, liberis à genetrice obveniens: ſiquidem nō minus morborum, quàm poſſeſſionum hæredes liberi parentibus ſuccedunt.

65. Qui in nutricatu poſteà ab infecta matre unà cum lacte inſtillatur, & lactenti (Varro audet alibi ſubrumum appellare, id eſt, *ſub mamma*, quæ antiquo vocabulo rumis dicta eſt) velut immulgetur, *ξυντροφον*, *Latinè connutritum & quaſi collectaneum* non inſcitè nuncupaveris, quaſi interveniente lacte, quod menſtruo germanum eſt, communicatum. Quod enim fuit alterius, id ut fiat meum, neceſſe eſt aliquid intercedere.

66. Ab his poſtea omnis, quacunque ex cauſſa evidente vel cæca latentque quocunque pacto, ſive *κατ' ἐπαφὴν ἢ συναναχρῶσιν per contrectationem, aut corporam contagioſam conjunctionem* proſerpſerit, ſive alio modo, ut ex vitiata complexione & temperamento principiorum, facultatumque ignavia; ſeu ex vitio gentilitio exſtiterit, nominatur *ἐπίκτητος*, id eſt, *ὁ μὴ φύσει ὤν*, verum aliunde acquiſitus & aſcitus.

67. Qui hoc in morbo poſthabitis victus vivendique ratione, ſqualore cœli, aeriſque caliginoſa; qualis ferè maritimorum eſt, craſſitudine, ad lienem plus quàm ſat eſt, attenti ſunt, ii ſuo arbitratu Schorbutum ex tenui & ichoroſo humore cudere audent, nullius, cui iſthac in arena uſque adhuc ſudatum eſt, quod ego quidem ſciam, teſtimonio. *An Scorbutus ab humore tenui & ichoroſo proveniat.*

68. Moti illi mihi videntur inſolentiore, quàm quæ vulgo creditur, aut prorſus etiam aliena lienis provincia, arrogata ipſi primùm authoritate Hippocratis; dein Ariſtotelis: quorum ille *ὕδωρ* & *ὕδρωπα*, hic *ἰκμάδα πελασσὰν* ſplenem è ventriculo, non ſecus, ac bilem à jecore veſiculam libare aſſeverat: Vterque *σύμψηφον adſtipulatorē* habet Aphrodiſæum, cui & ipſi lien aquam affluentius haurit. Sed horum rationes ex uno Hippocratis dogmate ſuſpenſæ & aptæ ſunt. *An lien aquoſa attrahat.*

69. At enim verò ſi authoritate potiùs, quàm rationibus & fide experientiæ ſtandum eſt, en authoritatem authoritati contra pono, interque ſe unam cum altera committo. Hippocrat. *in libro de natura humana*, quatuor humores enumerat, & inter hos melancholicum etiam, non vero aquam deputat. *In libro de natura*

 pueri:

pueri, aquæ nomine tres humores complectitur: bilem, pituitam & ſuccum melancholicum. Sed quid inde quæſo licebit colligere? certè nihil aliud, quam bonum præceptorem dormitaſſe, quemadmodum *in quarto de morbis* cum dicit ſplenem ὕδωρ ἕλκειν εἰς ἑαυτὸν ἐκ τῆς κοιλίας; *in ſe ſugere ex ventre aquam, eamque excolari deinceps in ventriculum & veſicam*, hinc exiſtere σπληνώδεις, quo nihil eſt ἀτοπώτερον.

70. Cæterum quorſum ultrà temporum æquitatem ferimur? in artis principio ſimplex minimeque fallax canities viſcerationum & interaneorum raritate ſe tuetur; quæ magna impenſa poſteritatis, (cujus Hippocrates quodammodo obſes fuit; aucta deinceps eſt, & nobis crevit. Hæ ſunt ſomni illius Hippocratici cauſſæ: unicæ ἀνατομικῶν ἐγχειρήσεων orbitas, & fortaſſis etiam ſterilitas fortunæ. Ibi enim opera vitæ abundant, ubi & præmia; his deficientibus, illa peſſum ſemper iere.

71. Nobis contrà jam ratum hoc eſt ſtatumque, lienem limum ex ſanguine attrahere ſanguinemq; ab eo ſequeſtrare. Huic limo poſtea (ut mea quidem fert opinio) aquæ nomen adoptatum ideo adaptatumq; eſt, quia tanto major ſeri portio cum ſucco melancholico ad lienem deducitur, quanto humor ipſe natura eſt ſqualidior. Deinde Melancholici plurimum exſudant; ſudoribusque largiter diffluunt; laborant iidem

Melancholici ſudant largius &

σιαλισμῷ, ſunt ſcreatores, ſputatores, præterea ſplen κλύδωνα *fluctuationem* ſæpenumero inſtar undarum patitur, penitusque inundat. Hinc eſt, quod Hollerius quoque meminit aquæ è lienis regione ſcaturientis. Quia? quod ὑδροπόταις ſpleneticis ſtatim atque ingurgitata eſt ac pota aqua; aut non ita multo poſt ſubter præcordiis abundè rugitum obſtrepit, intusque obmurmurat. Gabriel Cunatus reperit utriculum quendam proximè ſub liene aquæ plenum; præſertim à morbis diuturnioribus, & in vetuſtatem incidentibus. Hippocrates, 7. *aphor.* pituitam infrà ſeptum transverſum reponit. Quin & nobis in anatomicis exercitationibus triquetrũ ſpacium, quod inter ventriculum, lienem & colon inane interjacet, ſtagnare olim viſum eſt, ſive ſeroſior & aquoſior ichor eò exſudarit, ſeu transſpirans halitus conditione loci ad ingenium illic poſtea revertit.

ſunt ſputatores.

Omenti cavitas.

72. Nimirum his de cauſſis humor, quem Lien ſorbet, aquæ nomen meruiſſe mihi videtur: ſed reapſe tamen interim neque ὕδωρ, neque ἰχμάς eſt. Aliter velis nolis ſplen alimentum ſubcrudum adhuc aſſuget, atque conficiet, itaque contra placita veterum organum erit τῆς αἱματοποιήσεως: Sicut tempeſtate noſtra Veſalius vulgarem Lienis uſum infamando dubium fecit: Et Franciſcus Vlmus medicus Pictavii Lieni γένεσιν ſanguinis tenuioris, quam

quam ſit is, qui in cava circumfertur, hoc eſt, arterialis jam dudum imputare non dubitavit, idque non ſolum propter viciniam cordis, ſed ob granditatem, & numerum arteriarum in illo viſcere; quod iccirco arterioſum à Galeno nominatum eſt.

73. Sed finge aquam in ſplenem ex ventriculo protinus corrivari. Ita neque chylus, neque inde elaborari chymi per venas gracilimas labentur vehiculo orbati ſuo, neque officium nutricatus unquam ritè peragetur, partium reſpublica genio defraudabitur ſuo. Neque uſque adeo infrequens fuerit, vita functorum ſanguinem vi funeſti frigoris in vaſis concreſcere, quem corallii modo fruticantem Fernelius aliquando illinc exemit.

74. Elevant præterea hanc de cauſſa Scorbuti opinionem, victus, loci, aeriſque conditio, ſtatus cœli: Deinde quod autumno morbus incidit frequentiſſimè & divexat: quod è naribus ſanguis manat, non aqua: quod cruentæ ſunt gingivæ: maculæ quibus corpus paſſim obſitum eſt, atratæ. Elidet eandem deinceps ratio curandi, & Pharmaca, quæ certè non ſunt ὑδράγωγα, ſed φλεγμάγωγα, μελανάγωγα, hoc eſt, craſſi ſqualidique humoris ſaburram deducentia.

75. Nec eſt omnino aliud τοῦ ὀῤῥοῦ *ſive aquæ* colatorium, quam quæ ex tribu partium corporis matulæ vim habent; & officium præſtant; nimirum renes, οὐρητῆρες, veſica, eius conceptacula & derivacula peculiaria, per quæ aqua munere quoquo verſus humores perductus corporis vehendi jam perfuncta (ὄχημα τροφῆς ex merito inde appellata eſt) è corpore foras prodigitur atque elutriatur.

76. Huc uſque conſilium fuit Cauſſas Scorbuti ſcrutari, quarum duo ſummo ſunt primaque genera. A quibus enim νοσοῦμεν, & quorum injuria corpus noſtrum impetitur, ea veniunt, naſcuntur, principia cauſſaſq; ducunt, ἢ ἀπὸ τῶν ἐνεόντων ἢ ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, id eſt, aut ab iis, quæ intra ſint, aut ab iis quæ extra inutilia.

77. Debet autem in morbis conſpirans conſenſus, & æqualitas propè fraterna eſſe horum duorum: τοῦ ποιητικοῦ καὶ τοῦ ἐπιδεκτικοῦ, *Id eſt, Cauſſæ efficientis & excipientis*: abſque quibus de natura & exitu eorum ritè & κατὰ λόγον nihil quicquam ſtatui unquam poterit. Hoc fundamentum eſt, hic cardo morborum; immò vero rerum cunctarum, quarum principia cauſſæque non aliunde, quam hinc petuntur. Namque has leges æternaque fœdera Deus impoſuit rebus omnibus procreandis: Neque aliunde quàm hinc omnis comparanda ratio eſt.

διαγνώσεως,
προγνώσεως,
θεραπείας.

SIGNA διαγνωστικὰ ἢ ἀποδεικτικά.

Signa ſcorbuti diagnoſtica. 78. Dioſcorides per eſſe difficile affirmat in aucupio ſignorum, unũ uni veneno vendicare atq; addicere, quod hauſtum guſtatumve certò prodere queat. Id ſtatuendum de morbis pariter omnibus, in quibus perraro liceat unum invenire, quo idea morbi univerſa tàm exactè tàm propriè definiatur, ut non interim in caſtris præſidiisque cæterorum verſari, neque quicquam cum iis commune habere videatur.

79. At enim vero ſignorum communium natura propterea ex aſſe rejici non debet, ſed quod proclive eſt, atque etiam à medicis in hac decuria ſagaciſſimis quotidie uſurpatur, in penuria παθογνωμονικῶν confugiemus ad congeriem ſive coacervationem communium, quæ ab illis συνδρομὴ παθογνωμονικὴ appellatur.

Nãm (ſecundum poetam) *quæ non proſunt ſingula, multa juvant.*

80. Ex his autem alia in media corporis, ubi humor morbific⁹, imò etiam morbus ipſe ſtabulatur, ſtabiliturque, directa ſunt: alia in ipſa ſymptomata in extremis apparentia, videlicet in cruribus & oris partibus penitioribus, præcipuè vero in gingivis, quarum caro cum ſimplex ſit & uniusmodi, & valde tenera, ſanè quam promptè corripi atque corrumpi poteſt.

81. Ineunte morbo confeſtim univerſo in corpore ſenſio eſt gravitatis ac ſpontaneæ laſſitudinis, maximè circa culinam, idque à cacochymia è venis expreſſa per totam compaginem. Etenim mole humorum, qui in vitio ſunt, vires magnoperè aggravari neceſſum eſt. *Senſus gravitatis & ſpontanea laſſitudo.*

82. Difficilis & ægra ſpiratio, pectorisque anguſtia fatigat, præſertim inter laborem, cum movetur aut erigitur æger, aut ad opus ſolitum, vel quodvis aliud ſuſcipiendum gerendumve ſeſe accingit: quippè vix abeſſe unquam poteſt, quin à flatulento humore ſubventaneo diſtentis hypochondriis ratione vicinitatis ſimul phrenes & organa ſpirabilia urgeantur. *Difficilis ſpiratio & pectoris anguſtia.*

38. Sæpenumero univerſo in corpore, plerunque autem in partibus huius, ut brachiis, ventre, lumbis, coxis, inter initia in tergo, opportunitate inſignis venæ, quæ per dorſi declivia decurrit, maximeque in pedibus ſuppullulant maculæ ac ceu efflorеſcunt, redundanti intus humori concolores, efferveſcendoque ad exteriora robore atque contentione natura profligantur. *Maculæ.*

84. Quan-

Epatis & lienis tumor.

84. Quando mali fons & fomes etiamnum circumſcriptus eſt in viſceribus, neque multum ejus in venas effuſum, tum ipſa utrinque velut ſororiari alvino in ventre incipiunt, ſeſeque redduntur majora, præcipuè autem ſplen, qui flatibus turgens, ſanguinisque limo ſatur aliquantum audentiùs protuberat.

Corporis extenuatio

85. Hinc adeo fit, ut ſenſim extenuetur corpus cæterum, benigniore nutrimento ſuccoque alibili defectum, aut hoc ab impuro lutulentoque ſanguine non ſatis defecato: ut Trajanus Imperator fiſcum non illepidè pronunciarit ſpleni aſſimilem eſſe. Ut enim ubi fiſcus ſive ærarium principum locupletatur, populus interim atteritur: ſic floreſcente liene reliquum corpus contabeſcens marcet. Idque fieri ſolere Galenus & Avicennas arbitrantur, propter jecinoris cum Liene συμπάθειάν τε καὶ συντιμωρίαν, qua mutuas inter ſe operas ad ſalutem vel exitium tradunt, & unum alteri ſcabiem (ut in verbo dicitur) affricat ſuam.

Faciei & corporis color.

86. Partium, quæ nimia alimoniæ paupertate aut culpa multum emacruere, aut etiam jam primum cœperunt macreſcere, pallor aſſecla individuus eſt. Pallet autem non ſolùm facies, ſed & univerſum corpus, perinde ut in καχεξίᾳ juſto redditur luridius, florido vividoque exutum colore atque decore. Sæpenumero livet, non etiam nunquam atrore tanquam umbra inficitur, nec eo quidem refluo, ſed fixo ac ſtabili, nempe lurore ad fuſcedinem, quæ in propinquo eſt nigri, de vergente. Eſt enim illud Magiſtri catholicum: τὸ χρῶμα τῶν χυμῶν ἐνικός, *id eſt, color humoribus ſimilis*, quorum magiſterio corpus tenetur.

Appetitus dejectus.

87. Ventriculi facultas ὀρεκτικὴ aliis in vitio eſt, & cibi appetentia εἰς τὴν ζωὴν ἔργον, *opus ad vitam neceſſarium* aliis deficitur, conflictantibus penè perpetuo & nauſeabundo cum faſtidio, & averſione omnis edulii: aliis eadem ſubſtupida eſt: nonnullis contrà illæſa prorſus atque illabefacta beneque habita natura ſtomachi. Et hæc quidem omnia pro diſpari humoris tàm ab epate, quàm à liene in ſinum ventriculi confluentis conditione ſolent contingere.

Hypochondriorum dolor.

88. Hypochondriorum nunc alterum duntaxat, nunc utrumque dolore afficitur, obſcuro illo & quaſi ſepulto: quippe cum à ſublileſcentibus & concluſis inibi flatibus, quibus poteſtas liberè emergendi atque exeundi non datur, vehementer diſtendantur.

Dolores vagi.

89. Nequaquam vero dolor hoc loci perpetuò circumſcriptus veluti inſiſtit, ſed paſſim huc illuc pro licentia oberrans ſua, modò in lumbos & inferiora corporis modò etiam per univerſum corpus, aut

mes-

περιφέρειαν huius imperiosè fines ſuos producit.

90. In priore, qui lumborum tenus porrigitur, lumbi videntur de-*Lumbago.* fracti eſſe, velut his, qui, ut eſt apud Plautum, lumbifragium auferentes elumbes redduntur. Lumbaginem hoc lumbare malũ nominant, cuiuſmodi etiam percipitur ex nimia ſanguinis abundantia in vena magna lumbari, ante exortum exanthematum, bubonum, ſupreſſis in viris hæmorrhoidibus, in fœminis in interclusione menſtruorum, aut his viam ad κάθαρσιν jam affectantibus ac jam jam proruptutis. Omnes hi ὀσφυαλγέες *lumbi queruli* ſunt.

91. Alter dolor per ſumma corpo-*Arthritis.* ris, maximè vero junctarum aliàs cum, aliàs ſine tumore, nunc κατ' ἶξιν modo ἀνάπαλιν vibratu quodam momentaneo licentius diſcurrens, & obvia queq; tanquam γελφόμεν@ id eſt, *quibuſdam vel ut uncis quodam modo vellicans lancinansque* ut plurimum mentitur arthritidem, atque ideam leviſſimę reſolutionis plerunque ſecum coniunctam habet.

92. Quin etiam λειποθυμία ἢ λειπο-*Leipothymia.*ψυχία multos inceſſit calore ſpirituque obtritis, ut ferè aſſolet in affectionibus melancholicis: quo tempore ſunt quædam dolorum quaſi induciæ, ſpiritibus intro ad caſtrum cordis ſeſe ſubducentibus, ut ſpeciem doloris minus queant effigiando repræſentare.

93. Si humor peſſum ſua gravitate iverit, quoniã natura φυσσωδέστερ@ *Varices.* eſt, *flatibus, gravidus*, venas in itinere inflat, extremasque propagines earũ glomeratim obtorquet, *id eſt, in varices convertit*, quando flatus foràs non exit, ſed perenni ſcaturigine à cruditate ſubſiſtit.

94. Alvus nõnullis præparca & quaſi collapſa ſiccior: Contrà quibusdam *Alvus ſicca, fluida.* natat ſic ſatis fluxa atque morigera. Humeſcere autem excrementisque liquidis rapidè & multum ferri ſolet, ex impotentia coquendi ea, quæ aſſumuntur, tum iis quos ſæpe animus, aſt per intervalla tamen in hoc morbo linquit, humoribus, qui ſpiritus regimine deſtituti, ſibique ipſis jam permiſſi ſunt, undique in alvum ſuopte impetu confluentibus.

95. Lotium fæculentum apparet, *Vrina.* perinde acid, quod neque dum reſidit, neque inclaruit aut cuius ſedimentum à fundo conturbatum eſt, plerumque ante colore vini rubri viſitur, eiusmodi ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον Schorbuti χάραγμα, *id eſt, luculenta & inſignis nota* eſſe ſolet.

96. Pulſatus micantium arteria-*Pulſus.* rum talis, qualis eorum, quibus quartana moleſta eſt, ſed qui tamen pro ratione virium, & morbi tempore, formulam ſubindè evariet ſuam, debilis, exilis, durus, frequens.

96. Quod ſi præcordia σφηνώσει *Febris.* *fractu obſidioneque* vigente ob loci anguſtiam æſtu incanduerint, concluſa materia intus, tanquam in fervente

foco,

foco, oboritur febris πρὸς χεῖρα ἢ ἁφήν, id eſt, ad manum & contactum mitis, errabunda, nulla neque typorum neque periodorum certitudine.

Periodi ſcorbuti. 98. Frequenter Schorbutus ſuas habet periodos, quibus viciſſim & ſolvitur, revertit quaſi κατά τίνα κύκλον *per curriculum ſive circuitum* redux, aliàs quartanum, aliàs quintanum, nonnunquam ſeptimanum, in nonnullis de tertio in tertium recrudeſcit, in quibusdam quotidiè & in ſingulos dies citrà manifeſtam febrim, etſi interim conſtat febrire nõ paucos. Ordo typorum, quibus intenditur & remittit, quemadmodum aliarum affectionum typos imitantium, non eſt aliundè, quàm ab humoris qualitate & conditione, modò hunc, modò alium motum impetumve ſortiente, evidentem quidem & manifeſtum, ſiquidem fomes aliquis putredinis acceſſerit. Adhæc humor nunc merus eſt, nunc aliis temperatus, quem in formula ſeu regula motus dein exhibet ac repræſentat.

Nota τῆς ϛομακάκης.

Nota ſtomacaces. 99. Cum caro gingivarum natura ſua mollior & ob textũ σομφώδεϛέρα *ſpiramulis plena perviaque* ſit; tàm icchωribus, quàm editis inde roſcidis vaporibus in ζέσει ab impuris viſceribus vi caloris infernè exæſtuantibus perfuſa, ſanè quàm promptiſſimè adimpletur, atque iccirco in humorem laxum fluidumque exſurgit: quæ Hippocrati ſunt οὖλα, & cum adiecto Galeno οὖλα πλαδαρά, *gingivæ madore laxæ uvidæque.* Paulo πλάδους οὔλων appellare viſum eſt.

100. Sed & venæ τῆς ὑπογλωσσίδος, *partis linguæ ſubjacentis*, & præter has finitimæ, quibus inferius labrum reſperſum eſt, ſanguinis plenæ turgent. Documento color eſt, cuius atrore, tanquam umbra, libium tingitur, ob multitudinem vaſorum circumjacentium, colorationis afferentium opportunitatem.

101. E veſtigio tum gingivæ prurire incipiunt, ſive humor retorridus, putris ac ſalſus, aut ichωr huius ſimili imbutus qualitate per ſe acris ſit, ſive per contagionem aliunde propagatus, aut intus diutius cohibitus, caloreque alieno pręhenſus, acrimoniam in loco uliginoſo poſtea acquiſierit. Hi ſunt ὀδαξισμοὶ *prurigines gingivarum.*

102. Carnem gingivarum, quæ Heſychio inde nomen adepta eſt, quod vel cuivis obnoxia iniuriæ ex levi patiatur, (οὖλον namque τρυφερὸν καὶ ἅπαλον *tenerum delicatum valdè* exponit) humoris acrimonia exeſtatque exulcerat: Quæ græcæ nationi ſunt οὖλα διαβεβρωμένα, ἢ εἱλκωμένα, & ἀνάβρωσις οὔλων, *gingivæ ulceratæ.*

103. Eſt ubi gingivæ præ nimia luxurie ſaturiateque humorum, aut vaporum ſurſum ebullientium diffluentes adeo gliſcunt, ut immodicam alluviem inundationèmque jam amplius continere nequeant. Proin hiſcunt, & vel leniſſimo ſcalptu attrituvè

attrituvè fatiſcentes rimas agunt. Vitium illud Teutonum vulgus privatim vocat Acfeley/ nomine, ut ego quidem opinor, ex Egley depravato. Etenim gingivæ more hirundinum (Egeln Germani appellant) ſaniem ſanguinemque potant, eoque jam ſatiatæ atq; ebriæ ſupra modum turgent.

104. Utrumvis horum acciderit, ſeu gliſcant gingivæ, ſeu exuvium ipſarum hiſcat, cruentantur, ichωremque αἱματηρὸν jugiter ſalivant tàm largè ubertimque, ut in dies ſingulos excipiundo ei aliquot heminæ vix ſufficiant, οὖλα αἱμασσόμενα ἢ αἱμοῤῥαγοῦντα, *gingivæ cruentæ* inde appellantur, quibus nomen αἱμάτων Hippocratis adaptare haud fas eſt, quando glandularum ſalivæ uberē cruenta tabe ſolummodo delibutæ ſunt gingivæ quàm aſſiduè deſpuere ſaluti eſſe ægrotantibus infrà indicabitur.

105. Præterea carunculæ, quibus dentium maceria ambitur, pene uſq; ad os mandibulæ, quacum dentes utrinq; per gomphoſin coarticulati ſunt, non rarò exputiſcentes putroreve corruptæ abſcedunt. Qua injuria dentes deformiter detegi atque nudari contingit.

106. Labentibus inde diebus laxata dentium compage, aut horum gomphoſi luxata & quibus firmiter hactenus nixi ſunt, radicibus nimio madore perrigatis dentes vacillare jam incipiunt adeoque labefactari, ut è loculamentis vel ſponte defluant, vel nullo negotio eximi ac velut enumerari queant.

107. Inter hæc dentes decorem coloris, hoc eſt, *nativum & genuinum candorem ſuum* exeunt, ac prorſus nigreſcunt, quandam velut ſyderationis ideam præferentes atque ementientes, quę peritioribus etiam nō rarò ſolet imponere, cum interim ſola duntaxat ſuperficies eorum ab humorum fuligine fucata ſit.

108. Putredo carnis gingivarum nonnunquam etiam gangræna tanto major exiſtit, tantò gravior, quantò interiora oris humectiora ſunt, & tam ciborum molitione atque prælapſu, quàm nidorum & anathymiaſεως è ventriculo velut foco coactionis emergentium mole fœtidius ſordidata. Quæ ſunt οὖλα ὑπόφθορα, *gingivæ ſubcorruptæ*, mox etiam γαγγραινούμενα, *ſyderatæ*.

109. Putredinem fœtor animæ in ore tanquam perpetuus aſſecla comitatur, δυσωδία γὰρ τῆς σήψεως σημεῖον *fœtor putredinis & corruptelæ augur indubius*, & fœdi odoris ipſa mater eſt. Sicut enim à pepaſmo rerum ſuccidarum εὐχύλων, naturæque εὐπροσφόρων id eſt, *conſocialium*, ἡ εὐωδία eſt: ſi contrà ab earundem corruptione atq; putredine, tum etiam à permiſtione τῶν κακοχύλων, ἡ δυσωδία. Hinc ςόματα quoque δυσώδη. *Oris fœtor.*

110. Non aliunde raro & vis contagii (quàm alii συμπάθειαν, *id eſt, ut ſic dicam compaſſionem, aut conſenſum*

fortaſſis

fortaſſis appellare mallent) in hoc morbo, quam ex humorum putredine deduci poſſe videtur, abs qua cõtagium proſſus ἀχώριστον eſt. Nec enim mali ſeminarium ab uno profectum dimanare latius, aut affluere participariq; alteri ad transſumptionem ejus ἀναλογίαν ſeu ἐπιτηδειότητα aut σύμβολον habenti niſi intercedente illa unquam poteſt.

111. Cæterum ſuper hac re exactiorem peragere cenſurã nunc quidem nobis conſilium non eſt, neque etiam operæ fuerit, rei nondum ſatis explicatæ naturam καὶ τὸ διά τι diſquirere. Satis nobis ſit hoc ex Floro conſtare, ἐπαφὴν καὶ συναναχρῶσιν ἔχειν τινα φαινομένην πάθους ἀρχήν, *id eſt, contrectationem & contagioſam corporũ conjunctionem* (quæ in Schorbuto in oſculis mutuis, poculorumq; commertio conſiſtit) *Principium & originem morbi evidentem habere*, Sed hoc quaſi extra oleas.

Compago genarum rigida.

112. Nonnullis ex obſtinatione & pervicacia oſcedinis hoc etiam non raro contingit, ut cardo oris, in quo gena inferior ſub via audiendi vertitur, non aliter atque compago genuum obrigeſcat, indeq; os ſtrictiùs conniveat, quo minus in rictũ queat ingenuè diſpandi, ſqualido terrenoque humore in juncturam illam & hujus vincula, quibus maxilla inferior aurium radicibus affirmata eſt, quæque motum liberum & expeditum cardinis modo maxillæ largiuntur, altius imbibito atque infercto. Non fit autem hoc impune, neque ſine ſenſu doloris, quem ipſa τάσις in articulo & nervaceis corporibus ipſum circumdantibus excitat. Quã diu autem dictæ partes à ſqualido ſucco obſeſſæ, eoq; inebriatæ diſtenduntur, tam diu fere dolor ſolet perſeverare, exacerbari vero inter manducandum & dum oſcitamus, partibus ob rigorem & impotentibus ſui, & motus impatientibus.

113. Eſt hoc ſymptoma quidem rarius, neque à quoquam, quod ego quidem ſciam, obſervatum uſq; adhuc: ſed quod tamen uſu ſoleat accidere, ac metipſe deprehenderim ſemel atque iterum, non ſine deformitate & pronunciationis *diſpendio diu* poſt reſtibile.

Nota τῆς σκελοτύρβης.

Signa ſcelotyrbes.

114. In ſcorbuto pleriſq; ex infirmitate genua labant, iccirco ἐπ᾽ εὐθείας erecti obambulare ægri, tametſi hæc exercitatio maximè κατὰ φύσιν eſt, ęgrè poſſunt, ad quasvis operas inertiſſima ſegnitie pigreſcentes, & vel in uno, quod dicitur, clivo ſudantes.

Crurum rigiditas.

115. Crura leviter iiſdem obrigeſcunt, crudore *id eſt, ſucco gravi & terreſtri* ſeſe in compagines artuum & vincula furtim inſinuante, ac fibrillas muſculorum, è quibus ipſi tanquam è primo ſtamine conflati ſunt, quæque tandem in tendines collectæ deſinunt, largiter perfundente: cujus appulſu dominatuque contrahi aliquantulum ipſa neceſſe eſt.

116. Rigorem hunc ſimiliter dolor excipit, initio gravis ac velut abſtruſus, at non tamen interim planè obſcurus, quippe qui in ſuræ tibiarumque muſculos, nervorum gratia benignitateq; afflatos, & in finitima alia nervacea corpora ſeſe penetrat, ac vel à quovis exercitio ſoleat multum atque multum adeò exaſperari.

Paralyſis. 117. Non raro crura quaſi reſolvuntur, quæ occaſio fortaſſe fuit authoribus, ut σκελοτύρβην εἶδος παραλύσεως, aut παράλυσίν τινα indigitarent, quam nos ex Plinio ſolutionem compagis in genibus audebimus interpretari. Nec enim omnis motus hîc deperditus eſt, neque ſenſus crurum prorſus abolitus, ſed uterque ſibi utcunque etiamnum conſtat, in mollioribus præcipuè naturis & pueris: Licet in gangrænoſis ulceribus, ſenſus adeò nonnunquam obtuſus ſit, ut ne quidem inflictum ferrum, neque admotum pyroticum ſive cauterem percipias.

Maculæ. 118. Paſſim emergunt in femoribus & tibiis σπίλοι *maculæ* ſummam fœdantes cutim, quæ principio erubeſcunt floridæque ſunt, qualia ferè à nuperis pulicum morſibus in cute remanent ςίγματα. Verum tractu temporis vel decoloratæ flavent, tanquam in iis, qui vibicibus cæſi ſunt, vel intenduntur ac ſaturatiores evadunt, puta blavæ, plumbeæ. Tandem viteſcunt, livent, & ut in Elephantiaſi σκιώδεις ἢ ζοφώδεις, *umbroſa* fuſcantur & ad nigrum tendunt. Atras ab illis vix dinoveris, quæ in ægris mortis jam jam imminentis præſagium ſunt. Omnes concolores ſunt humori ſubter cutim ſtagnanti, eiusque ideam repræſentant. Color eſt dominantium & exhuberantium ſuccorum, non deficientium Galeno.

119. Solent eiusmodi lituræ ſive maculæ nonnunquam in quaſdam veluti ſquamulas aſſurgere atque reſolvi, quæ à cute non aliter, quàm in Eryſipelate, humore tenuiore & ſqualidiore ſtrictim corticatimque excutiuntur.

Tumor Crurum. 120. Nonnullis crura molli tumore, laxo, pituitoſo, ſed minus dolenter, velut in hypoſarcidio, grandeſcunt, humore magis impetu ſuo, quàm naturæ ductu ad inferna corporis devergente, & ſigna ponente cachexiæ incipientis. Quemadmodum ergo ima crura prima omnium totius compaginis refrigerantur: ita quoque in paupertate caloris vitalis, perinde ut in phthiſicis, ab ejuſdem νεκρώσει intumeſcunt, non quidem ἐυσαρκίᾳ, ἢ σαρκῶν αὐξήσει, *carnium ſucciplenarum & ſolidarum acretione*, ſed quodam tumore καχεκτικῷ.

Atrophia. 121. Contrà videas quibuſdam ita gracileſcere ſæpenumero eadem, ut ſolummodo cute intecta eſſe, & vix oſſibus hærere arbitreris, ſuperveniente præſertim ἀτροφίᾳ, in qua ob labefactatam naturam œconomiam corporis alimenta cótingit corrũpi.

122. Si

122. Si quis tumorem preſſiore tactu exploret, pro ſuffuſi humoris natura mollis percipitur, rariſſimè cum renixu, immò vero ſtatim ſubſidit, foſſulamq; velut in farina aquæ ſubacta, aut impreſſi digiti veſtigium poſt ſe aliquandiu relinquit, donec inde conſurgat atq; impleatur, membro genuinum vel certe album colorem uſque ſervante.

123. Quibus tibiæ & corpora earum habitudo genio defraudata ſuo liquantur & contabeſcunt, neque aſpredinibus aut ſquammulis obſitę ſunt, iis ferè ſolent eadem ſplendicare, intenta nimium cute.

124. Unitate partis à ſubter erodente humore, vel inde genita ſanie pureve, vel ab alia corruptela ſoluta, ulcus ſuccedit tetrum, malignum, & quod cicatrice difficulter integi ac muniri queat, Chironium atque Telephium ex argumento appellatum.

προγνωστική.

Prognoſtica. 125. Schorbutus ejus eſt indolis atque ingenii, ut non celeriter hiſtoriam ſuam abſolvat, neque ægros præcipitet: ſed ut plurimum trahat, diu duret, & ſolvatur ſerò, idque ob humoris, unde exiſtit, cõtumaciam, qui & in movendo piger ſit, & temperamento frigidus, & ſubſtantia lutulentus ac limoſus. Quare ſicut nõ niſi longo tempore in corpore acervatur: ita remediis etiam optimis & opportunè adhibitis minus obedit. Ex facili tamen ſaneſcunt, quibus ſola ſufficit diætæ mutatio: reliqui ſecùs.

126. Huic ergo præ cæteris obnoxii erunt, quotquot craſſis & fæculentis ſuccis ſcatent, præcipuè qui in dominatu ſunt nigri humoris, qui ſanguinis limus eſt, atque quodammodo ipſa fæx, eumque inde à prima uſque nativitate exaggerarunt, huberemq; fecerunt illius proventum. *Qui ſcorbuto magis obnoxii.*

127. Mox quibus calor inſitus ſeu ſponte natura, ſeu morbi vehementia elanguit, naturalisq; œconomia labefacta eſt, id quod ex vitiata hæmatωſi, indebita, excrementorum ſequeſtratione, prava concoctione ſeu nutritione deprehenditur. Naturæ enim œconomia conſiſtit, & abſolvitur digerendo, ſive coquendo, diſcernendo, & ſuperflua maturè expellendo 1. *aphoriſm.* 11. *comm.*

128. Tum ille quoque, qui impensè capiuntur cibis craſſis, frigidis, crudis, viſcidis, & in penuria recentium, piſcibus & carnibus ſub divo, Sole aut frigore duratis, ſale ſuffituque maceratis, pane non probè piſto, mucido ſitumque reſipiente, & hoc genus aliis ſuccum craſſum ac glutinoſum, naturaque ſua pravum generantibus. A lautitia victusque elegantia hoc morbi genus ferè exſulat.

129. Præterea accolis maris Baltici, aut qui hoc tenus converſantur, perquam familiaris eſt Schorbutus, tum inter hos iis, qui naviculariam, aut in navibus operas mercenarias conductitiasq; faciunt, & imprimis verò qui ſentinant. Breviter quibus

 in

in mari negotia ſunt, & merces aſſiduis commeatibus ultro citroq; feruntur.

130. Qui item muris adhabitant frigidum exhalantibus, aut inquilini ſunt uvidarum ædium aut fornicum, teſtudinum (intra coaſſationes enim ſive tabulata, Olao teſte, morbus ſolet miteſcere) qui cæcis & obſcuris in carceribus ſive ergaſtulis atque gurguſtiis, iisdemque peranguſtis, quales ſunt cellulæ monialium, diu detenti fuere.

131. Qui ægrè & vix tandē ac nuperrimè convaluere diuturnis hactenus morbis exerciti, ac fatigati. Quin enim vitiis laborant eiusmodi, ut reſtituta utantur valetudine, non ſecus ac ſenes affecti ſunt: eſtque longus morbus inſtar ſenectæ. Utrobique corpora frigeſcunt, altera decurſu annorum, altera languore.

132. Adulti magis parati & obvii, quàm crudi adhuc & vix pueritiam egreſſi, vel qui in flexu conſiſtunt pueritiæ: in illis morbus imperiosè regnat ætatis merito: in his caloris nativi ἔκλαμψις, *id eſt*, *lumen* magis emicat, ſeſe potenter & efficaciter exerit, morboque è huius ἐφόδῳ obnititur. Quare hoc morbo multò ſalubrius defunguntur pueri ſecuritatemque ſalutis conſequuntur, vel quibusvis morbificarum cauſſarum telis aliàs expoſiti.

133. Multò graviſſimus ſenibus eſt, & quibus affecta jam ætas aut propè acta eſt, πεμπέλοις.

——— *qui capite obſtipo deſigunt lumina terra*:

quos Hippocrates affirmat longinquitate morborum divexatos, plerunque iis ξυναποθνήσκειν, *commori*, quibus idcirco exacta via fruſtrà, quod dici ſolet, viaticum quæritur.

134. Mulieres magis obnoxiæ ſunt viris, cùm quòd inſitus calor ipſis interior ineſt, tùm quòd in earum corporibus multum fæculenti humoris ipſum prægravantis acervatur. Secus fieret, ſi Parmenidis ſententiam ſtandum eſſet, cui mulieres calidiores ſunt, privilegio ſanguinis, in quo calor eſt, copioſioris, quo ipſo non aliter atque ignis in foco lignis ſuſtinetur. Excipiuntur hîc γυναῖκες ἀῤῥενωποὶ Ariſtoteli appellatæ, quæ igniculos jaciunt viriles, viragines tum ſatæ, quando viri ſemen in fœminæ jus habet, illudque vincit.

135. Inter mulieres præter cæteras crebrius & vehementiùs corripiuntur ἄφοροι, *per impotentiam excipiendi & concipiendi virile ſemen* ſteriles, & quibus purgamenta menſtrua, ſeu ſponte naturæ, ætatisq; decurſu, ſeu diuturni mœroris inveteratione, ſeu denique alia de cauſſa antè diem ſubſtitere, eaque propter jam amplius, quantum quantum in ciundis menſibus operæ navetur, γυναικωθῆναι *id eſt*, *muliereſcere*, aut ad muliebritatem ſive naturam muliebrem, quæ in menſtruali purgatione eſt, revertere nequeunt, præſertim autem ſi ſanguis veluti commutata velificatione

tione ad viſcera parteſque nutricias jam pridem remigraverit, eorumq; officia labefactârit. Contrà res habet cum iis mulieribus, quæ more reſtibilium agrorum fructuoſæ ſunt, ἐπίφοροι nominatæ.

136. Adhæc quibus nuperrimè enixis deeſt λοχία κάθαρσις id eſt, non aquarum uterinarum, ſive puerperialium, quæ dum fœmina parit, in locis muliebribus ſtagnant, & partus jam futuri prænunciæ ſunt, quæ inter τὰ γυναικεῖα recenſentur & ipſa: verum earum rerum exinanitio, quæ graviditatis tempore à nutricatione atq; alimonia fœtus manſerunt ſuperſtites, interimque derelictui habitæ ſunt, quas per locos menſtruis temporũ circuitibus naturæ priùs conſuerat expurgare.

137. Inter viros, qui animos gerunt muliebres, ἄρσενες θηλυκοὶ Philoſopho & ἀῤῥενόθηλεις *maſculofœmini* nuncupati, quique vitam mollius & inertius, *id eſt*, *in otio* tranſigunt, neque habent corpus & artus exercendi conſuetudinem præ cæteris multò frequentius ab hoc malo impetuntur.

Quo tempore magis oriatur.

138. Per ἀνομαλίαν Veris & Autumni Schorbutus maximè obrepit, autumni in primis, qui mutuo caloris & frigoris imperio admodum inconſtanter & turbidè regitur, & præſertim craſſi & melancholici humoris dominatu tenetur. Etenim ab intemperie calida & ſicca æſtatis præteritæ tenuior bilis, & ſeroſior humorum portio exſudavit, ſuperſtite craſſiore, cum paupertate caloris nativi pariter & cruditate, quam αἱ ὀπῶραι pariunt. Quo nomine eadem anni pars etiam quartanarum, & hoc genus aliorum morborum chronicorum, quam cætera, feracior & fæcundior eſt.

139. Quod ſi malè morata viſcera cacochymia, aut pravis humoribus ſaturentur, aut epar vitiosè ſe habeat, res ægrotantium hoc in morbo peſſum eunt. Nec enim tonus duntaxat viſcerum acciditur, alimenta etiam proba bonique ſucci contaminantur; ſed ipſum παρέγχυμα *viſcerumque ſubſtantia* diſſolvitur: quod quidem diſcrimen improba victus ratio in immenſum augere & confirmare potis eſt.

Schorbutus hæreditarius.

140. Schorbutus ſive hæreditarius ſit, à parentibus in embryonem prima conformatione propagatus: ſive ex labe aliqua juris gentilitii contractus, ex vitio complexionis & temperamenti, & principiorũ facultatumque ignavia, atq; exſolutione, quemadmodum hoc genus alii morbi συγγενεῖς: ſive per contagium aliunde aſcitus ſit, & σύντροφ☉ ſtatim à pueris adoleverit, cuiusmodi morbi ἐπακτοὶ ἢ συναυξεῖς ſunt & appellantur, unà cum ætate ſimul nati, viresque eundo acquirentes: Ille ergo admodum difficulter, nec niſi adhibita curatione accomodatiſſima profligatur, neq; vix quidem unquã ſtirpi-

ſtirpitus, quin aliquod ſui relinquat veſtigium, ſæpeque reſtibili malignitate ſuppullulat, neque rarò in totas familias diſſeminatur.

141. In hoc morbo, ſi ingraveſcat, aut tractu temporis confirmetur aut malè etiam percuretur, ægri plerunque ſolent ex vetuſtate hydropiſcere, idque διὰ τὴν ἀποτυχίαν ἢ τῆς αἱματώσεως ἔργȣ, *ob fruſtrationem ſive alienationem operis ſanguificandi*, ex hepaticæ functionis impedimento, cui ſuccedit ſeri, pituitæ, flatuumq; perēnis generatio. Hinc poſtea diverſæ illæ hydropum formæ, quarum dicta fruſtatio irritaque contentio viſceris in opere faciundo, id eſt, *in ſanguificando*, veluti matrix quædam eſt. Nec enim fieri poteſt, quin vitioſa materia ebriatum viſcus obrutumq; nimiopere refrigeretur, oppreſſo calore ipſi inſito.

142. Progerminat inde quoque καχεξία μελαγχολικὴ, quoniam fæculentus humor remigratione ad viſcera, & ad Epar autem in primis, tanquam ad ἰκμάλεον fontem & originem gratioſi humoris, ſanguineæ maſſæ confunditur, neque idoneè repurgatur, ſed per tubulos & vaſorum in totam compaginem corporis, & partium huius rempublicam univerſam diditur ac diſtribuitur, non ſine ſalutis diſcrimine. Idem enim planè eſt, καχεκτικὸν eſſe, quod genio defraudari, & βιὸς abſq; victu ἀβίωτος eſt, & amore flammæ paſtu orbatæ ſuo interire tandem ſolet.

143. Flatulentam Melancholiam parit minera Schorbuti, ſiquidem circumſcripta ſedibus hypochondriorum in liene, maſaræo, circa pancreas ebulliat, ac (quod non raro uſu venit) putreſcens veluti fermentetur. Inde namque atra tetraq; ἀναθυμίασις exiliens arcem mentis petit, tenebrasque animæ ſpiritui ſolet effundere. *Flatulenta melancholici.*

144. Quod ſi à putredine circum viſcera, & oborta inde febri Epar inſuper impendio inflammetur, oppidò abunde tum bilis gignitur, quam fluxus inferi alvi abdomine contenti plerunq; conſequitur. *Fluxus alvi.*

145. Si intra pulmones clàm caniculos egerit Schorbuti materia, eorumque cavernulas (alii appellant ventriculos) inferſerit, diſpnœnam, *id eſt, difficultatem ſpirandi gignit*: Si ibidem calore circumventa alieno, & ſui gubernatione deſtituta putruerit ferbueritque paulò diutius, pulmonem exeſt atque exulcerat, niſi indidem expurgetur. *Difficultas ſpirandi.*

146. Quibus ςρόφοι & ventris tormenta partiumque circa umbilicum labores continentes acceſſerint, iis adimitur ferè expectatio vitæ, ſpesque medici retrò ſublapſa refertur: Et tales rarò mortem effugiunt, dummodo alia quoque prava ſigna ſe adjunxerint: quæ & ipſa ſpectare oportet, abſque quibus manus ægris ſoli illi vix afferunt. *Ventris tormina.*

147. Inter tergeminos dolores, (quorũ in cenſu διαγνωστικῶν ſigno-

rum

rum meminimus) ille qui ad lumbos & ilia deſcendit, τιὼ ῥοπιὼ, inclinationem denuncians humoris vitioſi, diuturnior eſt, altero affligente hypochondria. Uterque autem ſtabilis eſt, & uni defixus loco: Contrà vagus ille, qui per ambitum corporis artuumque compagines latentibus cuniculis, vix ſenſu notabili viciſſitudine atque pernicitate ultrò citroq; diſcurrendo aurigandoque ſeſe diffundit, indubitata ſoboles materiæ vel ſpiritalis, vel ἰχωῤῥοειδοῦς pravæ atque malignæ, cuius prærogativa ſicut rectè tractatus citò ſolvitur, ita facili momento repetit atque redintegratur.

148. Schorbutum febres anteeunt nunc ardentes & malignæ, nunc quæ ſtatis circuitibus revertunt reduces, tertianæ vel quartanæ, ſimplices aut compoſitæ, confuſæ aut implicitæ: adhæc quæ vel perperam curatæ, vel omnino etiam poſt habitæ atque neglectæ ſunt.

149. Eſt ubi quartana eundem è veſtigio conſequuntur, idea morbi in illum quaſi commigrante, idque κατὰ μετάϛωσιν per tranſitionem, cum nempe à quiete Schorbuti quartana protinus ſubnaſcitur.

Prognoſtica ſtomacace.

Προγνωστικὰ στομακάκης.

150. Abſceſſus gingivarum, niſi malignitatis aliquid & ſitum in profundo habeant, quemadmodum rumpuntur citiùs, ſic minore quoq; negotio nulla aut exigua carnis jactura perſanantur.

151. Caro gingivarum quaſi in fugum inutilem ſupra modum luxurians multum arguit in foco ſubeſſe materiæ, quæ partim ob infirmitatem, partim ob receptionis opportunitatem eò exſputatur atq; emungatur.

152. Si livor cœlum, *id eſt, partem oris ſuperiorem, fornicis in modum cameratam*, & inprimis autem faucium penitiſſima obſederit, ſignum id funeſtum eſt, & vita in ancipiti, ac mors præ foribus. Etenim tàm malè audit livor, ut ſemper nativi caloris internecionem ſpiritusque interceptionem præfiguret.

153. Caro gingivarū σαπρὰ μυδῶσα ἠσεπομένη (*quam corruptionem recentiores gangranam dixêre*) ſive inchoata ſit, ſive jam omnibus numeris abſoluta, niſi maturè depaveris, ſerpendo ſubindè latius finitimam carnem ſinceram contagione ſua attinget, eamq; ambedendo ad oſſa uſque diſſolvet atque conſumet: quod omne vivens conſortis mortui impatiens eſſe ſoleat. Inchoatam μελασμὸς *nigredo* notat, abſolutam vero νέκρωσις, *ut ſic dicam mortificatio ſive morticinium.*

154. Inter utranque hoc intereſt, quod in altera carni gingivarum, quæ occæpit ſolùm γαγγραινοῦσθαι *ſyderari*, à gangræna autem *id eſt, corrupta perfectione* adhuc abeſt, neoteriſmus induci poteſt, cauſſa melaſmi fortitudine naturæ, aut artis dexteritate expulſa: altera inducta jam privatione prorſus inſanabilis eſt.

155. Pueris niſi ætatis ſuæ merito & privilegio roboreq; naturæ, quoque ſuffulti ipſi ſunt caloris nativi ſplendore, mali labem abs ſe repulerint, oſcedo propter humiditatem & debilitatem corporis, calamitatem ferè plerunq; affert in poſterum difficulter emendabilem, & ad mortem ſæpe fatalem, ſiquidem pravitate durata fuerit.

156. In effæminatis, mollibus & teneris corporibus ſemper plus poteſt vis contagii, quæ in uvida uligine conſiſtit, quam quæ τῇ ἀφῇ transfunditur.

Genarũ coarctatio. 157. Coarctatio genarum ſive aſtrictio propria eorũ eſt, quibus Schorbutus aut σύμφυτος *hæreditarius* eſt, aut ξύντροφος *alumnus*, quibus item à puero familiaris aut quotannis redux, unâ cum ætate pervicacius adolevit. Inceſſere autem hæc præter cæteras teneram ætatem potiſſimùm ſolet, eò quod nervacea & membranea artuum vincula etiamdum ductilia ac veluti cerea magisque ſequacia in iis ſunt, & vel quibusvis injuriis ob flaccorem & mollitudinem obnoxia. Adulti δυσπαθέστεροι reſiſtunt magis, malique vim atque impreſſionem citiùs evincunt.

158. Talibus ex conniventia oris, mandibularumque rigore, etiam explanatio in pronunciando magna ex parte vitiatur, itaque oblæditur, ut priſtinam gratiam prorſus amittat: quippe qui more Gileaditarum apud Hæbræos, aut Suevorum aut exſibilantium plerunque ſolent literæ S aſpirare, adeoque lenitatem pronunciandi aſperare.

προγνωστικὴ σκελοτύρβης.

159. Lituræ crurum lividæ aut nigræ, quemadmodum in morbillis & lenticularum febrium maculis (quæ minutula ſua ſpecie puncticulæ, atque luxata voce periculæ. Italis petechiæ dicuntur, pulicum culicumvè, qua parte illi momorderint, aut hi pupugerint, ſeu κεντήματος ſeu στίγματος atque veſtigia repræſentantes) pernitioſæ ſunt, & cæteris omnibus deteriores, quando & hæ ſuam quandam & efferam malignitatem habent.

160. Maculæ, quæ viciſſim & efflorescunt & obſcurata evaneſcunt protinus, vana ſpe lactant medicum imperitum, dubium naturæ cum morbo duellum ſive conflictum ſignificantes. Quæ repente & παρὰ λόγον abſurdeque ita abeunt, ut nihil ſui foris relinquant, vades ſunt naturæ dejectæ, metuendumque, ne humor in hac palindrome *ſive refluxu* in partem aliquam impingat principem, inq; ea veſtigium ponens ſuum, tandem exitio ſit.

161. Quod ſi maculæ aut potius papulæ, quibus cutis ab infecto ſanguine per venas crurales diffuſo; & κατ' ὦσιν ad venulas cuti ſuffixas expreſſo obſita eſt, in ulcera degeneraverint, nonnunquam inducto ſtupore obtundunt partis ſenſum, ac penè abolent, perinde ut in

ἐγχυμώσει

εὐχυμώσει uſu accidere ſolet, in qua venæ exſuccantur, & partes in quas illæ ἀναστομοῦνται, *oſcillis ſuis dehiſcunt*, ſugillantur.

162. Crurum ulcera inveterata θηριώδες τι præ ſe ferunt, & velut in rabiem acta longè lateque ſerpendo depaſcere, & depaſcendo ſerpere, ut ſi qua alia conſuevere, atque idcirco Chirone aut Telepho, id eſt, *benigno & propitio numine* indigent.

163. Oedematoſus & flatulentes tumor in cruribus hoc nomine diuturnior plerunque eſſe, minusque promptè diſcuti ſolet, quod ratione ſitus ipſa primùm gravem ſanguinem excipiant, quem tàm præ nativa intemperie frigida, ex ſpiritus caloriſque paupertate, longioreque à nativi caloris fontibus, principatuque vitalium facultatum diſtantia, quàm præ adventitia altera, ex propinqua cruditate unica τῶν ἐμφυσημάτων matrice, omnino nequeunt mitificare. Et hactenus de ſignis. Nunc & de morbis cognatis.

164. Ex hac ſignorum percenſione ſimul Schorbutum morbum ab ictero nigro, ab hæmatite volvulo, à magnis Lienibus, Scirrho & inflammatione Lienis, â grandine deniq; quibus cum commercium habet, internoſcere, ſimul ipſa ſymptomata, utpote oſcedinem ab oris putrilagine, σκελοτύρβην, a reſolutione & λορδώσει diſparare haud difficile fuerit, dummodo quid eorum quisq; ſuum habeat & proprium, accuratè dijudicetur.

165. Principio multos invenias hodie, minimè dubitantes aſſeverare, Schorbutum eundum eſſe cum nigro Ictero: Sed perperam. *An ictarus niger ſit ſcorbutus.* In nigro Ictero (quem Galenus reſpectu alterius fellei, nunc μελάντερον, nunc quemadmodum & Aretæus, à ſede natali, ἴκτερον ἐπὶ σπληνὶ appellat) nato ab oppresſione ſplenis, anima gravis eſt, gingivæ exeduntur, infernè craſſa eſt lingua, ut & ſubjectæ ipſi venulæ, utræq; etiam nigræ tetrum ab ore reſpiratur: hulcera in cruribus cicatricem ægrè recipiunt, & ea nigra eſt: aſſunt tarditas ad ſolitum opus, & quodlibet aliud gerendum, difficilis exſudatio, & alia hoc genus, quę cum Schorbuto ipſi communia ſunt.

166. Præcipuè verò illa & propria arcuati nigri ſunt τεκμήρια: Color circa faciem niger, & maximè partes velut in umbra occultas: oculi virore pallidi, ſeu (ut Plautus) herbei: guſtatus ſubauſterus & amarus, ſtercora ſubnigra, modò etiam porracea ubereque bile fucata, & magis, quàm decet, ſaturata, aut æmula coloris in chalcanto: frigus in toto corpore, nulla febris, nulla vis contagii, qua ab uno in alterum analogia quadam poſſit derivari atque traduci.

167. Cumq; ægreſcens lien Epar neque repurget ab impuro lutulentoque ſanguine, neque redun-

dantiam ſolito more deponat, fæx ſanguinis quoque verſus ἀπεριχεάπλως in cutim ambitumque corporis diſpergitur, unde corpus univerſum redditur decolor, Aretæo μελάγχλωρον, *quaſi fuligine felli ammiſta infectum.*

An volvulus hæmatites ſit Scorbutus.

168. Videamus ſi Schorbutus ſit ab Hippocrate Volvulus Hæmatites, *id eſt, cruentus* appellatus, ſub cujus nomine Langius autumat Schorbutum non tantum delineatum, ſed & nativo penicillo, & veritatis (quod dicitur) coloribus depictum eſſe.

169. Preſſis ab hoc volvulo affirmat Hippocrates ex ore malè olere, gingivas à dentibus abſcedere, è naribus manere ſanguinem, aliquando etiam ulcera pullulare ex cruribus, & de his alia ſaneſcere, alia emergere. Hactenus ambo morbi, quos ſub incude verſamus noſtra, & quidem in plurimis conveniunt. Sequens utroſque invicem abs ſe diſtinguit & ſeparat longius. Addit enim Hippocrates, ægrotantes eſſe ad deambulandum & laborandum nihilo ſecius interim promptos atque expeditos.

170. Anutio Fœſio, locus Hippocratis mendi nomine ſuſpectus eſt. Dodonæus etiam notare auſus fuit virgula cenſoria, negandi voculam, nullo in codice repertam hactenus, intergerens. Ita namque legit in libro de internis affectionibus: περιφοιτῆν δὲ καὶ ταλαιπωρέειν οὐ πρόθυμος: idque genuum diſſoluta compages in Plinio dictari ipſi videtur.

171. Quid alii faciant plus quàm ego habentes animi, equidem nihil moror in præſentia. At mihi vel audere, nedum attentare idemmet religio ſit, qui per ſuaſiſſimum habeã, Hippocratem (ut quidem loquitur) tanta fuiſſe benignitate, ut nihil ſciverit, quod nos neſcire voluerit: tanta ſolertia, & ſapientia, ut nemo poſt eum ſciverit, quod ipſe ignoraverit, atque idcirco ad ipſum tanquam ad tribunal quoddam veritatis merito nobis appellandum eſſe, qui tàm fallere, quàm falli neſciat, teſte Macrobio.

172. Eſt quidem hoc non diſſimulandum, quandoque bonum illum Magiſtrum ceſpitaſſe, præſertim in anatomicis, quorum fides tantum non capite deminuta videtur, & vero ridenda in his conatus atque induſtria: tum in illis quoque, quæ non πρὸς ἔκδοσιν ad editionem elucubrata ſunt, ſed velut ὑπομνήματα quædam ἐνδιφθέραις τε καὶ πινακιδίοις *adverſaria, in exuviis ſive tabellis opera tumultuaria* exarata ab ipſo atque inventa: E quibus Galeno etiam in tam fœcundo ſeculorum beatitate, tam ſecundo ſcriptorum flumine, vix ac ne vix quidem ſenſa authoris eruere, nedum omnes ſcrupos in tàm brevi & contorto dicendi charactere diſſolvere licuit. Ad enim hæc eo non pertinent, ut minxiſſe in patrios cineres velim, aut notandam exiſtimem diligentiam veterum,

rum, quæ vel temporum æquitate ſeſe poſſit ſuſtentare.

173. Ut maximè vero iſtud quidem auſim, aut velim etiam caſtigando experiri, quod alii: hac tamen cenſoria ſeu animadverſione, ſeu notatione haud quaquam id aſſequar, quò rei ſatis fiat. Etenim de maculis, quæ ſugillatis non diſſimiles ſunt, apud Hippocratem altum eſt ſilentium, quibus hodie ſeſe oculis intuentium Schorbutus repræſentat: qui certè cardo cenſori ipſe quoque vertendus eſt.

174. Langius meo quidem judicio è geminis volvulis Hippocratis, primo nempe & tertio, Schorbutum multo rectiùs & expreſſiùs cõflaſſet, immutatis ſolum notis, ſi nempe loco τῆς προθυμίας in hæmatite, addidiſſet ex primo τὴν τῶν σκελέων βαρύτητα, καὶ τρομὸν ἐν τῷ περιφοιτεῖν. Eſt enim quædam atque magna adeò in ambulatione difficultas ac tremula, in utramque partem totius corporis vacillatio, velut alternis pedibus inſiſtentium, aut conſcendentium magnos clivos, quæ eſt Galeni ἀδυναμία ἐν τῷ περιπατεῖν ἐπ᾽ εὐθείας, adeoque ſolidum ἐκμαγεῖον ſive ſimulacrum germanæ σκελοτύρβης. Quo pacto tamen aliquantulum audentiùs ab Hippocratis ſententia deflectitur.

Splenes magni an ſint ſcorbutus. 175. Cæterum ad ſplenes ſive ad ſplenes plenos & magnos nunc porrò digrediemur, Schorbutum propius aliquanto aſſimulantes, quibus Cappadox leno apud Plautum quaſi zona cinctus ambulat, & geminos in ventre habere ſibi videtur filios. Quin enim lien directus erat, præ nimio tumore divaricatus, & ut ſic dicam, in crucem actus.

179. In his Hippocrates, & quotquot ipſum ſecuti ſunt, ſcribit gingivas malas eſſe, putreſcere, & à dentibus defluere, os & animam graviter olere, ſanguinem aliqua ex parte prorumpere: quorum ſi nihil eveniat, aliquem in cruribus tumorem eſſe, aut ulceribus ea ſcatere, quæ vel omnino non ſaneſcant, vel certè vix cicatricem, & nigram eam atque indecentem recipiant: in intenta denique ambulatione curſuque dolorem & quandam difficultatem eſſe.

177. Hinc nihil occurit, quod dictos morbos unum ab altero diſparet aut divellat præter lituras quibus crura laborantium Schorbuto plerunque inſignita ſunt ac ceu literata, quas ſub colore corporis μολυβδοειδεῖ *plumbeo* (quem Hippocrates tertio lienis morbo, Cælius Spleneticis aſſignat) comprehenſas latere, vero admodum conſentaneum eſt.

178. Simul ac vero majores venæ ναυσιώδη quadam gravem ſanguinem abs ſe in tenues exileſque emunxerit, ſolet ille ſub cute, in quam venulæ capillorum ritu diſperſæ ſunt, primùm auſterius nigricare, mox vi caloris extenuatus rarefactusq; plumbi more liveſcere: ut ſit μολυβδώδης color idem lividus, à regione quaſi

λιϐυκὸς, quem πελιδνὸν Græci, in venarum ex ſuccationibus ſeu ſugillationibus admodum conſpicuus. Sed maculas & earum colorem ad finem reſervabimus.

179. Qui in ſcirpo nodum dictionum aucupio nimis quàm anixè quęrunt, ii in illo ſecundi prorheticῶν: *Quibus magnis in ſplenibus neq; ſanguis aliqua parte prorumpit, neq; os olet, eorum tibiæ ulcera prava habent, & cicatrices nigras:* malunt copulæ (&) disjunctivam (aut) ſubſtituere, emendatrice conjectura, emendationem conjecturalem relinquentes.

180. Atqui ne huic loco opem ferre viſum nobis eſt, ne in ſalebra adhærendum, vel juncta in ſtructura verborum fortè luxanda eſſent, quãdo palato Celſi, viri univerſæ naturæ prudentis atque conſulti, & Hippocratis interpretis nequaquam inſciti ſapuit, qui erga prorheticum Hippocratis perinde ſe geſſit, ac debuit, aphoriſticamque illam ſententiam ad verbũ de Græco expreſſit: cujus veſtigiis hoc libentius inſiſtimus, quod cicatrix ulcerum clauſula ſit, & quoddam (ut ſic dicam) ſigillum, neq; caro vel vulnere, vel ulcere ſaucia ſine cicatrice redintegrari, quemadmodum neque fractum os, niſi interventu calli ferruminari aut coire unquam queat.

181. Si σπλῆνες ſunt Schorbutus, ut ſanè ipſum proximè referre, vel paullum oppido inter ſe uterq; differre videntur: credibile profectò eſt, credibile, Galeno tàm non ignotum fuiſſe ipſum, quàm inter Hippocratea nihil omnium: quippe qui σπλῆνας excellentiæ nomine à præceptore nuncupatos, in 3. aphor. 22. μεγάλους commentando interpretetur: quod quidem ut quidvis aliud confeſſum eſt atque teſtatum, deque eò planè conſtat, inter ſe ambos ἀνθομολογεῖσθαι *conſentire.*

182. Poſt Hippocratem inter Græcos Strabo Geographus memoriæ prodidit, exercitum Aelii Galli Rom: ad Album pagum in Arabia Stomacace & Scelotyrbe laboraſſe, ex aquarum & herbarum quarundum uſu. Paucis indè annis poſt Plinius conditor naturalis hiſtoriæ, quẽ toti Græciæ tutò opponimus, in eadem ſententiam velut interpoli opera ſcripſit, idem uſu veniſſe in Germania, caſtris trans Rhenum à Germanico Cæſare promotis, idque ob potum aquæ dulcis ex fonte tractus maritimi. *An Græcis fuerit notus ſcorbutus.*

183. Ab utriusque ſententia Galenus ætate poſterior ne transverſum quidem unguem, ſiquidem à nominibus diſceſſeris. Affirmat ipſe in 2. libro περὶ φύσιος ἀνθρώπ: hauſtu aquarum infectarum omnem penè militum exercitum ſimiliter afflictum fuiſſe, qui eodem loco caſtra eſſent metati. Quem ad locum ſeſe poſtea refert in proœmio hiſtoriarum Epidemiarum, idque memoriæ proditũ fuiſſe ait, accidiſſe in caſtris. A quonam vero proditum quæſo, præter-

quem

quem à Strabone & Plinio, in quorum hiſtorias digitum videtur quaſi intendiſſe, qui utroque eſſet multo poſterior?

184. Minimè deeſt hujus ſententiæ ſequeſter. Namque authoritate Galeni motus deinceps, quin etiam nomen mutatus ab eo eſt Olaus Magnus Gotthorum Archiepiſcopus Schorbutum ex argumento Caſtrenſem morbum indigitans, *lib. 9. cap. 38. & lib. 16. cap. 51. de Septentrionatibus regionibus.*

185. Cæterum ne ad aras Galeni ſacramentum dixiſſe videamur exiſtimabit de hiſce, ut quisque volet: meo enim arbitratu licebit, cum ſint in dexteriore conjectura poſita, quibus eò tetendi, atque hoc adeò intendi, ut ad mortalitatis fructum & utilitatem transferrem ſingula & univerſa, deque ſtudiis noſtræ artis (quæ Democrito τῆς σοφίας ἀδελφὴ καὶ ξύνοικος *ſapientiæ univerſæ ſoror ac contubernalis eſt*) quam optimè vel mererer in præſentia, vel ſaltem exiſtimarer pro virili mea adhuc mereri velle.

186. Quid? quod Galenus (ad quem liber ἰατρικῶν ὅρων refertur) non tàm ex ſuo, quam Strabonis ſenſu, iisdem penè verbis Schorbutum, vel genus huius definiit. Utcunque enim appelles εἶδος παραλύσεως, an vera παράλυσίν τινα perinde eſt, neque magnopere intereſſe videbitur.

187. Reſtat unus adhuc nodus perquam difficilis, expediundus & ipſe nempe quod ſymptomatum in Schorbuto convenientium alterutrum duntaxat in magnos lienes cadit, idque pro diſpari humoris morbifici συστάσει καὶ ῥοπῇ. Alias enim λεπτομερής, alias, παχυμερής eſt: ille levitate ſui in altum enititur ad gingivas ἀνάῤῥοπος: hic gravitate contrà deprimitur, & ad infima devergit crura κατάῤῥοπος. In Schorbuto idemmet ἀνομοιομερὴς utroque verſus poteſt incitari.

188. At enim neque hoc eſt perpetuum. Eſt ubi prægreſſa larga αἱμοῤῥαγία liberalive ſudore, pars tenuior in Schorbuto diſſolvitur. Eſt rurſum ubi peccans humor nimium ſereſcens ad gingivas exundat univerſus. Sæpenumero altius intùs condita mali radix nequidem ſeſe profert, ut in ſenibus, idque caloris ignavia, materiæ atq; digeſtionis hujus penè inexpugnabili contumacia, anguſtia meatuum, textus cutanei ſpiſſitudine, tranſpirationis interceptione. Atq; idcirco in talibus hoc malum non raró nobis divinandum fuit, neque tamen profligatum unquam niſi iis, quæ Schorbuti quaſi alexipharmaca eſſent. De quo quidem ſatis ſuperque in præſentia, ne quæ jamdudum comprobavit experientia hoc tempore diſceptentur.

189. Quid mirum ergo in Splenibus quoq; utrunq; ſimul aliquando ſi contingat, nimirum & ora graviter oleant, & crura ſcateant ulceribus? Neque hoc in copia ſucci melancholici.

cholici, & alicujus ſolennium evacuationum ſuppreſſione abſurdum aut præter rationem fuerit: ut veritas ejusmodi decretorum aphoriſticorum non tàm reſtringenda, quàm amplianda potius, & de conſilio Galeno ὡς ἐπὶ τὸ πλὺ *magna ex parte* τῆ ῥητῶν *dictionis figura* præ ſe fert: licet res ipſæ non ſemper eodem modo, ſed interdum etiam aliter, quamvis σπανιωτέρως eveniant. In commento 58. ſexti aphoriſmorum.

190. Pleraque Schorbutus & Scirrhus lienis communia inter ſe habent, ut oris gravedinem eroſionem gingivarum, crurũ tumorem quem Celſus addit, ἀθυμίαν in intenta ambulatione, inque curſu dolorem: Aſt in Scirrho lienis inflammatio anteivit, deſit febris lien eſt κατάῤῥοπ☉. Quod ſi epar εἰς τὸ κακὸν συμπμωρῆ lieni allaboret, ferè ſemper aquæ cutim ſubeuntes colliguntur. Schorbuti propriæ ſunt maculæ, genuum item & interdum genarum quoque contractio.

191. Inflammatio ſi ſub læva hypochondriorum parte pervicacior ſit, pauloque diutius fatiget, in ſcirrhum plerunque degenerat. Quo temporis articulo deſinit febris, quę prius erat continua: Schorbuto febris contrà errabunda eſt motus & reverſionis planè inconſtantis. Adhæc dolor conquieſcit, quippe cum σκληρώματ☉ indubius augur ſit ἡ ναρκὴ καὶ ἀναισθησία, *id eſt, ſenſus quidam torpens*, phlegmone perfrigerando nimium ſtupefacta. Interim remanent diſtentio, tumor, ſaxea duritia.

192. Grando peſtis in genere ſuum peculiaris & capitalis eſt, quadam tenus iis aſſimilis puſtulis, quas Græci ἐκθύμματα ἢ ἐξανθύματα & à rotunditate ſui ſchematis κεγχριώδη, aut (ſi modo, ut quorundam experientia videtur aſtruere, ex incandeſcentia ſanguinis ſeu ebullitione gignitur) ἐκζέματα, ἐκζέσματα, ἢ ἐκβράσματα ſolent nuncupare: paſſim in univerſo corpore velut palans, inprimis autem conſpicua in amplitudine oris, ad linguæ radicem, faucium penetralia, ad debiles axillarum inguinumq; regiones, in dorſo, feminibus, cruribus, ad excarnia loca ſuffraginum, in lardo, inteſtinisque carnibus, non aliter ac margaritæ in carnibus oſtreorum exiſtunt, proprio folliculo ſepta atque concluſa, viſcidaque intus albugine referta. Verum de tota cauſſa ſententiam ferre videtur quæſtio ad finem adjecta. *An grando ſuum ſit Schorbutus.*

293. Oſcedo & putrilago oris, quæ quibusdam febribus familiaris eſt, prima quidem fronte cognatæ atque ὁμοειδεῖς eſſe videntur, non ſunt tamen reapſe, ſed multum abs ſe invicem κατὰ τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον *majoris minorisq; ratione* differunt. Etenim putrilaginis cauſſæ leviter duntaxat preſſæ & ſuperficietenus impreſſæ, fugaces, minusque calamitoſæ ſunt: Oſcedinis contrà fixæ firmiterque

ſtabiles,

ſtabiles, altiùs inſidentes. Neutra malignitatis exſors eſt: at oſcedo tamen plus ejus poſſidet, in qua mollitudinem raritatemque gingivarum ſæpius tandem contingit ſyderati.

Paralyſis ſcorbutica. 194. Jam reperire eſt non paucos, qui autument temporibus Strabonis & Plinii σκελοτύρβην pro paralyſi habitam, uſúq; captam eſſe: ſed malè illi quidē meo judicio. Nec enim tàm παράλυσις eſt, quàm inſtar ejus aliquid, & ὡς παράλυσις, *quaſi, reſolutio.* Hinc illæ deminuendi vim adeptæ voculæ apud Strabonem παράλυσίς τις, in authore med: definit: εἶδος παραλύσεως, ut ſi adeo Scelotyrbe impropriè nominata paralyſis, vel καταχρηστικῶς *abuſione vocabuli*, perinde ac ſi dicas παραλυσιῶδές τι, aut quiddam ἀνάλογον *finitimum* reſolutioni, quam ſolummodò mentitur Scelotyrbe, item non ſolidè exprimit: quippe quæ non in nervis, ſed nerviformibus corporibus, compagines genuum genarumque vincientibus fundetur. Nulla igitur illa uſu capio.

195. Hoc aliorum judicium eſto, Langius Straboni, Galeno, & qui utrunque interpretatur, Plinio vim fecerit, nec ne, dum Scelotyrben detorquet ad fontes Hippocratis τῶν ῥευμάτων, quæ prono decubitu à capite per declive ſpinæ delapſa irruunt vel διὰ φλεβῶν *per venas*, vel quocunque ſanè itinere ἐς τὸ μύελον *ad ſpinalem medullam*, aut ἐς τοὺς σπονδύλους *ad verticulos ſpinæ.* Super quibus conſulatur liber de glandulis, & de locis in homine.

196. Si namque eo loci, quo corpus noſtrum bifidum fieri, inq; duo σκέλη *crura* nominata dividi occipit (diviſionem hanc priſci διχάλαν appellarunt) inferna pars umbilico ad imas uſque pedum plantas, & obſtructione nervorum ſeu ſyderatione relaxabitur, ut æger neque crurum neque veſicæ, aut ventris officio potens ſit, morboque invaleſcente interdum præter arbitrium mejere & egerere cogatur, ſuperna corporis parte interim in vigore ſubſiſtente, nervisque per univerſi trunci molem illæſis.

197. Quòd ſi ita eſſet, ne Galenus nos etiam haud immeritò rideret, tanquam ineptos & præpoſteros medicos, luporum more circa puteum chorum agentes: qui reſolutis cruribus ob aliquem affectum, eam ſpinæ partem, quæ lumborum regioni ſubeſt, infeſtantem, ſatageremus inaniter ſumpta opera cruribus opem ferre, neglecta interim ſpina. *lib. 15. locorum patientium cap. 7.*

198. Cæterum hactenus: ne inimica inſectatio hæc eſſe videatur. Plinius hanc litem videtur dirimere, ſolvi affirmans compagem non totius cruris, ſed medii duntaxat, id eſt, genuum. Unde illa poſtea πρὸς τὸ περιπατεῖν ἀθυμία *ad deambulandū impotentia* conſequitur, & conſequatur neceſſe eſt, propter quam ægri motu non prorſus orbati, ſed præ-

pedito eo perturbatoque uno latere alteri acclinato incedunt, corpus nō ſurrigunt, neque attollunt pedes: ſed ut aſſolet in acclivibus itineribus poſt ſe trahunt, aut in partem utranque toto corpore titubanter inconſtanterque vacillant: non nunquam ut in toto corpore & plumbea affectione corporis prorſus ad pedes delabuntur. Senſus utcunque ſibi hîc conſtat, excepto quo ulcera in cruribus in vetereſcente malo κακοηθῆ *peſſimæ indolis ac moris* evadunt, ut ne quidem cauteris impreſſionem interdum perſentiant.

199. Etſi autem hoc diſſimulandū non eſt inter initia ob humoris peſſum euntis copiam crura nonihil in tumorem flatulentum attolli, partesque circum ea laxas molleſque tangentibus, perinde ut in paralyſi, occurrere, quæ inde mollificatio barbaris eſt nominata: protracto tamen malo paullò diutius muſculi & tendines genuum tibiarumq; motibus præfecti, aliquantulum tenduntur, non etiam nunquam poples quaſi obrigeſcens contrahitur, ut ſarcinatorum in modum ægrotantes ingredi cogantur.

Λόρδωσις Lumbago. 200. Λόρδωσιν quod attinet, ut maximè ſymptoma ſit magnorum lienum, inq; ea, velut interdum in Scelotyrbe, ſpina nonnihil oblædatur, & qui cum hac conflictantur, crurū impotentes ſint ſuorum incipiantq; λορδοῦσθαι *delumbari*, neq; ἐπ' εὐθείας erecto ſtatu valeant incedere: adhæc ut ſumma crurum in hac quoque lituris paſſim obſita ſint, & utrunque ſymptomatum λόρδωσις pariter & σκελοτύρβη eadem ex ſtirpe, diæta videlicet φαύλῃ καὶ φλαύρῳ, aere item uliginoſo & ſqualido oriatur: tamen λόρδωσις propriè gibboſitas eſt infrà phrenas, à catarrho crudo & albumineo, cui humor melancholicus φυσώδης *flatibus prægnans* ammiſtus ſit, primum pronata: qui è cerebro per declivia dorſi ad lumborum ſacrique oſſis vertibula ſenſim ſtillatimque præcipitatus, ſpinam ἐς τὸ πρόσω atque introrſum cum pectoroſa quadam oſtentatione vitiat diſtorquetque: ut ſic τὸ λορδὸν ex adverſus oppoſitum τῷ ὑβῷ, ἢ τῷ κύφῳ. Cumque ex guttali ejusmodi obſtructione nutricatus œconomia in inferioribus partibus intercipiatur, tabes exiſtit, quæ præceptori inde φθίσις τῆς νωτίας indigitatur, τοῖς νεογάμοις καὶ φιλάγνοις, nuperis ſive *novellis maritis, naturæ limites tranſeuntibus, & ſi qui præter hos ἄζυγοι illicitæ veneris exercitio ac libidinibus nimio plus indulgent*, perquam familiaris: quos conſtat ex intemperantia iſtiusmodi ſeu lumbifragium, ſeu lumbaginem non rarò aſportare.

201. Huc uſque reſervare libuit maculas, quibus corpora Schorbuticorum, crura autem frequentiſſimè fœdantur in quorum indagine novam rationem nequaquam ambitioſè, & bona cum aliorum venia inibimus. *Macula.*

202. Diſco-

202. Diſcolores maculas in Scelotyrbe haud ſcio an ſub uno *μελασμάτων, ἢ πελιωμάτων ἢ πελιδνωμάτων* *livorum & nigrorum* genere auſim comprehendere. In quorũ colonia cenſeri poſſe videntur ἐξανθύματα & ἐκθύματα omnis generis ςίγματα nævi vel notæ ingenitæ, σπίλοι, & quæ in utero ex terrore panico, aut fruſtrato rei deſiderio contrahuntur, μυτροκηλίδες

——— *victuraq; corpore puncta.*

mortalibus inuſta à Diabolo indubia abſurdiſſimi illius in primæva matre appetitus ὀψώνια.

203. Sanguis profecto eſt, qui è vaſis in ambitum corporis relegatus in maculas effloreſcit: Sanguis eſt peniculus ille & graphis in natura. Embryonis, quæ matris æmula & velut ſimia fœtus in arvo genitali ſignat, & litteratos efficit, inque ipſis umbram rei, cujus abſurdo deſiderio mater anxiè tenebatur, aſt compos fieri nequibat, exactè delineat.

204. Vernaculus color ſanguinis quatuor humoribus intra vaſa confuſi, ruber quidem eſt floridusque, ſed quem alieno in loco permiſſus ſibi ipſe exuat, ac protinus nigreſcat: ut videre eſt in exſuccationibus, quæ ſunt ἐκχυμώματα, ὑπώπια *ſugillata*, ὕφαιμα, unde & materni nævi μελάσματα κατεςιγμένα & πελία Dorienſibus, ἢ μέλαινα τοῦ σώματος ἐπιφάνεια appellantur.

205. Quod cum ita ſit, ut eſſe ſanè fides experientiæ comprobat, unde mihi quæſo diſpar illa & πολύμορφος in maculis varietas? unde tot diſcrimina, tum aliis in exanthematibus, tum vero in maculis tibiarum, quæ ἐν τοῖς σκελοτυρβομένοις effloreſcunt, à quibus omnis ratio & certitudo προγνώσεως videtur dependere?

206. Verum ut conſtet & teſtatum fiat unicuique quo in cardine res vertatur, in ſanguinis colore ἀκρόν τι primùm ſtatuendum eſt, ad quod ſanguis ſubterfuſus cuti gradatim ac ordine quodam quà accedit, quà recedit. Hoc ἀκρὸν atror eſt. Sed in acceſſu receſſuque medii colores viſuntur, aliàs dilutiores, aliàs ſaturiores, perinde ut ἀπ᾽ ἀκροῦ abſunt aut propriùs, aut longius. Ut enim ſenſim atror ille in acceſſu intenditur: ita viciſſim in receſſu à ſummo pedetentim remittit. Vtrinque gradus interſunt, innumerique colores tanquam medii intercedunt. Principio ſanguinis vivido rubet colore: poſt magis ac magis nigricat fucaturque plenius. De hinc ſucceſſivè decoloratur iterum ac velut exoleſcit, uſque dum naturæ contentione & robore cuti prorſus concolor evadat.

207. Permulta autem hoſce colores variant: nempe idea ſanguinis, demenſum ſive modus ejuſdem, qualitas atque conditio, ut ſi ſit uſtus, aut non uſtus: Mox σύςασις ſive conſiſtentia. Craſſus enim ſaturum repræſentat colorem, idem ſereſcens contrà magis dilutum.

Ut nihil interim dicam de ſubventaneo intra venas flatu ſive vapore, cujus diverberatu rareſcerens ſanguis dilutiores reddit maculas: nihil item de colore cutis ægrotantium, quæ & ipſa multum atque adeò multum evariare lituras ſolet. Etenim in nigra cute, quadam nubila triſticia fuſcantur: in incarnato ejuſdem ſeu roſeo colore rutilant vividiores & nitidiores.

208. Et hinc colophωn inſtitutæ diſputationis eſt de maculis, in quibus verſandis putandiſque accuratiorem aliorum commentationem longiùs ire poſſe confido. Mihi ſecare placuit hanc glaciem, mangonia pandere naturæ, atque adeo fungi.

——— *vice cotis, acutum.*
Reddere quæ ferrum valet exſors ipſa ſecandi: quicunque ſane genius ſorsq; ſtudii hujus noſtri futura tandē ſit. Semper odi ego τὸ ἰδιοϐȣλευἶικὸν, & quod ſibi quisque ſapit, odere intelligentes multi alii: τὰ ὁμολογȣ́μενα præſtant de quibus inter omnes ævi convenit.

CURATIO.

209. Omnis doctrina, & quæ à ratione ſuſcipitur ſuper aliqua re inſtitutio, ad finem quempiam, quò referuntur, & cuius cauſſā facienda ſunt omnia, debet contendere, cunctis iis quæ præter eum præeunt, antiquiorem, *hoc eſt, facultatedignitateque potiorem.* Hoc nomine munus atque officium medici, quod eſt appoſitè ad ſanandum curare, priorem locum jure obtinebit.

210. Atqui finem hunc nemo ritè, ac ut decet, ἐμμεθόδως, ſive ratione quadam, quam pollicetur noſtræ artis profeſſio, unquam aſſequetur, niſi qui εἶδ☉ pariter & ἦθ☉ *naturam & indolem* eius morbi, cujus curationem molitur, quandoque univerſum corpus, quandoque in republica partium unam pluresve occupantis, exquiſitè cognitam atque perſpectam habuerit. Quare quæcunque ad agnitionem Schorbuti facere videbantur, ea curationi duximus præmittenda eſſe, ſuper quibus penſum abſolvimus, haud ſcio an non nimium diu verba etiam fecimus.

Diæta.

211. Quicunque autem mentis aciem in ſcopum curandi dirigit, illi prior Diæta eſt, primarius atq; præcipuus medici ſcopus: poſterior cōveniens remediorum applicatio. Diætæ nomine venit non ſolùm lex victus, conſiſtens in eſculentis & potulentis: ſed inſuper omnis vitæ ratio vivendique modus, quem quis in cunctarum rerum uſu ſequitur. Ad quem pertinent ſomnus, vigiliæ, Venus, balneum, exercitatio, ocium perturbationes animorum, & ſi qua ſunt alia, quæ quovis modo fiunt in corporibus mortalium. *Diæta.*

212. In formula totius victus principio ad duas deſpiciendum intentiones:

tiones: quarum una eſt δύναμις τοῦ κάμνοντος *vis ſeu robur ægrotantis*: altera κατάστασις τοῦ νοσήματος *morbi conſtitutio*. Vires ſolius naturæ morborum medicatricis, quemadmodum lucis lumen, teſtes omni exceptione clariores ſunt, quarum conſervatio in maxima medentis cura atque clientela eſſe debet, quibus amiſſis nihil amplius ſalvi ſit. Schorbutus morbus χρόνιος *diuturnus* & ſic ſatis pervicax eſt, nec cita morte funeſtus.

213. Inſtituendi victus in Schorbuto diſciplina hæc eſto. Habere ipſum oportet ante omnia facultatem extenuandi, incidendi, detergendi, ἐκ διαμέτρου contrariā cauſſæ morbum committenti, cui adverſus etiam præſtitutus æquè ſtudeat naturæ, ac pugnat cum morbo.

214. Aer calidus ſit & ſiccus, qui puritate ſubſtantiæ nutriat, lucis cādore ſerenet, Qualis enim inſpiratur aer, ac circum fuſus tranſpiratur, tales omnino ſint in corporibus mortalium ſpiritus ac ſanguis neceſſe eſt. Utroque vita hominum, ſicut oleo flamma, ſuſtentatur.

215. Cibus requiritur εὔχυλος ἢ εὔχυμος καὶ εὔπεπτος, *id eſt, boni ſucci, & alendo corpori idonei, tum quoque facilis concoctu*, contractus ac preſſus, minimeque indulgens: cui præter dictas facultates ineſſe etiam debet ποιότης συπτική, & hac quidem in gratiam viſcerum ancillantium concoctioni, cujus inſtrumentum propriū ac primarium eſt calor nativus, quē adeo non pauperant aſtringentia auxilia, ut potius tuendo accurateq; ſervando in corporum penetralibus probè focillent atque inſtaurent. *Cibus.*

216. E juſculis conveniunt pullaſtrorum gallinaceorum, pipionum, carnium bubularum: jura è vino, è cerevifia lupo ſalictario probè condita: cremor ptiſanæ, quem Horatius ὑποκοριστικῶς ptiſanarium videtur appellaſſe. His uvæ paſſę & Corinthiæ, coma anethi, hyſſopum, raphanus ſylveſtris, thymus, ſatureja, roſmarinus inferbuerint, præſertim ſi tibiæ vel lituris contaminatæ ſunt, vel ſubtumidæ. *Iuſcula.*

217. Jura ipſa jurulentaque ſapore acidulorum, atq; auſteriuſculorum, ſuccorum interdum imbui oportet, quibus dejecta, in nonnullis etiam collapſa appetentia in malè habita natura ſtomachi excitatur, humores ſupervacui reprimuntur atque horum ipſorum vis, fervor, & acrimonia obtunditur ac conſopitur, denique ſi qua adeſt putredo febrilis coërcetur.

218. Ex condimentis propriè ſic dictis ſive aromatibus probantur Cinamomum, Caſia, Zinziber, macis, nux moſchata, crocum: per quæ gratia afflatur eſcis, robur autem viſceribus conciliatur τὸ πλαδὸν *flaccor* membrorum corrigitur atq; emendatur. *Condimenta.*

219. De carnibus præter cæteras apprimè uſui ſunt juvenes ſubrumorum, *id eſt lactentium* agnorum, hædorum: *Carnes.*

dorum : Mox hinulorum, carnes menſtruæ vitulorum, trimeſtres ju- vencorum, vervecum maximè anni- culorum. De domeſticis volucribus pipionum columborum , gallina- rum pullaſtrarum ſive novellarum, chortalium item ſeu in chorte nu- tritarum, gallorum veteranorum & ſeneſcentium : Ex ſylveſtribus, gal- linarum, betulacearum, phaſiani, perdicis, avium montanarum, gal- linaginis ſive ruſticulæ (Schneppa noſtris vocatur, Græcis σκολόπαξ) cujus caro in deliciis menſarum da- pibusque heroum locum habet. Præterea turdorum & galeritarum carnes, fartæ cum baculis junipe- rorum. Carnes aſſari convenit cum ſucco malorum aurantiorum in veru ipſis impreſſo atque immulſo.

220. Inter piſces ſaxatalibus ſum- Piſces. ma dos, qui in petroſis promontoriis & ubi ſaxa ſunt, aut in rivis glareoſis deliteſcunt, quorum alimentum nō tantum ad coquendum facile eſt, verum etiam hominum corporibus ſalubre, ſanguinem mediocris conſi- ſtentiæ, neque tenuem nimis aut aquoſum, neque vehementer craſ- ſum generans.

221. Pultes ex polenta avenacea & Pultes. hordeacea fiant, decoctæ cum juſcu- lis, vel cum aqua & ſale inſtillato qua- drante vini, aut aceti. Offulæ panis juſculo gallinaceo macerati aut in- triti: Item moſæ vocatæ à noſtris, paratæ ex puriſſima frumenti farina, lacteque capillo delibutæ & croco tinctæ, quibus ut ſapidiora evadant ova, ſaccharū, butyrum addi poſſunt. Denique pulmentaria è dulcibus amygdalis cum paſſulis Corynthia- cis, quæ tota ſubſtantia jecori fami- liares ſunt, moderataque aſtrictione ipſum ſua roborant, præcipuè & inſi- gniter commendantur.

222. Inter ova teſte Galeno, in 3. περὶ τροφῶν δυνάμεως, τρομητὰ *tre- mula* primas in alendo obtinent: ῥοφητὰ *ſive ſorbilia* ſecundas. Deterri- ma ſunt cocta, δύσπεπτα ϗ βραδύπο- ρα, *id eſt*, *tardi tranſitus*, craſſiusque alimentum corpori largiuntur. Non ſint autem requieta, ſed nuper à gal- lina edita ἐκ πυρὸς ἄπυρα *ex igne igni carentia*: quippe à matre caliditas in- eſt, igne quidem humidior, ſed ægro- tanti familiarior, utpote animali ab animali.

223. Multis præfertur δριμυφαγία Acria. *eſus acrium ciborum*, ut porri, naſturtii, Erucæ, ſinapis, raphani agreſtis : in quibus ſuo cujusque conſulendum ventriculo ejusque κρᾶσι. Namque hoc genus eſculenta à natura ægrè, nec niſi multo negotio domarique- unt, inſalubrem ſuccū, præcipuè bilē porraceam ventriculo ingenerant.

224. Quibus mulieribus concept⁹ & hominis jam inchoati indicia ſunt, illis nullum ferè ex prædictis ἀναστομωτικοῖς *ſive oſculantibus auxiliis* im- punè æſtur, niſi fortè conceptu mor- tuo: quippe ſiſymbria Cardamine appellata foris ſaltem impoſita ante tempus, & immaturum adhuc fœ- tum

tum evellunt, & ſpem animantis perimunt. Horum vice erit Britannica viridis, lactucæ modo in cibum aſſumpta.

Saccharũ & mel. 225. A ſaccharo & melle, & iis, quæ melle ſaporata, *id eſt, delibuta atq; condita ſunt*, abſtinendum eſt ſolum τοῖς πικροχόλοις, *bile amara & flava abundantibus*, quibus item ea facili momento concitur. Quando dulcia quæ ſunt, promptè admodum vel ſponte ſua bileſcunt. Adhæc plerique febriunt in hoc morbo, nonnullis æſtu incandeſcunt præcordia: Quibuſdam etiam pulmones inflammatione pertentantur.

Embammata. 226. Ἐμβάμματα *ſive intinctus* cõparantur ex utroque naſturtio, ſylveſtri raphano, è ſinapi & ſaccharo, cum floribus boraginis: è capparibus & paſſulis Corinthiacis ex aceto aut vino, aſperſis pipere, Cinamomo, Zinzibere, idque rurſus appetentiæ illectandæ, & concoctionis adjuvandæ gratia. Febrientibus conducunt magna minorque oxalis, acetoſa & acetoſella, trifolium acetoſũ ὀξυτρίφυλλον, omphaciũ, oxyſaccharum, oxymel, vinum malorum punicorum acidorum & dulcacidulorũ, quæ Muza ſunt, *id eſt, plena ſucci in carne nucleos ambiente vinoſi, aut vini in modum aceſcentis.*

227. Cappares ventriculo non oberunt, ſi trienti paſſularum Corinthiacarum & tantundem ſacchari fuſi immaduerint, Cinamomoq; condiantur. Dum ita madent, deſuper acetum inſtillari oportet ad ſaporis gratiam, at parcè tamen, ne humor Melancholicus, cujus plurimum in Schorbuto exuberat, ab acore fermentetur, attollatur, augeatur, aut oxyregmia inde exiſtat. Ferunt eos, qui quotidie hos edunt, paralyſi non periclitari, nec lienis doloribus.

228. Hæc autem omnia delectu probanda ſunt. Quæ enim obſonia ægroto familiaria ſunt, ipſiusque palato accepta, quæque cum voluptate aſſumuntur, ea tametſi paullo ſint deteriora, aliis tamen ingratis minusq; jucundis longe multisq; paraſangis anteſtant. Næ ipſa ſuavitate gaudet ventriculus, & hac prædita avidius amplexatur caloremq; ſuum terendis ſubigendisque iis tanquam manum accommodat. Atque hinc naturalis œconomia & opus nutricium vigent. Contra quæ diſplicent, averſatur idem, ſeſeque iis quaſi ſubducit, unde nauſeæ & faſtidia, flatus, fluctuationes.

229. Panis inter cibos primatum obtinet. Optimus autem fit ex zea, quam vulgo nunc ſpeltam vocant, & ex flore tritici, aut ſiligine, quam Plinius tritici delicias olim nuncupavit: tum ex ſimilagine, quę priore paullo imparior eſt. Secalicium, qui ex rogga ſive ſecali piniſitur, probe oportet fermentari. Friſii tempore ſanitatis non tantum hordeaceo, ſed & avenaceo utuntur. Oceano adhabitantibus opus piſtorium ſive panificium vitioſum eſt, lixationique non

non diſſimile. Improbus omnis panis eſt aut recens nimis, aut inveteratus. Præterea ſecundarius, acetoſus, recrementicius, mucidus, durus, biſcoctus non ille ſaccharites, ſed qui nautis viritim diſtribuitur.

230. In ſecundas menſas expetuntur dulces amygdalæ, piſtacia, nuclei pini, uvæ paſſæ, ciberides & minores Corinthiæ, & quæ de trabibus ad diuturnitatem ſuſpenduntur, penſiles inde vocatæ: pruna damaſcena, Vngarica, & nana Hiſpanica acidodulcia: quæque hodie in noſtrarum terrarum tractus inferuntur exotica & exoſſa pruneola: defenſa à teredine, qua exanimantur teterrimè, & alia hoc genus gulæ irritamenta.

Potus vinum. 231. Potum quod attinet, laudatur vinum odoratum, ſubflavum: Rhenanum cæteris præſtabilius, Inter arte facta abſinthites, chamædrytes, ſingula & univerſa pro conſuetudine utentium, nunc meraca, nunc diluta magis minusve, & ex vaſculis pota de Tamariſci ligno confectis.
Cerevisia. Vicaria vini Cereviſia iis in locis eſt, ubi tellus non ferax eſt Bacchi, aut quò dona hujus non feruntur. Non ſit autem feculenta, ſed clara, & à Zythepſa probè condita inſuper lupi ſalictarii capitulis ſive floribus, quorum ope non tantum frigidior & ſtatulentior natura, verum etiam malitia ejus, ſi qua eſt, caſtigatur ac refrenatur.

232. ὑδροπότης, *qui vina fugit* —— —— *gaudetq; meris abſtemius undis*, aquam ſuo more potet, ſed à fabro ferrario, in qua ignitum ferrum ſubinde tinctum & exſtinctum ſit: quæ duce judicio, & comite experientia, Celſi præcipuè teſtimonio, adeò lienē cohercet, tumores ejus diſſolvit, ut abſumere penè credatur. Animadverſum id eſt in animantibus, quæ apud hos fabros educata, non ſolum corpore junceā evadunt, ſed & lienes habent perexiguos.

233. Clariſſimæ aquarum ſalubritatis palma ſunt, quæ ex fontibus petuntur acidulis, ſapore ſubaceſcentis vini longè gratiſſimo, quæque ferri venas mineramve præterfluentes lambunt, ac velut abſtergent. Hauſtæ ergo ſi ſaltem paululum ſulphuris, ut ferè aſſolent, admiſtum habuerint, viſceribus & Lieni verò in primis benefaciunt, tam moderata caliditate ſua humorum craſſitiem attenuando, lentitiamque incidendo, quam frigiditate acrimoniam eorundem obtundendo. *Acidulæ.*

234. Etſi autem ferrum per ſe utriusque eſt, & inter ſe contrariæ naturæ fæminis tamen vel ſua natura vini abſtemiis, vel tempore graviditatis, dum inchoatum jam hominem utero ferunt, ex ſtomachi redundatione vinum pariter & Zythum faſtidientibus, ferrum plerunque ſuſpectum eſt: quo de infra paullò fuſius & explicatius. Propterea his candens ferrum, aut lapillos in aqua exſtingues, aut aquam coctam colatamq; per manicam. Hippocratis cum ſac-

charo

charo & Cinamomo condulcabis. Quanquam hoc interim ratum manet, cum iſthoc hominum genere nequaquam σκεθρῶς, ut in proverbio eſt, *id eſt, exacte & exquiſite* agi poſſe, ſine fætæ & fætus ingenti incommodo, cui etiam τὰ φαυλότατα & abſurdiſſima quæque ferè ſemper conferant.

Lac. Serum lactis.

235. Caprilli lactis, præter poculenta cætera, præcipua commendatio eſt, cui vaccinum in penuria ſuccedit: utrunque εὔτροφον, & maciatis inprimis utile. Neque ſerum lactis improbatur, cujus prærogativa aſininum quoque hîc formidini aut faſtidio eſſe non debet, eò quod ulcera pulmonum in tabidis tergi ab illo conſtet. Probiora ſunt lactis genera, quibus aut incoxerint, aut aliquamtiſper immaduerint Siſymbriũ Cardamine, ſive aquatile naſturtium, tum hortenſe quoque, & Cochlearia, becabunga.

Motus.

236. Hoc vitium quies auget. Quocirca exercitatione & labore opus eſt, habita tamen ratione febris, ne forſan augeatur, nimium ſi uſu longius illæ proceſſerint Lenonem (cujus ſupra meminimus) quiritantem de ſororiantibus utrinq; hypochondriorum viſceribus, & inprimis lienem ſibi die rectũ eſſe, hortatur ſervus, ut inambu'et: Id enim lieni optimum eſſe: Accipimus Orchomenium Laomædontem ad repellendum ſplenis vitium ex præceptis medicorum longis curſibus ſimiliter uſum & hujuſmodi periodis exercitum multum ad ſanitatẽ profeciſſe.

Balnea.

237. Balneæ, quæ à nobis ex aqua dulci ſive potabili conficiuntur, longè quàm exercitatio potentius intercutanea ſpiramenta in corpore laxant atque remittunt. Quod ſi tempore, & cum moderamine adhibeãtur, humorum reliquias calfaciunt, fluxos fundunt, colliquant, aperiunt meatus, & quicquid ineſt ſordium, detergunt, quicquid fluxæ illuviei eluunt, craſſo terrenoque humore oppreſſa quæ ſunt, emolliunt. Cautione tamen opus eſt, ne quid in primis viarum ductibus, crudi humoris hæſitet, neu in viſceribus ulla ſubſit impuritas, quæ quoquo verſum poſſet in omne corpus haud quaquam impunè rapi atque diſtribui. Quæ ſponte enaſcuntur balneæ, ut rationem medicamenta magna ex parte, obtinent: ita magis adhuc exſiccant atque excalfaciunt.

Venus, ſomnus, vigiliæ. Animi affectus.

238. Venus, ſomnus & vigiliæ, animorumque affectus, ſi moderata ſunt, atque intra mediocritatis limites conſiſtunt, oppidò plurimum cõfuerunt utilitatis. Nam & hîc uſus moderatus immoderato ante fertur. Quod ſi modum eadem exceſſerint, & inter illa præcipuè motus animorum turbidi concitatique neque rationis gyro aſſueti, vires corporis diſſolvunt, calorem & ſpiritum labefaciunt, corporis εὐτονίαν frãgunt & effæminant, non etiam nunquã prorſus peſſundant. Conſuetudo ubique

multum poteſt, cuiusvis leges naturæ ſæpenumero evincit & abrogat.

239. Hæc prior ac præcipua per victum curandi lex eſt, quam ſolum viventibus frugaliter & frugi, medicorumque benè motentium, & quæ ſunt ſalutis, præſcribentium dicto audientibus ægris ponere viſum fuit. In cæteris,

Qui vitæ affectant liberioris iter,

gulæque nihil non indulgent ſuæ, intra fines officii & temperantiæ erciſcúdis omnis opera ludetur: quod obiter indicandum deſideriis vitæ duximus, eximii uſus in medendo.

Pharmacia.

240. Curatio, quæ ope medicamentorum abſolvitur, hoc inprimis exigit, ut ſi corpus univerſum ſucci plenum ſit, & obſcuro quodam rubore perfuſum, neque aliud quippiã impediat, confeſtim & inter initia à diſtentis venis ſanguis dimittatur, & quã ex ipſis uſus videbitur requirere, è directo laborantis partis vulneretur, quod Jones dicunt κατ' ἴξιν cæteris Græcis idem eſt, quod κατ' ἐυθὺ, κατ' ἐυθυωρίαν, omnino poſthabita interim fibrarum, ex quibus venarum corpora detexta atque compacta ſunt, directione.

rma-

Sanguinis miſſio.

241. Et hoc imitatione naturæ fit magiſtræ ducis optimæ, ſimiliter evacuationes molientis ſuas, modò ſibi ipſa tanquam χρῆμα πεπαγμένον conſtiterit, neque turbata ſit aut oppreſſa. Nec enim ulla ejus contentio, quantumvis tempeſtivè ſuſcipiatur, κρίσιν ἢ λύσιν ſpirabilem oſtendit, niſi κάτ' ἴξιν viam affectando procedat. Hinc in magno Liene, teſte Hippocrate, ſanguinẽ *ἀνάπαλιν ex adverſa, nimirum è dextra nare*, fluere malum, quod vires citra morbi levamen dejiciat atque exſolvat: Quæ res experientiæ fide ſicteſtata atque confirmata eſt, ut indubitata pro medicis habeatur.

242. Neque vero παρὰ λόγον *abs re aut abſurdũ* fuerit, τὸ ἀνάπαλιν (quod τῷ κατ' ἴξιν contrariũ eſt) experiri, & è regione ſeu è diverſo affectæ partis venam tundere, præſertim ubi adeſt πλῆθος abundantia ſanguinis, aut intemperantior æger genium ſuum liberaliter curat.

243. Utrobique fodiatur vena baſilica, nunc in ſiniſtro lienaris, nunc in dextro cubito jecoraria nuncupata: neutra earum apparente, ad mediam toroſiorem magisque conſpicuam licebit confugere, ſanguinemque moderatè, at ampliore plaga detrahere, quippe qui plerunque craſſior & limoſior ſit.

244. Tantum autem phlebotomiæ in lienoſis (quales plerunque ſunt, qui dominatu Schorbuti tenentur, etſi nonnulli etiam hepatarii) tribuit Galenus, ut *libro de curandi ratione ſanguinis miſsionem cap* 16. graviter invehatur in αἱμ φόβους *formidantes hoc genus evacuationis* medicos. Nec enim unquam ſe ſpe fruſtratum eſſe affirmat, ſed ingentem utilitatem

litatem ſenſiſſe ac reportaſſe, ſaltem una libra ſanguinis detracta.

245. Reſpicere autem videtur Galenus eo loci, tàm ad præceptoris, quàm ad ſuam ipſius liberaliſſimam miſſionem: quarum illa ſuſpecta in gravidis ſeptimo aut octavo menſibus, cotylas duas, hæc in Græcis quibusdam febricitantibus, libras ſex complebat. Itali quidam Hiſpanique & ſi qui inter Germanos ſanguinis prodigi ſunt, imperiti chirurgi, medio ingreſſi itinere ad duas libras aſcendunt. At enim vero nobis hodie religio eſt eo uſque aſcendere, ac in cacochymis ſemper tutius citra juſtum etiam modum ſubſiſtere, quàm ultra procedere.

246. Ut maximè autem ſigna πληθώρης, vitioſorumque ſuccorum in venis redundātia aſſint, luceat naturæ virtus, virium robur, cæteraque ſuffragentur pariter omnia, quæ συνεκδεικνύμενα vocantur: præter lapſa tamen occaſione, à venæ ſectione, perinde ut in variolarum & morbiliorum exortu abſtinendum eſt. Tum autem occaſio præterlapſa cenſetur, quando morbus iam invaluit, & radices egit altius, & maculæ paſſim in corpore, inprimis partibus huius inferioribus modò effloruére.

247. Nam eiusmodi auxilium nō ſolùm ſupervacaneum, ſed & calamitoſum tum eſt, ſanguine in venas, viſcera, aut alia ad loca in profundo corporis poſita regurgitante, ac ſcaturiginem ſeu caput huius repetente, à quo primitùs impetum fecerat: quod Hippocrates παλινδρομεῖν appellat, unde ferè ſemper plus mali imminet, eò quod humor interea temporis nonihil à priſtina ſua natura alibi deſciſcens, ſeſe ipſe evaſerit deterior.

248. Vicaria Phlebotomiæ ſunt menſium & hæmorrhoidum conveniens inſtinctus ſive provocatio, quoties procraſtinando cunctantur iuſto diutius, aut prorſus hactenus ſubſiſtere: ne hæmorrhoicis fluxere hæmorrhoides, neq; menſtrua menſtrualibus, ut ſolebant: utrorumque liberalique purgatione multi magni morbi quieſcunt, ac corpus ab iis vindicatur excrementis, quæ ipſi ſunt ægrotandi cauſſa. *Hæmorrhoides, menſes.*

249. Etſi autem dubitari non debet, fæminas præſertim hoc in morbo multis commodis per menſtrua beari: tamen interim non diſſimulandum mulieres, quæ ſtatim poſt partum quatrimeſtri menſium profluvio laborarent, nihilo ſecius cum fœdiſſimo Schorbuto conflictatas fuiſſe, quod ſemel atque iterum à nobis in vicinia obſervatum eſt.

250. Priusquam autem vena tunditur, oportet alvum officii ſui ſi ſegnior in eo ſit, ſeriusque & rarius feratur, admoneri, ſeu ſubter infuſo clyſmate, ſeu propinato liniente medicamine, quod ſit primis corporis ductibus utcunque expediundis, & à ſaburra ſordiumque illuvie repurgandis. *Alvi laxatio.*

151. Cū enim prima regio corporis

in amplitudinem & loculos alvi directa ſit, eque liene, è medio jecinoris, & quæ viſceribus utrinque adjacent, proximeque hæc ſitæ ſunt, è partibus nutritiis, itinera pateant: certe ſpes eſt, aliquid atque adeo multum Cocochymiæ infernè exhauſtum iri. Conficiatur autem tale Enema, quod

R. *Seri caprilli: aut*
Iuris gallinaceorum ſeneſcentium, cui
Fol: Malvæ
Matriſylvæ an. M.j.ß.
Origani, Acetoſæ
Fumariæ an. M.j.
Rad. Polypodii querni unc.j.
Sem: Anis.
Fœniculi an. Drachm. ij.
Agnicaſti Drachm ʒ.ſe.
Prunor: Vngaricor: exoſſator: No. viij.
Furfuris macri petiæ illigati M.j.
Inferbuerint, q. ſ. eſt:
Colati Iuris lib.j.
Caßiæ rec. tractæ pro clyſteribus Dr. vj.
El: hieræ Simpl. Drach. ij.ß.
Ol. Communis,
Anethini an. unc.ß.
Mellis roſati colati unc.j.
de ſacchâro Thomæo,
vitulo ovi &
ſale communi, an. q.ſ. *ad Enema:*

quod injiciatur jejuno ſtomacho deſtercorandæ atque inaniendæ alvi latrinæ.

Vel R. *Elect. Lenitivi de Manna:*
Diacatholici an. unc. Se.
Sacchari q.ſ. *ad Bolum unum pluresve,*

antelucano tempore glutiendos, ſuperbibito hauſtulo juris pullaſtri macri & inſulſi. Prædicta electuaria etiam cum aqua aut decocto Communi florum & fructuũ, in formam redacta potabilem, hauriri ab ægroto poſſunt, ad eluendum, quod in alvi alveum effuſum eſt.

252. Aliam ſui κένωσιν exigit poſtea humoris, qui vitio & morbi cauſſa eſt, redundantia, neque tamen valdè largam eam, neque etiam continentem & aſſiduam, multò minus tolerabilis limites egredientem. Sed reficiendarum virium cauſſa inſtitutã cum ἐπικεράσει & per intervalla, qualem quidem naturæ, moderationis & ſecuritatis ſervantiſſimæ impulſus, humoris Schorbutifici in hypochondriis ſtabulantis inclinatio ſeu motus, meatuum denique conditio præſcribere nobis videntur.

Humorum præparatio

253. Quò autem meliùs peragatur purgatio, & votis medici reſpondeat, præter detractionem ſanguinis, & ventris alvini ſubductionem plurimùm valet humoris digeſtio ſive concoctio; qua purgandum corpus mirificè εὐροῦν, *id eſt, meabile*, excitata virtute naturæ ſub onere gemẽtis, comparataque meatuum libertate. Scitum enim eſt illud Hippocratis: *Corpora ubi quiſpiam purgare volet, prius fluida faciat oportet.*

R. *Paſſularum Corinthiacarum, Syrupo de ſucco acetoſæ inebriatarum* Unc.j.ſe.
Rad. querni polypodii unc. Se.
Aſari Drachm. iſ.
Biſtortæ Drachm. iij.

Glycyr-

Glycyrrhizæ.
Oxylapathi an. Drachm.ij.
Cort: rad. Capparum ſuperiore modo præparatarum & præmaceratur. Drac.ij.
Tamariſci,
Sem: Aniſ.
Fœniculi an. Drachm.j.*Se.*
Agni caſti Drachm.j.
Vrticæ Scrup.IV.
Herb: Cuſcutæ
Acetoſæ
Capillor: Veneris
Lichenis petrei
Scolopendrii ſive
Ceterach. officinarum,
Phyllitidis, quam eadem linguam cervinam vocant, an. M.ß.
Thymi
Epithimi an.p.ij.
Flor: Cordialium demtis roſis, an.p.j.
Cinnamomi Drach.j. *Se.*
Fiat decoctio in aqua puriſſima ad lib.j. *In Colatura clarificata ovi candido diſſolve*
Sacchari albiſſ. q.ſ.
Iterum coquantur ad Syrupi conſiſtentiã.
Vtatur quotidie unc.j.ß. *cum*
Aq. Scolopendrii.
Capillor.
Lupuli an.unc.j.
ad dilutam ſuavitatem miſta, ut bibi poſſit, calideque horis antelucanis ingurgitari.

Vehementia. 254. Vehementium purgationũ, quæ fiunt per ἐλατήρια ἢ μοχλικά, *id eſt nimiopere exagitantia & vectiaria* dicta remedia, hic morbus, ut ſi quis alius, impatiens eſt, utpote ex pravo genitus victu, maxime inter initia. Sicut enim natura comparatum eſt, cor tùm jure ſocietatis & vicinitatis, tùm officiorum vitiorumque communicatione, ſane quam promte afficitur, viſceribus de ſuo aliquid cum ipſo participantibus. Mite autem eſt ſequens,

R. *Fol. Senæ Alexandr. ſ. ſtipitibus:*
Rad: polypodii querni an. Drach.iij.
Cort: rad: Ellebori nigri Stiriaci præparati Drach.j.*ſe.*
Sem: fœniculi
Aniſ. una Drachm.j.
Viticis Scrup.ij.
Herb: Agrimonii M.ß.
Acetoſæ Francæ,
Chamædryos,
Origani an.p.j.
Epithymi p.ß.
Flor: Borraginis,
Buglosſi,
Lupi ſalictarii an.p.j.
Cichorii p.ij.
Paſſular: Corinthiacum unc.*ſe.*
Infundantur omnia, per noctem in ſero caprillo, aut jure veteranorum gallorum quoad vim ſuam in id transfuderint. Mane uno atque altero fervoribus ad blandiorem prunam factis, leniter exſtringantur. Iuris colo trajecti
R. unc.IV.
Diſſolve Syrup. de ſucco acetoſæ unc.*ſe.*
Elect. Indi Drachm.ij.
Lenitivi Drachm. iij.
Fiat Hauſtus, qui mane potui exhibeatur, conditus Cinamomi acerrimi Dr.Se.

Aut R. *Pulver: ſenæ præparatæ* Drach. *ſe.*
Epithymi,
Tartari albi an. Scrup. *ſe.*
Diagridii benè levigati Gr. iĳ.
Sacchari albiſſ. Scrup. *ſe.*
Maſtiches Gr. IV.
Detur ex jure Gallinaceo.

Aperientia 255. Opera purgationi data & jam peracta ea, ſtudendum eſt ipſi morbo, qui ἔμφραξις eſt, apertionem ſui deſiderans, per ἐκφρακτικὰ ἢ ἐκκαθαρτικὰ τῶν πόρων, *id eſt, per ea præſidia, quæ vim habent expendiendi meatus farctos atque præpeditos ab humore limoſo, duro, tenaci*, tam ipſis viſceribus familiaria, quàm humoribus accomodata.

In quorum albo cenſentur.

Abſinthium.
Acetoſa vulgaris, Franca.
Acetoſella.
Adiantum.
Agnus caſtus
Agrimonium
Ariſtolochia rotunda.
Aſarum
Betonica.
Biſtorta.
Borrago.
Bugloſſum.
Caſſutha.
Ceterach, id eſt, Scolopendrium ſeu Aſplenum.
Chamædrys.
Chelidonium.
Cichorium.
Enula.
Epithymium.
Fraxini cortex.
Fœniculum.
Fumaria.
Geniſtæ flos.
Glycyrrhiza.
Capparum radix Cortex,
Hyſſopum.
Lichen petræus, quæ eſt Epatica.
Lupus ſalictarius,
Matricaria.
Myrobalani.
Nummularia.
Oxylapathum
Petroſelinum.
Phyllitis.
Pimpinella.
Polypodium.
Raphanus.
Rhaponticum.
Scabioſa.
Sem: frigida.
Maiora.
Senæ folia & folliculi.
Sinapi.
Teucrium.
Tamariciis cortex.
Thymus.
Valeriana.
Vrtica.
Vva paſſæ.
Corinthiæ.
Cibetides.
Penſiles.

Et ſi qua ſunt alia benignitate naturæ

turæ in medium data. Ex horum turba potiſſimum ſelegi, neque ſcrupulatim nimis, ſed ſolerti conjectura colligi debent, quæcunque viſceribus & aliis partibus interioribus, periclitantibus in hoc morbo, eximiè opitulantur.

Præparantia humorem ſcorbutum qualia eſſe debeant.

256. Hoc ſcire in præſentiarum ſufficit, quadrare huc omnia, quæ terrenum, fæculentum, durum ac tenacem humorem quodammodo colliquant, molliunt, tenuant & incidunt, diſſipandoque abſtergunt, ut ſoluta obſtructioue, quod craſſum adhuc ineſt, facilius in alvum corporisque ſentinam excidat: quod tenuius & ſeroſius, ad vias lotii rivatum deinceps commodius illac perſtillet atq; exhauriatur, & utrumque adeo, quò curſum inflectit, per conferentia loca deducatur.

Scorbutica medicamenta.

257. Præcipua illa ſunt, quæ prærogativo quodam jure tantæ calamitati dicata eſſe videntur, diu hactenus occulta, ſed jam in promiſcuo uſu longo artis opere periclitata atque experta, ceu ſunt *Cochlearia, naſturtium hortenſe & agreſte*: quorum velut *καταχρηστικὴ eſt anagallis aquatica, vulgo becabunga*, cæterorum vibrantiorem vim nonnihil attemperans atque ſuſtrenans.

Chelidonium minus an ſcorbuto conveniat

258. An his Romanorum Illecebram & minus Chelidonium, quorum illa Germanis piper murium, hoc ſylveſtre triticum Dioſcoridi indigitatur, accenſere auſim, haud ſcio: quippe quibus præter acrimoniam *ἑλκωτικὴ exulcerans* vis ineſt: niſi fortè τὸ ἄκρον tum caloris, tùm acrimoniæ *ἐπικράσει idest, contemperatione* benigniorum in utroque retuderis ac caſtigaveris.

259. At enim hoc quoque compertum eſt, & in confeſſo omnibus auxilia, quæ cutim corporisque extima amburendo vel erodendo ulcerant ac bullant, continuò intus eadèm haud præſtare quæ foris molliuntur. Namque ſtatim in ore mox dein in ventriculo & epate varias & interim diverſas *ἀλλοιώσεις* ſubeunt, nō diu ſede morantur in una, in partes dirimuntur, & quoquo verſus dividuntur in corpus, maxima denique parte ſui ſecernuntur. Quemadmodum ſcitè Galenus affirmat: *οὐδὲν ὁμοίως ἔσωθεν τε καὶ ἔξωθεν ἐνεργεῖν, nihil foris intusq; parem in agendo poteſtatem & vim obtinere.* 3. de temperamentis cap. 3.

260. Quin etiam ipſis illis, quæ huic morbo propria ſunt ac conſecrata, & ad medicandum præter alia egregiè profutura & ſalutaria admodum cautè, nec niſi prudentibus, & quibus περιστάσεων circumſpectus eſt familiaris, utendum, attentioneque ſumma notandum, quid cui, & quo potiſſimum tempore conveniat. Documento paullo ſuperius erat Cardamine ſeu aquatica naſturtia.

261. Exempla τῶν ἐκφρακτικῶν, hoc eſt, *libertatem meatuum præſtantium* hæc ſunt.

R. *Naſturtii*

℞. *Naſturtii aquatici*
Cochleariæ ana plenos M. IV.
Dum virides adhuc ſunt atque uvidæ, humoreq; pragnantes herbæ, in pila lapidea cum radio ligneo contundi debent. Mox torculari ſuccus ſtrenuè per ſetaceum cribrum exprimi. Liquori inde dimananti & percolato addi.
Sacchari fini, id eſt, toties interpolati, quo ad finem ſuum albedine aſſequatur unc. IV.
Cinamomi morſu acerrimi Scrup. IV.
Miſce in Potum. Cuius præbeatur per quatriduum, quantum Medico viſum fuerit ægrotanti ex uſu eſſe.
Vel *Herbis virentibus ſuccoque etiamnum plenis adde*
Lupi ſalictarii M. j.
Rad. raphani Sylveſtris unc. *Se.*
Acori: Aut
Galangæ Drachm. ij.
Similiter quaſſis tunſisq; in mortariolo lapideo, aut etiam ferreo ſuperfundatur
Lactis Caprilli: Aut ſi deſit copia hujus, Vaccini q. ſ. omnibus permiſcendis commodeq; permiſcendis fuerit.

Demenſum lactis aliquando minus eſſe oportet, quàm vulgo aliàs requiritur, quando herbæ etiamnũ virentes ſunt, per unam noctem in eò macerandæ. Mane ad luculentum ignem citra cunctationem unà diſcoquantur. Sumantur unc. V. aut V. ß. mane & veſperi ſeſqui hore ante cœnam.

262. In diplomate decocta ſemper maiorem gratiam ab ingenioſa gula inibunt. Affectis viſceribus medicamenta in vaporarium vitreum potiꝰ coaptanda erunt, quàm plumbeum, eiq; vitreum capitellum ſtillans inducendum, quod modò balneum maris, à fervore ebullientium aquarum; modò balneum Mariæ mulieris Chymiſtidis nuncupant. Ex plumbo ceruſſa naſcitur, humanis corporibus infenſa. Quo nomine Vitruvius etiam aquas vetat plumbeis tubulis aliò deducere.

263. Qui ex cauſſa ſeu indigena domique nata, ab iis, quæ aſſumuntur manu pleniore, quàm ſatis eſt, ſeu advena, ut catarrhorum decubitu vomiturienti ruentive ventriculo conſultum cupiunt, ii ſolent pauxillum cruciatæ menthæ, à ſerie foliorum crucis in modum decuſſata ita dictæ, quæ in condimentis peculiarem uſum invenit: aut aquaticæ ſive ſiſymbriæ menthæ, ſeplaſiorum vulgo Balſamitæ, in viris præſertim & feminis extra graviditatem: vel comam Romani abſinthii adjicere, poſtremo huic Meſueus ponticitatem, *id eſt, ſiccam adſtrictionem* ventriculo acceptam vendicavit.

264. Nam concoctionũ ἐργαστήρια ſive officinæ ſemper deſiderant auxilia, quæ δυνάμει ſunt συστικώτερα, tono ac robori earum cavent, tum calorem ipſis inſitum aſſerunt, accurateque ſervant, quo ad improſperam concoctionem tàm jecinoris, quam ventriculi ex ſupervenienti febre præcipuè opus eſt, quam vitioſi

ſucci

ſucci plerunque ſolent exacerbare.

265. Hoc nomine merus abſinthii ſuccus hîc non immeritò repudiatur, quemadmodum & qui inde comparatur Syrupus ſtomacho & jecori æquè infenſus: quando ambo nimium laxant, nihil plane aſtringunt. Galenus officinis coctionum laborantibꝰ coniungit amaris aſtringentia, etiam in cataplaſmatis, quæ præcordiis ſunt adhibenda.

Epatica. 266. Hepati, cuius viſceris tanquam fontis alimenti & caloris convenientis nutricatui, magna eſt dignitas atque præſtantia, præter folia & comam pontici abſinthii egregiam opem ferunt Eupatoria herba, Chamædrys, fumaria, gramen, lichen, quæ & hepatica, lupulus, Spicanardi: quæ viſcus ita expurgant, obſtructiones reſerant, ut interim robori eius patrocinentur.

Splenetica. 267. Lieni & hæc ipſa uſui ſunt, & Cuſcuta, aſplenum, Cort: rad: capparis, Tamaricis. Utrique autem hypochondriacorum viſcerum, ſi laxa nimis ſint, compagesque ipſorum diſſoluta, confert nummularia, centimorbia vulgò dicta, inſigni cùm aſtringendi tùm exſiccandi dote.

Thoracica 268. Si quid pectori aut ſpiraculis huius inhæſerit, ſuo infarctu reſpirationi pergrave & moleſtum, detergendum id erit expurgandumq; capillis Veneris, hyſſopo familiari Arabum deterſore, radice querni polypodii, flore & radice Iridis Illiricæ, & aliis hoc genus thoracis pulmonisq; vitia blandè expectorantibus.

269. Succi convenientium herbarũ ſimpliciter propinantur, edulcati ſaccharo, ſi febris aſſit: in κακοστομάχοις iidem excocti vel extorti cum vino rubello: In naturis frigidioribus & mali habitus cum vino albo, quibus ex aromate benignitatis aliquid ad parandũ placandumque genium concilietur. Ut

R. *Becabungæ*
Naſturtiæ aquaticæ.
Cochleariæ an. M. j.
Fumariæ M. ß.

Tundantur invicem: Vel in liquore raphani ſtillaticio & vini quadrante, vel in vini albi ſextariis duobus macerentur. Suſpende in nodulo concepta

Galangæ Drachm. ij.
Spicanardi Drach. Se.
Cinamomi Drach. j. Se.

Diſcoquantur omnia in vaſe probè obturato: ſub finem adde

Croci auſtriaci Scrup. ij.

Hauriatur quotidiè mane & veſperi quantum ſatis videbitur.

270. Hunc in curando tenorem dum ita ſtrictè tenemus, quotiescunque ex diuturna officii intermiſſione *Alvum lenientia.* alvus facta eſt ignavior, ſubinde eam ſolicitare, & in viam officii, à qua exorbitaverat, reducere, tum quoque per intervalla purgare nos oportet, memores ſemel inſtitutæ à nobis ἐπιχειρήσεως, ne ſcilicet vel ſaburra ventris alvini obſtrependo, vel vitioſus humor etiamnũ reſtibilis ſtagnãdo medentes voto ſuo defraudet.

271. Expediri id poterit lenibus, neque ex alto corpore educentibus medicamentis: ex quorum tribu ſunt *pilulæ aloeticæ*, *ut Aloephanginæ*, *ex aloe & maſtiche*, *ex aloë lota communes*, *quæ & peſtilentales Ruffi*, *& de tribus nominatur*. Glutiri autem oportet cum ſero caprillo, aut jure rubrorum cicerum, tincto cum croco, ſaccharoq; rubro dulcorato.

272. Si diſpliceant pilulæ, aut minus arrideant palato (ut ſua cujusq; κράσις, & huius propè infinita diſſimilitudo eſt) exhibeatur pulvis ſenæ præparatæ, aut ſequens.

R. *Agarici rec. trochiſcati* Scrup. ſe.
Rhabarbari optimi Drach. ſe.
Pulver: Senæ præparatæ Scrup. j.
Croci Gr. viij.

Deterantur in pulverem, qui denſiore & arctiore cribro ſubcernendus eſt, & cum lacte caprino, aut ſero huius exhibendus diluculo adverſus hæſitantem in viſceribus, aut circum ea fluctuantem humorem.

Aut R. *Rhabarb. el:* Drach. j. ſe.
Spicæ Indicæ Gr. viij.
Canellæ Scrup. j.
Zz. albi Scrup. ſe. *Madeant in*
Aq. Fumariæ.
Acetoſæ
Chamædryos: aut in ſucco herbarum, quæ huic morbo amuleti ratione proſunt: Aut in vino infuſionis ſylveſtris raphani aſſulatim minutimvè ſecti, Aut in Seri caprilli, cui
Fol: Senæ Alexandr. Drach. ij. *cum Sem. aniſ.* Drach. j. *deferveſacta ſunt.*

Vnius horum liquorum expreſſi percolatiq; ſi opus ſit.
R. unc. iv. *diſſol.*
Elect. Indi Drachm. iſ.
Diaſenæ Drach. j. *Se.*
Diacathol:
Syrupi acetoſi ſimp: an. unc. *Se.*
Fiat Potio Matutina.

Sequens & humorum vitium caſtigat, & ad farctum ab ipſis in viſceribus procreatum directũ eſt, quod
R. *Decocti flor. perſicor: aut:*
prunor. Damaſcenorum: vel
Laticis ex iisdem rore matutino gravidis deſtillati lib. j.
Centaurii majoris Drachm. ij.
Minoris Drachm. j.
Rad. Polypodii q. Drachm. ij.
Glycyrrhizæ Drachm. j. *Se.*
Iridis Scrup. iv.
Sem. Aniſor: Drachm. ij.
Vrticæ Scrup. ij.
Bulliant in vaſe duplici, ſub finem ſuſpenſis in nodulo ex ſindone.
Fol: Senæ alexandr. abiectis ſtipitibus unc. ſe.
Rhabarb. electiſſ. Drachm. j. *Se.*
Flor. Borragin.
Cichorii an. p. ij.
Cinnamomi acerrimi Drac. j. *Se.*

Nodulo ſufficienter dein' expreſſo abiectoq; liquor cum ſaccharo Tabarzet in formam molliginis aut ſyrupi redigatur. Cujus unc. j. ſe. aut unc. ij. dilutæ cum unc. iij. ſeri caprilli jeiuno ventriculo potentur.

273. Intermitia purgantia prima dos lacti, altera nucleo ferri. Lac jure præro-

prærogativo totius morbi decurſu exhibetur non inutiliter. Nec enim ſolum μαλακτικὸν eſt τῆς κοιλίας, *alvum moderate ſubducit*: ſed & εὔχυλον καὶ εὔτροφον recolligentibus ab imbecillitate vires (quos ἀτρόφους vocant) alendis gratioſoq; hepatis humori, qui vitio morbi hactenus abſumptus eſt, reſarciendo perquam idoneum, Denique ϛυπτικὸν eſt *vi aſtringendi præditum*. Quod ſi jam inſuper amuleta Schorbuti incoxeris, neq; hypochondria ſuſpendet, neq; inflabit, neq; ſalvum deductum per vaſa gracilia in viſcerib⁹ intercipiet.

274. Quatenus ϛυπτικὸν eſt lac, flaccori καὶ τῇ ἀτονίᾳ viſcerum conſulit. Innocentius adhuc eſt tùm decoctū unà cum ſilicibus lapillisve marinis, cum ferri rotulis aut lamellis: tùm iiſdem exuſtum, at non eo uſq; dum ſerum vi ignium epotum planè, aut abſumtum ſit univerſum. Aliter non tam ſolvet, quam potius ſiſtet alvū. Ne vero ita præparatum lac in ventriculo in caſeum cogatur, quidam tutò aquæ aliquid, alii multo tutius ſaccharū vel ſalem ammiſcent. Compleſſe miraculum ſui natura videri poteſt, quę tot dotibus ad hunc morbum lac omni ex parte beaverit.

Chalybs. 275. Secundum Dioſcoridem, libro περὶ ὕλης φαρμάκων 5. c. 90. καθαίρει τὴν κοιλίαν Græcorū ϛόμωμα, quod ferri nucleum, Plinius & Galli ferri aciem, vulgus chalybem appellavere, ferrū quidem & ipſum, & ex ferro deciſum, ſed σκευαστὸν *præparatum*, *id eſt, igni eliquatum*, ac redditum defæcatius, idque flabris & commercio ignium, quibus partes tenues à terreſtribus ſecernuntur; illæ ad moliendum alvi deiectionem efficaces ſunt: harum vis ligare, ſiccare, reſtringere.

276. Vim καθαρκτικὴν ſe deprehendiſſe fatetur Fallopius in electuario de limatura chalybis, quo uſus primùm ipſe fuiſſe ad deminuendum colliquandumque lienem. Ex quo tempore ipſe quoque macerare vino chalybem, quandoque candentem ſæpius eo exſtinguere ad eandē intentionem occœpit. Aſt enim verò vim eam iam olim periclitatus & expertus eſt Dioſcorides, ut ſuus honos illibatus atque integer antiquitati conſtet.

277. Ex ſoluta jam obſtructione, humor morbi cauſſa proxima & cōtinens, qui iam ſatis ſuperque extenuatus atque inciſus, ſed adhuc tamen ſuperſtes eſt, aut huius reliquiæ potius naturæ robore atque imperio, aliàs ad derivacula ſeu ductus urinæ deponitur, aliàs in cutim totius compaginis, ſive corporis ſuperficiem foràs abijcitur ac profligatur, quæ ſunt Præceptori χωρία συμφέροντα, *id eſt, loca commoda, excluſioni dicata*.

278. Utrumvis horum fiat, conatui naturæ medicum allaborare oportebit: quandò omnia artis opera ritè ad ſententiam animi, ægrique ſalutem evenire certum eſt, quæ vel naturæ inſtituto fiunt, aut præeuntem ipſam habent adminiculantemve. Quod tanquam in

ſpecula animadvertere ſagacis medici, & fidi miniſtri naturæ eſt.

279. Prior illa ὁρμὴ naturæ de morbo triumphantis juvatur οὐρήσει, qua etiam vitia pectoris in hoc morbo ſupervenientia, de multorum obſervatione per urinæ ductus abeunt in renes & corporis matulam, mejendoque reddi atque indidem exſolvi, ac velut elui poſſunt & frequenter ſolent, propter eam, quæ eſt pectori cum renib⁹ lotiiq; derivaculis communionem. Documento ſunt τὰ οὐρούμενα ἀναπεπτερυγμένα ἢ θολερὰ, *id eſt, quæ minguntur craſſa, returbida, purique interdum aſſimilia.*

280. Poſterior διαφορήσει ἰδίως, ἢ ἱδρώσει perficitur. Extenuatus enim jam humor aut vaporis ſpecie latenter ſineque ſenſu per ſubcutanea ſpiracula exhalatur, quæ ἄδηλος διαφόρησις eſt: aut ſudoribus evidenter liberaliterque diſſolvitur: quæque in humore paullò craſſior eſt, exuſta per febrim fuligo unà per poros effertur, cuti extrinſecus impacta, ibidemque ſordium ſtrigmentorumve ſpecie conſpicua, qua cutis perinde ferè ut in vitiligine fucatur.

Diuretica. 281. Διουρητικὰ per meatus urinæ tranſitum molientia, liberaliterque procurantia ſunt, *Acorum phu, cortex rad: capparum, Eruca, Irio: Semina quatuor frigida communia majora, dauci, bacculæ juniperi, Scordium, leviſticum, piper, Cinnamomum, Syrupus de artemiſia, acetoſus ſimplex, & utroq; validius oxymel diureticum: deniq; quæcunque ferè* γυναικεῖα *muliebria* κατ᾽ ἐξοχὴν menſtrua cognominata, ciere apta ſunt.

282. Διαφορητικὰ, *id eſt, diſcuſſoria perq; halitum digerentia* proxima ſunt attrahentibus, quædam ex alto evocant, plerunque etiam diſſipant, atq; reſolvunt, ut *Cardamuc* ſive *naſturtiũ, raphanum, & braſsica omnia agreſtia, Sium lepidium, ſemen thlaſpios, ſinapis, radix Dracontii.*

282. Huc pertinent πυρίαι ἢ ξηρὰ θερμάσματα *ſive fomenta arida*, ceu ſunt Celſo milium, Sal, arena: quodlibet eorum calfactum & in linteamen conjectum. Si minore vi opus fit, etiam ſolum linteum. Priſci totum corpus circumdabant maximè exſtinctis teſtis, interdum etiam titionibus panniculo involutis, quoties opus eſſet vi paullò majore. **Fomenta arida.**

284. Digerit ſimiliter Sal, quicquid præcordia privatim onerat, non ſolum ſicco linteolo exceptus, ſed & demiſſus poſtea in aquam benè calidam, & ubi intepuit, aut frigere jam occœpit, Aramento ignito ſubinde immiſſo recalfactus. Applicatur autem membro quod fovendum eſt.

285. Quin etiam ſepulchra humanæ ſagacitati in uſum mortalium excogitata ſunt. Sepelivit ea jam olim, ſi qui ex turba ægrotantium paullò eſſent delicatiores, in furno, ex quo piſtus panis nuper extractus eſſet, ut blando illius tepore morbi reliquiæ è penetralibus corporum in ſumma transfunderentur, ac ſimul diſcuterentur.

Sudorem ciẽtia. 286. Sudorem proliciunt laconica uda ſive humida, quæ roſcido vapore ſuo illiſa cuti, ſpiracula eius reſerant, indidemque cognatam ſibi naturam diſſolvunt. Sumitur autem *Balnea.* ferrum aut ſilex, qui canduit igni, & in ſolio labrove, papilione undique tecto, nunc vino, nunc decocto ligni Gaiaci jugiter reſpergitur. Nonnulli ægris in ſolio deſidentibus Caldarium allocant refertum herbis ſudorificis, *naſturtio aquatico, chamæpythi, Thymbra, leviſtico, chamæmelo, meliloto, artemiſia, granis juniperi*; in aqua modicove vino incoctis, unde agitetur, aut per intervalla ferramenta, aut igniti lapides in id demittantur atque exſtinguantur.

287. Scoriam ferri, quæ quaſi ſtercus eius eſt, ad inſeſſum, aut vice balnei, fœminis, quæ more reſtibilium agrorũ fructuoſæ, neq; dum omninò ſteriles ſunt, vix unquam impunè præſcripſeris: quando eadem prorſus vi, qua ferrugo ipſa pollet, ac non tantum in potu, ſed & admotu τὴν ἀσυλληψίαν ποιεῖ, *id eſt, præſtat, ne concipiant*, obſignando uterum, & vias eius artando ſtringendoque. Ut demirari ſatis nequeam, quibusdam in locis Germaniæ promiſcuè tàm nubiles virgines, fœminasque iuvenculas, quam vetulas ἀφόρους ad ferrugineas, *id eſt, ex ferri rubigine præparatas* thermas, velut agmine facto certatim concurrere & admitti, quæ ſanè ſterilitatem inferunt, & fœcundæ quæ ſunt, eas caſtrant.

288. Deſcendenti in labrum propinatur Sal abſinthites, cum decocto milii nondum deglubiti, aut Chinæ in taleolas diviſæ. Quibusdam album ſuccinum, quod Cryſtalli ritu translucet moſchumque redolet, valde commendabile eſt, ex vino datum potui.

289. Quod ſi ſudori fortè quid deceſſerit, id ſequenti pulvillo deinceps ſuppleri poterit.

R. *Gentianæ* Scrup. j.
Aſari Drachm. S.
cinnamomi Scrup. j.
Piperis
Zz. albiſſimi an. Scrup. *Se.*
Myrrhæ Scrup. j.
Croci Gr. iij.

Comminuantur in pulverem bipartiendum, cuius una portiuncula propinetur demittenti ſe in ſolium: altera, quando jam exit, cum unc. iij. potiunculæ, quæ

R. *Acetoſa franca*
Becabunga
Fumi terræ
Naſturtii aquatici an. M. ß.

Contuſa in mortario macerentur in lib. ij. albi vini, indeque ſuccus extorqueatur potabilis ad proliciendum ſudorem.

290. Quibus laconica ſuſpecta ſunt, aut qui alioqui ea verſantur, neque ſatis commodè ferunt, iis haud fuerit inutile, plenum urceolum ſequentis potionis quotidiè manè ebibere.

R. *Siſymbrii Cardamines.*
Becabungæ an. M. ij.

Tundantur in pila lapidea, quoad ſuccum de ſe remiſſerint: adde
Piperis longi Scrup. ij.
Zinziber albiſſimi,
Sem: Erucæ,
Sinapis an. Drachm. j. *Se.*
Rad: iridis urbanæ noſtratis Drach. iij.

His omnibus albi vini ſextarius, vel paullò pluſculum ſuperfundatur: Aut tantundem vini rubelli vel heluoli, quod teſtimonio Varronis lib. 2. de re ruſtica cap. 6. helui, id eſt, inter album & rubrum medii coloris eſt, rubrum quidem at dilutè & pallentius, ut ſic cum giluo idem qualis lateri ſemicocto, figlinum quidam vocant, κιῤῥὸν Dioſcorides, Marcellus Vermiculum reddit, Galenus ξανθὸν, quod exponit ipſe πυῤῥὸν ὠχρὸν, *id eſt, ruffũ pallens.* Quod ſi aliquid aromatum demenſo aut modo detraxeris, loco vini ſimplicis ſumi poteſt vinum aromatites, aut Saccatum Plinii. *Mox tortulo ſuccus inde exprimatur, percoleturq́ue uſque dum poculentus evadat.* Mane exhibeantur huius calfacti unc. V. per dies aliquot, ægerque opertus ſtragulis id operam ſedulo det, ut ſtrenuè, ſed pro modulo tamen ſuarum virium exſudet. Inter ſudandum ſubinde cutis demulcenda eſt calente linteamine, ut ſudo ſudori cedere queat, neque alteri ſit obſtaculo.

291. Quibus febris moleſta hactenus fuit, iis aqua florum aurantiorũ, aut Limonum ſtillaticia horis matutinis eundẽ prorſus ad ſcopũ ſeu finẽ potui præbeatur, menſura unc. vj.

292. Quin peccans humor tàm pravitate, quàm diuturnior obſidione ſua tonum ventriculi, viſcerum, quæque conſocialia ſunt, atque vicina, cordis & flabelli huius pulmonis interea vehementer perculerit ac labefactarit, dein etiam purgantia pro illa, quam in ſe habent, vi corrumpendi facultates noſtras inque naturę bona graſſandi, veſtigiũ ſui, ut ferè plerunque aſſolent, poſt ſeſe inibi reliquerint, profectò vix ac ne vix quidem abeſſe poteſt. Scitum namq; vetus illud: τὰ κοινὰ καὶ τὰ ἐγγὺς, πρῶτα καὶ μάλιστα κακοῦται, *id eſt, quæ ſocia ſunt, propinqua ac finitima primum & maximè vitiantur.*

293. Dum ergo humoris vitio, & naturæ ab eo exonerandæ opera impenditur, etiam partium, in quibus ſtabulatur ille, quasq; imperioſè occupat, cura haud quaquam erit abjicienda, ſed his quoque tàm externis, quàm internis adjutoriis non oſcitanter ſtudendum, inter quæ præter attenuantia atque incidentia auxilia præcipuum locum habent, quæ contemperant, odore ſpiritus inſtaurant, vires accisas propeque deiectas ſarciunt; languidas partes firmant ac roborant.

294 Ex his ſuum cuiq; dicandum eſt, ac ventriculo quidem, tanquam univerſi corporis œconomo, ſiquidẽ ob ſubter eructatam à liene aut aliunde appulſam proluviem, aut ex al- *Ventriculum roborantia.*

vinorum

vinorum flatuum intus ſubſiſtentiũ aſpiratione aſſidua flaccuerit, neque provincia muneris ſui ritè fungatur, conveniunt *conſerva mentha, pontici abſinthii, roſarum; myrobalani chebuli, emblici, mala Cydonia, pyra muſcatellina* (aliàs ſuperba) *condita, Zinziber acidum, id eſt, ut in acetariis eſtur*, quo etiã *ἄσην nauſeabundum faſtidium*, cuius domicilium eſt ventriculus, ſolet caſtigari. Dicam breviſſimè: quæ εὔστομα ſunt & εὐστόμαχα, *id eſt, & ſapore grata & odore*, ea omnia impunè *ventriculus fert*.

Epar roborantia.

295. Epati principatum œconomiæ naturalis in corpore obtinenti ex uſu ſunt *Diatrionſantalωn confectio, conſerva Cichorii, radix eiusdem præſertim verò domeſtici, & caules lactuca Itala*, nempe medullaceum eius meditullium, à cortice liberatum & conditum, *Ribes conditum, Syrupus Meliſſophylli.*

Lienem roborantia.

296. Lieni, qui officii præſtantia & dignitate iecore inferior eſt, natura raro & ſpongioſo, poſt depoſitam in alvi loculos, qua expletus fuerat, redundantiam, debentur Syrupus è ſucco malorum benè olentium, Scolopendrio, è fumaria: confectio Alkermes, & exhilarans, trochiſci de capparibus Electuarium Diacapparũ.

Cor roborantia.

297. Cordi fonti vitæ conducunt Conſerva florum Caryophylleorũ, Cortex Citri, caryophylla & nux moſchata conditus. Syrupus è ſucco oxalidis, Limonum, granatorum, ex acore & è cortice Citri: Elect: de gemmis, Diamargaritum, & deſtillata cardiaca inſtaurantia.

Pulmones roborantia.

298. Electuarium Diaireos ſimplex & compoſitum: conſerva florũ iridis, Enulæ: rad: Enulæ conditę, Zz. conditum, quod & viride vocant, conditum adianthi, & hoc genus alia detergendo & extenuando purgantia, pulmoni eximiè ſuccurrunt ſervato eius robore.

299. Nequaquam allucinabere, ſi horum ſingulis ſemper aliquid admiſcueris conſervæ aut conditi cochleariæ, propriæ huius mali (quo de agimus) alexipharmaci: quod non tàm ſpecifica dote, quam evidente vi ipſi conferre putatur. Nec enim libenter ad iſtum ſcopulum ignaviæ rationes noſtras protinus appellim⁹, licet inficiandum interim nõ ſit, vim maieſtatemq; rerũ naturæ in omnibus momentis fide carere, & utranq; facultatem, manifeſtam pariter & occultam in curationem morbi non rarò amicè coniurare.

Topica ad ventriculum.

300. De externis adiutoriis πλάδον ventriculi corrigunt unguenta moſchata, quale eſt.

R. *Ol. Abſinthij.*
Maſtichini an. Drachm. iij.
Macis, aut
Nuc: Moſchatæ Drachm. j. S.
Pul. Maſtichis Drachm. Se.
Ligni aloes.
Menthæ an. Scrup. ſe.
His invicem diſtemperatis affundantur
Aq. Cinnamomi Drachm. iij.
liquenturq; in vaſe duplici ad aquæ conſumptionem adiectis ſub finem.

Galliæ moſchatæ Gr. VII. &
Novella cera, Aut
Pinguiore Ladano q. ſ. fuerit in formam Vnguenti, ad illinendum προκάρδιον *ſive lacunam cordis*, in quam pectus ſub ξιφοειδεῖ *mucronata cartilagine* depreſſum deſcendit: quo loci in nobis, qui ad cœli contemplationem rigidi erecti, non ad paſtum more cernuarum animantium abjecti ſumus, ventriculus ſupernè patet, non tamen (ut Amatus autumat) liberè perſpirat, alibi jecinoris involucro abſconditur.

301. Nos carptum bombacem, aut raſuram panni coccinei, poſteaquam odorem moſchi fragrantiſſimi ex nocturno incubitu contraxit, ſolemus nudæ regioni ventriculi calidè ſuperdare. Præſtat his ſericum ſive crudum, quale in Taprobona ſine cultu ab arboribus legitur, bombycibus foliorum lanuginem in vellera radentibus, ſive cortinis infectorum immerſum, Imperatoris olim dicatum paludamentis. Vt enim hoc poſterius Cordi nomine aluminis Sylvio intus ſuſpectum ſit: ventriculo tamen foris valde gratum eſt & acceptum. Cæterum non eſt propoſitum nunc iſta conſectari.

302. Aliquando Vnguentum ventriculo foris primum allinimus, dein eadem ſeta, ſive ſerico crudo, ſed multo incommodius integimus. Nonnunquam goſſipium heſterno fragrans moſcho, & pulvere ſtomachico ex rore marino, floribus roſarum rubrarum, balauſtiorum, ſiſymbrio, ligno aloes, maci, cariophillis, galanga, Schœnantho, maſtiche reſperſum ſacculo concludimus, minutimque tranſſutum applicamus. Quidam excarni regioni ventriculi unguine delibutæ ſcutum ex malaxata maſtiche ſuperponunt, ne vis linimenti ocyus exoleſcat. Alii pannum grano Kermes tinctum & ladani oleo inſuccatum, mox aptum è collo regionique ventriculi appenſum jubent ægrotantes aſſidue circumferre. Senili ſtomacho temperati caloris formenta præbent Catellus aut puer nudus nudo corpori accumbens.

303. Quicquid horum fiat, paſtus tempore deponi debet, ne forte ventriculus talibus aſſueſcat, ſubſidioq; eorum quaſi fretus poſtea ſeſe ipſe evadat ſegnior. Ab epulis horis una atque altera exactis rurſum licebit imponere, oſtium ventriculi concludendi, inque hoc calorem δημιουργὸν concoctionis demorandi gratia.

304. Siniſtrum hypochondrium, cui lien ſubeſt, candente molari lapide ad teporem exſtincto cum vino acetove cochleariæ, naſturtii, aut ſcyllino, vel cum decocto florum geniſtæ, Tamariſci, ſcolopendrii, capparum, experientiæ fide non cum nullo profectu fovetur. Poteſt fotus adhiberi etiam decocto rutæ, urticæ, naſturtii, minoris centaurii, in quo aceti triens aut quadrans inſit. *Topica ad lienem.*

305. A fotu mox idem met hypochondrium delinitur ſequenti.

R. Ol:

R. *Ol: rutacei* Unc. ſe.
de capparibus.
Amygdalar: amararum an. Drach. iij
Liliorum alborum Unc. ſe.
Succi Bryoniæ
Succi glutinoſi radice filicis
extracti an. Unc. j.
Lenta pruna efferveſcant ad ſuccorum
conſumptionem, dein adiectis colaturæ.
Pulver: Cyclamini
Aſari
cort rad: capparum
an. Drachm. j *ſem.*
Sem: Cumini Scrup. iij.
Sinapis Drachm. Sem.
Herb: Scolopendrii Drachm. j. &
Ceræ novellæq́; ſatis facit, omnibusq́;
iugi ſubactu in mortario adunatis
fiat formula unguenti.

Ad epar. 306. Dextrum hypochondrium transverſim ungatur ad ignem cum linimento, quod
R. *Ol: Abſinthii* Unc. j.
Roſacei Drachm. iij.
Spicæ Scrup. ij.
Sambuccini Unc. Sem.
Incoquantur his, contemperatis invicem in
phiala.
Pulv: rad: Cyperi Drachm. j. ſe.
Raphani Drachm. j.
Naſturtii aquatici Scrup. ij.
eo uſq; dum contabuerint. Mox exſtringantur per colum. Liquatis affunde
Vnguenti roſat: Meſuæ Drachm. vj.
Deniq; miſceantur in compagem liquidioris unguenti, eoque tepefacto ſublinatur exos regio dextri hypochondrii, quæ crati ſpuriarum coſtarum proximè ſubſtrata eſt.

307. Hactenus ipſi morbo, proximè quæ ab eo afficiuntur facultatibus, rùm malè moratis membris & viſcerum intemperiei firmiter fixæ auxiliis tàm externis quàm internis vacavimus. Nunc porrò & operam & opem noſtram ſibi poſcunt etiam indigena & germanà morbi ſymptomata, ϛομακάκη & σκελοτύρϐη, quibus malum ſeſe foràs profert ac conſpicuum reddit.

308. Horum ſeu curatio, ſeu levatio poſſit alicui prorſus ſupervacanea videri, ac fruſtra tentari; quippe accidentia ſunt, morbum non aliter atque umbra corpus conſectantia, quo ſublato ipſa ſuapte protinus ſolent vaneſcere, nuſpiam in corpore ſubſiſtentia.

309. At enim vero quando nimiũ gravia illa infenſaq; ſunt, & vel functiones alicubi offendunt, vel vires etiam uſque adeo convellunt conficiuntque, ut metus ſit multò prius ipſas jugulatum iri, quam ſit ſuccurſum morbo: tum certè methodus curandi contrà artis præſcriptum neceſſariò invertitur, naviterque ac ſtrenuè ita obviam itur ſymptomatibus, ut morbus interim non quidem omittatur, ſed ad tempus ſolummodo prætermittatur, ſuo ipſi jure interim ſarto tecto reſervato.

301. Vix enim unquam ſperabilis vitæ ſalus eſt, ubi vires infirmæ ſunt, neque in tuto res ęgri, ne â mitiſſimo quidem morbo. Quorſum igitur natura magis ſuppetias videtur requi-

ſere, illorſum etiam ferre oportet. Si valet ipſa, admodum ſecurè priùs in curam morbi, quàm in ſtudium virium incumbitur: Contra ſe comparabit medicus eadem labeſcente.

311. Prorſus eodem modo Symptomatum Schorbuti ſanatio hîc à nobis inſtituitur, non quà ſymptomata ſunt, ſed quà offenſarum viriū, aut novorum quorundam affectuū cauſſæ exiſtunt, ac rationem ſuſtinent τοῦ ἐπείγοντος *id eſt, urgentis ac turgentis*, & quodammodo morbi nomen ſibi adoptant. Ipſa per ſe ne quidem methodum curationis indicant, nedum primùm immutant, ſed à ſolis duntaxat morbis ἔνδειξις τῆς θεραπεύσεως petitur.

312. Οὖλα μυδῶντα *id eſt, nimio humore laxa & putrifica vitiata uligine, fœtentesq; gingivæ* (quas Plinius & Strabo uno τῆς στομακάκης nomine indigitant) deſiderant βοηθήματα στέλλοντα καὶ στερροποιοῦντα, *id eſt, ejusmodi præſidia quæ ſtringunt, ſolidant, firmant*, quæ item putredines & graves halitus tollunt.

313. Horum peritia quadam electorum ſylvulam prodeſt in conſpectu eſſe, ceu ſunt:

Alumen ſciſſile.

Anthera, non capitulum in ipſa roſa, neq; globulus, ut Pandectarius & alii quidam autumant, cujus interior pars villoſo referta eſt ſemine: ſed ἄνθος τοῦ ῥόδου, & quidem media roſarum ſtamina, quæ Galeno magis aſtringunt, naturaq; ſunt exſiccantioris.

Aqua marina ſalſa.

Aquileja.

Balauſtia.

Biſtorta ſive

Britannica & hujus ſuccus.

Charta uſta.

Cochlearia.

Cochleæ terreſtris concrementa.

C. C. præparatum id eſt, uſtum lotumque.

Cyperus.

Ferrugo.

Galla ſolida

Perforata.

Lapillorum crematorum cinis.

Lentiſci decoctum.

Liguſtri folia & nondum hiſcentes flores βοτρυώδεις.

Mel roſatum colatum: Stillicinum:

Muria κολυμβάδων, id eſt, olivarum conditanearum in ſalſugine urinantium.

Muria altera rudior & ſimplicior, quæ apud mediterraneos aqua marinæ vicem penſat.

Myrrha.

Naſturtium hyemale.

Nummularia.

Oleaſtri folia &

Cinis.

Oxyacantha.

Plantago.

Portulaca.

Pruni ſylveſtris cortex.

Roſæ rubræ & earum Semen.

Sal albus uſtus.

Salvia.

Siſymbrium Cardamine.

Spodium, quæ Cinerula eſt; id eſt,

Cadmia.

Cadmia in cinerem redacta, qua vice ſpodii utimur: quorſum & ἀντίσποδα referimus, Ebur uſtum, & ſpodium è canna Conſtantinopolitana, Sumach officinarum, ſive Rhus coriaria, culinaria.

In minimis horum maximeque vilibus majeſtas naturæ elucet, ſeque ipſa ſubinde proficiens quadantenus vincit, & quidem numeroſis modis, tàm noſtri, quàm ſui diligentiſſima.

314. Pleraque ex jam recenſitis in vino aut ferrata aqua decoqui, indeque expreſſus liquor in collutionibus oris imponi debet, adjectis, alumine, uſto ſale, & in gratiam ſaporis, melle nunc crudo, nunc roſaceo colato, aut diamorων, quæ ope ſua abſtergent. Quædam proſunt vel per ſe, & cruda commanducata, gingivis utilia, & idoneâ diſcutiendæ pœnæ.

315. Nonnulla ex iiſdem arefacta modo in farinam exquiſitè moluntur, modò in cinerem concremantur, qui prægnantibus & quantulumcumque imbrem cruoris rorantibus gingivis quandoque aſpergi, quandoque in concerpto linteolo affricari, aliàs digeri in formam electuarii ad allinendum ſolet.

℞. *Farina Cyperi,*
Pulegii ſiccati crematique in cinerem an. Drach. j. Se.
Putaminum cochlearum exuſtorum in cinerem Scrup. jj.
Miſce fiat *πρόστεμμα id eſt, affrictorium & pollen flaccidulis atteratur gingivis.*

℞. *Succi biſtortæ* Unc. jj.
Succi roſarum nondum hiſcentium Unc. j.
Inferveant Mellis crudi Unc. iij. *usq; dum abſumantur. Poſt ea adde*
Aluminis ſciſſi chartaq; involuti atque in cinerem exuſti Scrup. jj.
Salis Scrup. j.
Diamorων Unc. j.
Lini cum hac miſtura circumquaque gingivas.

℞. *Dentium Lupi piſcis uſtorum in cinerem* Drachm. j.
Aluminis uſti, vino exſtincti & loci Drachm. j. *Se.*
Roſarum aridarum.
Flor: Malvæ arboreſcentis rubrorum exarefactorum.
Rutæ.
Thuris aut
Maſtichis
Salviæ an. Scrup. j.
Cum melle Lithvanico crudo, Aut Roſato colato fiat in cacabo fictili ad prunam forma Electuarii, gingivis crebro deliniendi.

316. Adverſus oris malum ackeley/ deflexum ab egeley / magnus uſus in Gynæceis eſt linimenti, quod ex foliis Aquilejæ comparatur, & in officinis paſſim hodie venit. *Vnguentũ de aquilegia.*

℞ *Fol. Aquileia.*
Mentha
Salvia minoris an. Drachm. j.
Myrrha rubra Scrup. iiij.

Aluminis uſti Drachm. ij. ſs.
Mellis virginei Unc. iij.
aut q. ſ. fuerit ad compaginem ſtrigmentitiam.

De hoc linimento, molli linamento paullum involvendum eſt, dentiumque ſepi ſive maceriei appreſſu quodam circum linendum. Mellis virginei vice ſi Scillinum ſumſeris, aut pauxillum hujus commiſcueris, odor oris tolletur, gingivę aſtringentur, dentesque firmabuntur.

317. Ab uſu horum mox dein abluantur gingivæ Olivarum conditanearum muria, in ore detenta circumque voluta: Aut mali punici florentis cytinis in ferrata aqua vinovè præmaceratis, ac demum defervefactis: ex lacte item caprillo ſeroſo aut aſinino, cui rubus incoxerit: & aceto cereviſiario, non nimis acri cum aqua plantaginis, & aceti ſcyllini pari menſura: Cum punicorum malorum vino, ex rhodomelle & aqua plantaginis ſtillaticia, quibus pœna oris diſcutitur.

318. De lacte hoc tenendum, non niſi aſininum, quod inter cætera ſeroſius eſt, parique cum aſinino tùm tenuitate, tùm abſtergendi dote præditum, ori ad διακλύσματα conducere. Etenim dentes lac oblædit, adhærentesque carnes gingivarum flaccidas marcentesq; reddit, dentes ipſos putredini eroſionique exponit: idq; vitii ineſt craſſiori maximè lacti, quod ſaccharo, vel melle crudo, aut roſato colato vino mero dilutove, vino mulſo cum aqua contemperato corrigi ſolet: quippe hoc pacto, quod dentium intermediis ſpaciis ex lacte obhęret, omne exteritur. Quod ſi cinerem exuſtorum lapillorum inſperſeris, ad ulcera efficacius fiet.

319. Nos putria & graveolentia ora, ſaniem lentoremque fœdi tabi perpetuo ſalivantia, ſequenti latice ſtillaticio abſtergimus: Mox ſpongiolam, quæ nativam ſalſilaginem ſuam etiamnum habeat, & ſolum ab inteſtinis ſcrupis mundata ſit, inculcamus Oleo vitreoli, ebriamque illo circumferentes in ore luxuriam gingivarum in circuitu dentium reprimimus, ac quadantenus depaſcimus.

320. Liquoris ſtillaticii hæc eſt deſcriptio.

℞. *Roſarum Moſchatarum recent.* M. ij.
In harum defectu ſuccedat Vlmenſium, vel ritu ſaturata purpura rubentium, ſimiliter recentium tantundem.
Fol: virentis olea Bohemica: aut Liguſtri, vel ſummi eius cacuminis βοτρυώδους *id eſt, racemoſi nondum paſſi* M. iiij.
Cimarum vaticana mori ſive Rubi M. j.
Cochlearia, Aut Vermicularis
Naſturtii
Ruta an. M. ſs.
Salvia M. j.
Myrrha pulveriſitata Drach. ij.

Si copia recentium eſt, tantiſper contundantur, dum ſuccum abs ſe remiſerint: Sin aridorum, duntaxat maceren-

macerentur ſimul in aqua roſacea fragrantiſſima, quæ operiundis ſingulis & univerſis ſufficiat. Aſperge dein' Sacchari albiſſimi quod ſatis eſſe ad condimentum putabis. Ex his liquor per balneū calentis aquæ vitreis organis in prædictum uſum eliciatur.

321. Oleum vitreoli de conſilio Matthioli, non ſecus atq; olea myrrhæ, ladani, gummi ammoniaci, hac lege præparatur: Ovum gallinaceum ad uſque duritiem primùm diſcoquitur. Secatur dein' in partes inæquales, vitulusque utrique ſuus eximitur. Tum cavitas majoris adimpletur pulvere Romani vitreoli, minorque ei iterum inſternitur. Mox ita coagmentatum ovum ſepelitur loco ſubterraneo udo, quoad vitreolum in oleagineum humorem eliquetur. Sunt qui ovi duriuſculi albumen inferius, aptum è filo, undique ſtilo ferreo perpungant, eique Phialam ſubdant vitream ferreamvè, ut lentor oleaginens poſſit in eam perſtillare.

322. Exigente uſu initio aſſiccata ſpongia leniter gingivas præficare oportet. Deinde os cremore ſtillaticio colluere. Adhæc ſpongiam inſuccatam oleo quadam circumductione gingivis delinere. Inter hæc ægrum ore hiare, donec ſatis tabi profluxerit. Facilius res peragitur & minore cum negotio, ſi dicto liquori, aut hujus vice plantaginis vel roſarum ſtillaticio, unam atque alteram guttas olei vitreoli inſtilles, ac vel colluas cum eo os, vel gingivas jugiter defrices. Quæ quidem auxiliorum hiſtoria, nunquam, quod ſciamus, ſine profectu nobis in delicatulis, qui in lauta & benè aucta parte eſſent, decurſa eſt.

323. Cæterum non ſolum id, quod poſt uſurpationem dictorum præſidiorum in oris amplitudine collectum eſt, continuò exſpuere, ſed univerſam illam ſaniei vim, quam ex vaſis & glandulis ſalivæ uberibus os accipit, quaque diu noctuque permadeſcit aſſiduoque ſtillat, æger exſcreare, ſummoque opere cavere debet, ne quid per incuriam aut inopinatò de illo transvoret.

342. Et quatenus hæc ſaniei, è luxuriantium gingivarum jugi fonte inexhauſta manet perennitas, æger à poculis communibus uſque arcendus erit, ne tabem pariter ac labem alteri ſuam impartiat, eumque ſimiliter inficiat.

325. Etenim controverſia non eſt, quin in iſtiusmodi tabo fomes contagii reſideat, non aliter atque in calamitosè periculoſeque φθινόντων ἢ φθισικῶν grandinoſo, & virus exhalante fœdi odoris ſputo, quod fide experientiæ nudis plantis raró impunè attigêre, quicunque ipſi quoque eſſent σκνιδώδεις, *id eſt, ſtricti & utrinq; velut aſſeribus preſſi pectoris*, atque idcirco ἐπὶ τὸ φθινῶδες naturæ merito proclives.

326. In magna carnis gingivarum

& ſordida putidaque uligine reprimenda, ſæpe numero manuum opera & forficula opus eſt, quæ quod corruptum eſt, præciditur, ne pars ſincera & vicina in ſympathiam pœnæque communitatem pertrahatur. Omne namque vivens conſortis ſyderati aut mortui impatiens eſſe ſolet, & vix unquam vel nunquam potius à contagione labis ſemet defendere pote eſt.

327. Inter hæc diſcernere & vivũ mortuo quid interſit, ritè ſciteque deprehendere, non niſi illius eſt, in quo ſumma ſunt omnia induſtriæ & exercitationis. Nec enim fuligo ſolum, ſed & nigrities carnis gingivarum fucum facere, atque imponere etiam peritis interdum ſolet. Hujus cauſſa humor eſt, ab ardore conflagrans: illius *ἀναθυμίασις ſeu vapor* humoris carnem gingivarũ inebrians. Prior ſolum fucat humoris ſuperficiem: poſterior carnem tàm intrà quàm extra velut umbra inficit. In poſteriore etiamnum inchoata, & cum caro nigreſcit, ſpes aliqua eſt. Jam ſyderatæ non niſi ferro obviam itur quàm commodiſſimè & præſentiſſimè.

328. Quibus formidabile ferrum eſt, his non citrà acrimoniam, neque ſine doloris ſenſu inutilis putrida excreſcens atque emortua caro depaſcitur, exceditur que ungento Ægyptiaco, alumine uſto & liquore roſarum ſtillaticio exſtincto, & cum rhodomelle ſubacto: ærugine lota, quæ hanc ad rem commendatur Plinio, lib. 34. Cap. 21. Adhæc iis, in quibus *ἐμπύρευμα partus & vis ignis* relictum eſt, ut Spodio ſive Cadmia cremata in cinerem: Specla, *id eſt, tartaro ſive vini fece* recens uſtæ, neque dum tempore exanimata: Vitreolo uſto atque eloto: tùm oleo, quod Chymiſtæ vitreis organis ignium flabris ab ipſo proliciunt, inſigni juvamento, ſi eo gingivæ tanguntur.

℞. *Aluminis uſti* Drachm. ij.
Spodii Drachm. j.
Arrhenici Scrup. ij.

Cum aqua Plantaginis detrita invicem cuncta parumper ebulliant in diplomate, ammiſto modico ſyrupo è cornis. Huic liquori intingatur ſpongiola, aut concerptum linteolum, quo cum putridæ fœdentesque gingivæ perfricentur in jejunio. *Aut* inculcatum linteolum ſpecilloque obvolutum tantiſper apprimatur, quoad depoſta putredine, ulcereque ſanato, fungum gingivarum audentius prominentem depreſſeris.

Vel ℞. *Arrhenici* Drachm. j.
Chartæ combuſtæ Drachm. iij.

Aridis utere ad infricandum, aut melle ſubactis de conſilio Dioſcoridis, I. *εὐπορίστων*, cap. 82. ad ſerpentia gingivarum ulcera.

329. Verum enim vero ad hoc genus extremorum præſidiorum non niſi ad extremum confugiendum eſt, neq; prius, quàm levioribus aliis nihil

nihil quicquam proficiatur. Adhæc ubi vel κακοήθεια, vel θηρίωμα ſerpentis ac depaſcentis ulceris, caroque corrupta tale quid deſideraverit. Aſt circumſpectè iis utendum, cavendumque ſummoperè, ne quid inde deglutiatur: quam cautionem Aetius adhibendam eſſe ſcribit in iis, quæ Cadmiam, Calcem, auripigmentum recipiunt, *lib.*8.*cap.*29.

330. Dioſcorides, *eodem libro parabilium cap.*79. Galenus, 5.*de compoſitione medicamentorum localium cap.*9. de doloribus gingivarum, Oribaſius, 4. *ad Eunapium*, & Aetius, *lib.*8.*cap.*23. fomento ex ferventi oleo in gingivis coroſis, & à ſerpente ulcere longè lateque depaſtis utuntur non ſine profectu; innectentes ſpecillo auriculario lanam, & in fervens oleum intinctam tantiſper adhibentes gingivis, donec undique exæquentur ipſæ & albæ appareant. Ac tum res benè eunt. Namque ulcus iſto ſtudio ſiſtitur, atque ex ſana carne abroſum quod eſt, jam iterum connutritur. Omnia autem prius experiri, quàm ferro aut igni docet.

Carnem gingivis reſtituentia. 331. Cæterum quoniam caro gingivarum poſt hæc deficere ferè ſolet, ac dentes ad aliquam deformitatem retegi, id operam dabit medicus, ut quicquid ejus defluxit, recuperetur. Quæ quidem reparatio etſi ſolius naturæ opus eſt: multum tamen atque multum adeo adjutari ab arte poteſt, pertinetque ad genus κομμωτικὸν, quod non circa mangonia aut lenocinia, non circa aſcititium fucũ & cultum corporis ſuper vacaneum occupatum eſt; ſed in iis potiſſimum acquirendis, quæ morbi injuria ademit. Ex horum numero unum atque alterum in medium dabimus.

℞. *Sem roſarum non nimis antiqui & exoliti* Drachm.j.
Calami aromatici Drach. *Se.*

Terantur in pollinem & aſpergantur: vel *cum cera liquida incorporata adhibeantur.*

℞. *Farina Ervi*
Flor: Roſarum an. Drach. *ſe.*
Calami odorati Drachm. ij. *Se.*
Aluminis ſciſſi,
Malicorii,
Manna thuris,
Cyperi an. Scrup. *ſe.*

Similiter utere hoc pharmaco contrito crudo, vel cum melle.

332. Quibus cardo mandibularum, ſubter aurium radice gingivis condolet, iis auxilio erunt Flos lactis, ſpuma florida, in quam jugi agitatũ lac ampullatur: vulgus à conformitate nivem ſolet appellare: Adhæc unguenta Dialthæa ſimplex, Alabaſtrinum cum aqua cochleariæ lota: lætamen ſive fimus bovis, lana ſuccida œſypo imbuta, thus ex ovi candido ſubactum: arida roſa vino aut aqua calente, dum extabuerit, macerata: hæc ſcilicet omnia calidè extrinſecus impacta. Similiter, cataplaſma πεπτικὸν ἢ παρηγορικὸν, quod in polentæ formam fit hoc modo:

℞. Medulla

℞. *Medullæ panis ſimilaginei* Unc. iiij.
Senſim ex lacte caprino coquatur, dum inſtar pulticulæ craſſeſcat. Mox aſperge
Pulver: flor: Chamæmeli
Meliloti
Verbaſculi an. Drachm. ij.
Roſarum rubrarum Scrup. iiij.
Naſturtii Drachm. ij.
Sem: urticæ Drachm. j.
Vitell: ovi num. j.
Sapæ Unc. *Se.*
Adipum Suilli &
Gallinacei,
Ceræ item novellæ an. q. ſ.
ad impinguandum. Fiat cataplaſma, cui ad extremum additur Croci orientalis, quantum tingendo ſatis ſit. proximè ſubdatur anſæ ſive fibræ auris, id eſt, infimæ auriculæ.

333. Quoties genæ injuria oſcedinis, quemadmodum genua σκελοτύρβης, ex huberioris alluvione conducta, motusque idcirco impeditioris fuerit, cùm fotu, tùm litu volubilis redditur, inque ſtatum priſtinum quaſi poſtliminio refertur. Fovetur autem regio, qua genarum altera alteri articulatè adaptatur, ex jure althææ, violæ, ſeminum lini, fœnugræci: Item roſcido vapore lactis, cui violaria, acanthus, parietaria, Chamæmelum, ficus arida pinguior, præterea radix malvæ, althææ, ex qua ſimplice, oleo aut hydrelæo incoxerint.

℞. *Rad. liliorum alborum,*
Althææ an. Unc. j.
Hebr. Malvæ,
Violariæ
Acanthi an. M. j. ß.
Anethi,
Calamenti montani an. M. j.
Caricarum pinguium num. vij.
Sem: lini
fœnugræci conquaſſatorum an. Drachm. iij.

Diſcocta hæc ex aqua, & ſub finem paſſi aut albi vini quadrante affuſo: aut in aqua cum modica lixivia, ſed paullò mitiore: aut denique in hydrelæo adhibeantur in fotum, qui tenſa remittit & laxat, quæque dura ſunt, mediocriter emollit. Calidè autem fovenda eſt pars per ſpongiam, quæ altiùs humorem ſubire, potentiùs eliquare eundem atque extenuare potis eſt.

334. A fotu cum tepefactus humor adhuc incaleſcit, modiceque ſolutus eſt, ſubcutanea ſpiramenta patent, tenſus articulus jam nonnihil relaxatus eſt, & exterſa cutis, calenteque linteamine afficata: mox illitus adhibeatur ex ſpuma ſeu flore lactis, ex adipibus humano, porcino, è butyro recenti atque inſulſo. Quibus permiſcentur muccagines ſeminis althææ, cydoniorum, lini fœnugræci, medulla cervina facile omniū princeps, vitulina: Succi ſiſymbrii cardamines, naſturtii aut cochleariæ: Caſſiæ atramentum ſuperbullientis lactis vapore trans cribrum ſenſim excretum, cujus vice ſiquidem

dem cutim atrore fœdè deturpaverit, ſapam ſumere licebit. Denique Unguenta Dialthæa, reſumptivum, vel hoc extemporale benè facient.

℞. *Mucilaginum Sem: althaæ*
Lini
fœnugræci
depromptarum ex jure ficuum an.
Drachm. ij.
Ol: ex olivis maturis expreßi
& ætate medii Unc. ſe.
Liliorum alborum Drachm. iij.
Anethini Drachm. v.
Lumbricorum ex Malvaſia
ſæpius lotorum Drachm. iij.
Roſacei
Butyri an. Unc. *Se.*
Pingued. Gallinaceæ Drachm. ij.
Axungiæ porcinæ Drachm. iij.
Ceræ *pinguißimæ. q. ſ. fuerit ad illitus conſiſtentiam:* Subigantur omnia, Aut ſi ſucci adjecti fuerint, in diplomate vel balneo maris coquantur lente ad uſque ſuccorum abſumptionem.

335. Utriſque adjutoriis τοπικοῖς ſubſidio veniunt τὰ ἀναγαργαλικτὰ, quibus os & reſupinato collo fauces colluuntur, roridoque eorum vapore penitiora oris ad cardines mandibularum probè perrigantur, juvanturque non inſtrenue. Minimè autem in his negligere etiam ea oportet, quæ muccido flaccori gingivarum erciſcundo idonea ſunt, ut Roſa rubra, radix biſtortæ, quæ putatur eſſe Plinii Britannica: aliter carnes earum alioquin humectiores nimium effœminabuntur.

336. In σκελοτύρβῃ peſſum it, & ad crura ſua gravitate deſidit id, quod craſſius ineſt cacochymiæ Schorbuticæ, quæ ut plurimum ferè melancholica eſſe ſolet. Documento ſunt cibus craſſus, retentio menſium, hæmorrhoidum ſuppreſſio, morbi Saturnini & χρονιώτεροι, qui abundè illius in corpore congerunt. Suprà aſſertum à nobis eſt, præ cæteris ſæpius Schorbuto moleſtari, qui in dominatu ſunt nigri humoris, quique hypochondria eo obſita habent, quacunque ſane ex cauſſa genitus ſit in corpore & exaggeratus. *Scelotyrbes remedia.*

337. Hujus ergo limus & quodammodo fæx tibiarum carnem, cui ſe ſubterfundit, in ὀγκὸν οἰδηματώδη, aut in οἴδημα ὀγκώδη, *in tumorem mollem* plerumque tamen indolentem effert: aliàs efflorescit in maculas. Ubi pluſculum malignitatis & acrimoniæ diuturnitate temporis acquiſiveris, non infrequenter etiam crura exeſt atque exulcerat, de quibus nunc ordine & gradatim.

338. Jam hoc nulli non liquere puto, naturalem corporis œconomiam in hoc morbo valdè labefactari, neque coctionem alimentorum ritè obiri, idque infirmitate caloris, cujus officium eſt concoctio. Caloris defectum animadvertere licet extimis in partibus, ac potiſſimum in cruribus, quæ à caloris fomitibus & ſanguinis fontibus, Corde nimirum & hypochondriacis viſceribus, quam longiſſimè abſunt,

quæ idcirco ſolent ὀγκῶδες ἢ ὀγκύλεωδες, *in tumorem aſpectabilem, ac tractabilem interim efferri atq; inflari.*

339. Ad hunc non omnino nihil conferre videtur humorum, qui propter debilem calorem & vitiatam hæmatωſin ſuperfluunt, ὁρμὴ ἢ ῥοπὴ, qui in partes ſitu humiliores atque declives ex univerſo ſimul παρὰ λόγον, ſimul κατὰ λόγον morbi ſolet devergere. Quocunque autem μετάςασις fuerit, morbifica illic eſt, ubi ſubſiſtit.

340. Ut primum ergo univerſo proſpectum eſt, imperari poſſunt labores & exercitia admodum utiliter, modo id ferat morbi conditio. Horum vicem ſupplebit interdum crurum lotio ex iis, quæ exſiccant, abſumunt, flatulentos œdematoſosque tumores diſcutiunt, videlicet ex lixivio, muria, aqua marina aut ſalſa, cui incoxerint baccæ juniperi, roſmarinus, flores Sambuci, ſalvia chamæmelinum, utrumq; ſiſymbrium, raphanus agreſtis, adjecto modico alumine.

341. Diſſolvit & ſequens caloreq; liquat, quicquid de frigido & terreno humore ex caloris penuria conſtitit atq; concretum eſt, ut exin vel ſua ſponte in halitum atq; vaporem abeat, forasque per patefactam cutim excludatur.

℞. *Coaguli lactis ebutyrati* Unc. iij.
Lavetur cum aqua hyberni naſturtii,
Aut, eidem inferbuerit prius, & inflatis tibiis apponatur; prævio tamen fotu è marina aqua, vel lixivio, cineris ſarmentorum vitis, aut ficus, vel braſſicæ per novam ſpongiam, quæ aliquandiu ſinenda arctiusque vincienda eſt.

342. Quod ſi paullò durior atque obſtinatior tumor aliquantulum obnixus fuerit μαλακτικῷ opus erit vehementiore.

℞. *Pulv. flor: Chamameli*
Comarum abſinthii an. Drachm. iij.
Rad: vitis alba, ſive Bryonia,
Symphiti petræi, quod pecton aliqui nuncupant, crudarum & raſarum an. Unc. ſ.
Pollinis triticei
Farinarum Fabacea
Oroboea an. Drachm. iij.
Hac omnia aſpergantur lib. ij. *medullæ panis ſiliginei diſcocta ex lacte caprillo, uſque dum cataplaſmatis formam induerint,* quod tumori adhiberi debet.

343. Contractis genibus, eâdem quâ genis ratione medebere. Unguentis etiam hoc addere operæ precium fuerit. *Genuum contractorum remedia.*

℞. *Vnguente Dialthea* Unc. j.
Pingued. Anſerinæ
Porci Maſculi inciſarum an. Unc. ſe.
Medullæ crurum vituli Drachm. ij.
Cervi Drachm. iij.
Butyri inſulſi
Ol: Lini an. Unc. j.
Spuma lactis nondum ebutyrati,
agitati in mortario plumbeo Unc. j. ſe.
Cum ſucco naſturtii coquantur in vaſe duplici ad ſucci conſumptionem. Addatur cera nova q. ſ. ad Linimentum; tenſis & contractis

contractis genuum compaginibus mirificè idoneum.

℞. *Ol: Seſamini*
Amygdalarum dulcium, utriusq; non ranciduli Unc. ß.
Medullæ crurum bovis Unc. j.
Sevi ex caſtrato animali,
Pinguedinum anatis,
Gallinæ an. Unc. ß.
Vnguenti ex bdellio Drach. iij.
Vitellorum ovi Num. ij.
Croci Scrup. ij.

Formetur ex his Linimentum cum aceto, in quo aliquid Ammoniaci ſolutum ſit. Hujus uſus eſſe poterit etiam poſt lutum minerale, cujus inferius mentionem faciemus.

344. Maculas ſive lituras femorũ & tibiarum elidunt atque obliterant fœdumq; colorem ceu eluunt, *ὑποκαπνισμοὶ, fomenta, ſuffitus ſive vaporationes.*

℞. *Card. ſive Naſturt. ſativi aut hortenſis:*
Cardamines ſive alterius ſiſymbrii Dioſcoridis, quæ & Naſturt. aquatil. nominatur.
Cochleariæ an. M. ij.
Chamameli
Meliloti albæ an. M. ß.
Thymi:
Satureiæ:
Pulegii an. M. j.
Roriſmarini M. ß.
Rad: dauci Unc. ß.
Fol: Lauri M. j.
Baccarum juniperi leniter quaſſatarum Unc. j. ß.

Ebulliant in *lebete repleto aqua ſimplici ad conſumptionem partis tertiæ.* Hoc decocto calido

———*maculis lita membra vapores;*

Aut laves eodem calfacto femora & crura: Aut inculcata linteamina ſpõgiamve inebriatam foris litteratis partibus circumda. Hujus auxilii non ſolùm indeliteſcentibus maculis foràs proliciundis, ut effloreant: verum etiam in iis, quæ jam in ſummo cutis florem oſtentant ſui, obſcurandis non inſtrenua vis eſt.

345. Goslariæ & ad Harciniam anus medicamentariæ crura emaculare conſuevêre tum ſuffitu, quàm decocto viminearum & ſequacium virgarum ſpartii ſive geniſtæ, quas Rehgras vocant in Luſatia, eo quod *hinnuli* & capreæ iis magnopere delectentur, quorum gratia ſylvas & campeſtria paſſim conſeri videas. His Galenus facultatem trahendi, & ex alto corpore in ſumma transferendi efficacem aſſignat 8 de ſimpl. facult.

346. Res tàm ægrotantis, quàm medentis multò meliùs ibunt ad votum animi, ſi ima corporis priùs calente linteolo molliter & (ut barbitonſores aſſolent) blandè demulceantur, potiùs quam defricentur. Quo quidem ſtudio ſpiſſior textus cutis nonnihil extenuabitur, & ſpiracula, quibus pervium corpus eſt, reſerabuntur ac patefient, trans quæ vis medicamenti deinceps poſſit intimius ſubire.

Nn 2 347. In

347. In ſupplementum litterata loca etiam ſequentibus licebit per-ungere.

℞. *Iberidis ſive agreſtis naſturtii Cardamantica appellati (lepidii noſtratis)* M. j. ß. *Aut*
Rad: ejusdem Unc. j.

Tundatur probè ac in balneo Mariæ dein elixetur, affuſo lactis nondum ebutyrati dodrante, & quadrante aq: becabungæ, aut Chamamelinæ. Ab hoc ſubigatur in mortario in formam Cataplaſmatis aut pultis, ſuffuſoque adipe ſuillo fœminino impinguetur.

℞. *Butyri maialis inſulſi* Unc. ij.
& eius quod crebrò lactis iactatu in proceris vaſis, auguſto foramine ſpiritum accipientibus, ſtatim ſub ipſo ore colligitur Unc. j.
Comarum abſinthii pontici M. j.
Vermicularis ſive illecebræ p. ij.
Baccarum iuniperi tunſarum Unc. Ss.

Hæc in figlino efferveant, inſtillatis ſenſim Unc. iij. *vini clari, tantiſper, dum liquor vini in auras ebulliendo omnis abierit. Fortiter exſtringatur per filtrum: pingue quod eſt, uſurpeturq́ in σύγχεσμα*, magna autem ſive fæx ejus in filtro relicta prorſus abjiciatur.

348. Operæ prætium fuerit & pannos lineos more telarum emplaſticarum utrinque imbuere, & calentes applicare, ſubindeque renovare, priusquam infrixerint. Interim pars non nuda, aut ipſa ſibi relinquenda, ſed probè obliganda ac munienda erit adverſus externi aeris injurias. Nam & hîc videndum quatenus.

349. Si detumeſcentium crurum caro ſolito etiamnum flaccidior, idque propter novæ alluviei impoſterum ſuſcipiendæ opportunior fuerit, quadam προφυλακῆ *præcautione* opus eſt, qua effæminatæ partes iterum confirmentur. Huic intentioni obſerviunt quæcunque ductus viarum corporis, per quas decurrit, quasque alluit fluxio, coanguſtant, languida vincula partesque laxas comprimunt, textum ipſarum ſpiſſant, humorum aditum ad eas prohibent ac cohibent. *Crurum atrophiæ curatio.*

350. In horum albo cenſentur chalybeatum lac, aqua ferrata, & in qua ſcintillæ è candenti ferro ſtrictim emicantes exſtinguntur: quæ item ex cote, dum cultri acuuntur, in ſubditum receptaculum aſſidua vertigine inſtillatur, quibus crura crebrò oportet ablui. Similiter in id efficaces ſunt incarnatæ roſæ condi-taneæ, *id eſt, vino condita & ſale*: Roſarum fæx poſt rhodoſtagma in fundo alembici reſidua, foris affricta: medicamentoſum illutamentum, quod juxta ſcauririginem & emiſſaria medicatorum fontium repertum, & in laxos tumores, duritias, & nervaceorum corporum contractionem utiliter expetitur, & emplaſtri modo inducitur. Denique

que oleum roſaceum cum intrito ſale; quod multis retro ſeculis celebre fecit Philagrius, veluti apud Oribaſium, & Aetium legere eſt, *lib.* 12. *cap.* 21.

351. Raro quidem res eò pervenit diſcriminis, ut ex humoris malignitate crura erodantur: Aſt nonnunquam tamen eò uſque perveniſſe, cruraque non ſecus atque à diuturno ſqualore terra hiulcari ſolet, hiulcerata fuiſſe compertum eſt, iis præſertim in locis, quibus hoc malum frequentius & familiarius eſt, idque diætæ vitio, *id eſt, ex victus pravitate atq; corruptela*: Tales enim ingenerantur corporibus humores, qualia ſunt, quibus alimur.

Vlcerum curatio. 352. Ne quid ergo inſtitutis operæ atque operi noſtro deſit, ulceribus crurum luculenta exterſione ſordiumque expurgatione primùm opus eſt, quam præſtat Syrupus ex roſis aridis illitus, ſuperſtrato integro folio plantaginis. Multi folium hoc Rhodomelle oblinunt undique, aut liquato fuſove ſaccharo, aut Syrupo hujus, qui ex ſordido concremento aut ſedimine ſacchari hodie parari ab interpolatoribus & mangonibus ſolet: Saccharo denique Thomæo, quod ut cæteris rubius, ita calidius acrius & potentius eſt. Hæc omnia leni cum adſtrictione detergunt, neque ſolum *ἀπεὶσταστα id eſt, noxæ expertia* ulcera, ſed cæterorum etiam malignitatem ex influxu pravi humoris emendant, repurgant, ad cicatricem perducunt.

353. In claſſem horum cooptari debent Unguentum de Apio mundificativum, quod idcirco vulgus chirurgorum paſſim in id uſurpant, & quod

℞. *Succorum Apii.*
Meliſſophylli
Cochleariæ an. Unc. *Se.*
Chelidonii Drachm. v.
Mellis crudi q.ſ. fuerit.

Coquantur ad ſtrigmenticiam conſiſtentiam, adiecto, ſi ita videbitur, & opus erit, modico
Shuris.
Aloes,
Mirrhæ,

quorum primum ignavius, ultimum potentius, medium interutrumque mediocriter exterget.

354. Aqua piloſellæ teſtimonio Sylvatici (qui eſt Pandectari⁹) raræ neq; ſatis cognitæ, at interim præſentis & præſtantis efficacitatis eſt, ad quævis ulcera tibiarum vetera & pervicacia. Menſe Septembri herba ſtudioſè legitur inſolatis diebus cœlo ſudo neque pluvio; atque exſtillatur inde aqua, cujus

℞. *lib.* j. *adde*
Mellis roſati Unc. ij.
Myrrhæ
Lithargyri an. Unc. j. *Se.*
Camphoræ modicum.

Apricentur in Sole vitro concluſa per triduum.

triduum. Colatura bis quotidie abluantur hulcerata crura ſuperdatis lineis petiolis eadem met aqua in madefactis.

355. Haud quaquam verò abſurdum fuerit, ſextantem aquæ, quæ ex herbis morbo huic conſecratis exſtillata ſit, inſuper affundere: Aut dum Piloſella deſtillatur, in ſummo Capitello, intus peculiari crate eam ad rem cancellato, unam ex appropriatis ſuſpendere, ut ex æſtuans inde halitus tranſcolatu vim poſſit libare atque combibere. Multò meliùs, ac perinde ut voles, opera ſuccedet, ſi plumbeo alembico deſtillationem molitus fueris.

356. Si hulcera præhumida, putria nimium ſordidave continenter tabo manent, aſpergi ipſis oportet arefacta & in pollinem lævigata radicem Cyperi, utriusque ariſtolochiæ longæ & rotundæ, maris & fœminæ, ſemen urticæ, oſſa ex maxillis apri vel ſuis domeſtici uſta, elotam ærugînem, momentum præcipitati hydrargyri, alumen uſtum: tum quoq; ex crudo alumine comparatam aquā phagedænis, Chironiis & mali moris, putridis & paſcentibus ulceribus apprimè aptam, nec tàm detergendo, quam cohibendo, ne longius proſerpant.

357. Ex uſu erunt & Unguentum Phœnicium ſive Diaphœnicium, *id eſt*, *Palmeum ſive Diapalma* & Diacalchiteos dictum, auſtero vino ſubactum, & roſaceo vel myrteo emollitum: cujus ope ſordida hulcera, nullo morſu, redduntur pura, cava implentur carne ſolida, δυσεπούλωτα *cicatricem ægrè ducentia* glutinantur obſignanturque.

358. Huc pertinent & Unguentum Diaponpholigos, & Emplaſtrū de Minio Johannis Vigonis: charta plumbea ſive bractea crudi plumbi, quæ & ipſa malignis & cancroſis hulceribus ſuffrenandis eſt, & hac multò præſtantior, tenuiſſimus ejusdem pulvis, ſi iiſmet inſpergatur. Nec enim ullo melius, quam hoc nomine, de natura afflicta merebere.

359. Sic autem plumbi pulverem apparare convenit: Ducitur plumbum crudum in πέταλα ἢ πλατύσματα, *id eſt, lamellas quàm tenuiſſimas*. Mox eædem minutatim conciſæ limatæve, acerrimo demerguntur patinis fictilibus, triduoque ſic macerantur, ut quotidie, ſi viſu fuerit, acetum permutetur. Ubi ſcobs plumbi peſſum jerit, ſubinde patinam oportet agitari. Exacto triduo linteolo mox colatur acetumq; ſeparatur. Quo effuſo elimata ſcobs plumbi ad ignem citrà uſtionem reſiccatur, & in lapideo mortario vehementer laborioſeque cum piſtillo plumbeo conteritur in pulverem atomorum ſimilimum. Hujus vis eſt ad maligna hulcera blandè nulloq; doloris ſenſu repurganda & obſignanda: Unde Sigilli Saturni nomen ipſi à vulgo chirurgorum factum.

360. Utun-

360. Utuntur quidam cinere uſti plumbi. Urunt autem non more Dioſcorideo cum ſulphure, ſed abſque eò hoc pacto: Plumbum conjectum in crudum non vitreatum fictile ſimul ac in caminis fuſoriis incanduit, iterum iterumque aceto fortiſſimo exſtinguunt. Mox eliquant, ferrea rude ſubindè verſando atque agitando, uſque dum in ſpumam totum devenerit. Ea ſpuma, quæ veluti cinis ejus eſt, vulcano reddita ulterius diſcoquitur, donec candorem ſubcitrinum indipiſcatur. Et hoc experimentum eſt legitimè uſti, cujusvis ad rebellia hulcera Chironia, cancroſa & putridinoſa planè mirifica eſt. Si plumbum ita præparatum lotum inſuper fuerit cum aqua roſata, atque ἐμπύρευμα ignium commercio acquiſitum depoſuerit, in iisdem carne implendis & cicatrice claudendis omne punctum feret.

371. Montagnanæ linimentum de plumbo in hoc genus pervicacibus & inveteratis hulcerum crurum vehementer commendatur.

℞. *Plumbi uſti* Unc. j.
Lithargyri probe deſpumati Unc. Se.
Ceruſſæ lotæ.
Aceti an. Drachm. ij.
Ol: Roſacei Unc. j. Se.
Mellis roſati Unc. Se.
Vitellos ovorũ minus enormes num. ij.
Myrrhæ Drachm. ij.
Ceræ q. ſ. in formam Linimenti quo hulcera tibiarum priùs abluta vino decoctionis ariſtolochiæ rotundæ, calidè debent perungi.

342. Solet autem morbi materia ipſo tranſitu ſive meatu ad inferna crura, à nervaceis corporibus, artuũ compaginibus circumſitis eaſq; revincientibus, â muſculis item femorum, tibiarum, ſurarum, atq; eorum tendinibus, magna ſui parte imbibi, quæ perrigata ab humore ſqualido neceſſe eſt diſtendi, obrigeſcere ac contrahi. Hinc illa poſtea ambulandi ἀδυναμία *impotentia* & cruciatuum diritas, quibus iiſdem penè medebimur, quæ ad lituras paullò ante diximus conducere.

℞. *Rad: althææ*
Malvæ an. Unc. j.
Iridis Unc. Se.
Sem: Lini
fœnugræci an. Unc. Se.
Herb: Chamæmeli
Meliloti
Violariæ an. M. j.
Abſinthii
Cochleariæ,
Becabungæ,
Naſturtii aquatici an. M. ß.
Omnia ex aqua Ciſternæ, aut iure extremitatum bonm, Aut hydræleo elixata in fomentum adhibeantur.

363. A fotibus quos ſubinde iterari decet, humore jam tepefacto, & membris obſequentibus unguentum Dialtheæ, ut & ſequens extemporale, ſqualorem prædictarum partium aliquantulum leniet.

℞. *Rad. Bryoniæ,*
Cucumeris aſinini an. Unc.j.
Lumbricor: terreſtrium præparatorum Drach.iij.
Diſcoquantur in hydrelæo, uſq; dum diſtabuerint.
Liquori torculo expreſſo adiunge poſtea
Ol: Liliacei Unc.ſe. *Lini Chamæmelini* an. Unc.j. *Terebinthinæ cum aqua malvæ elota* Drach.v. *Vnguium bdellii, aut Vnguenti ex eodem* Drach. iij. *Succi Cobleariæ* Unc.j.
Colliquatis denuò ad lentum ignem adjiciatur
Ceræ novellæ ac recentis q.ſ.
ad σύϛασιν mollioris συγχρίσματος

In levamen doloris addi poterit atramentum caſſiæ ad malvæ vaporem, aut rhodoſtagmatis extractum, & (ut in proverbio) nonnihil etiam de vitello.

Cumque membra non tantum rigeant, ſed nonnunquam etiam ſenſim intabeſcentia demacrentur, ſtrigioſioraque evadant, utpote genium alimenti minus benè & plenè uſque adhuc ſententia, Unguentum reſumptivum utiliter adoptabitur. Præterquam enim quod recreat, & explet, etiam vim habet blandè emolliendi & relaxandi.

F I N I S,

SCHOR-

DE SCHORBUTO

Præſide

SALOMONE ALBERTO

Noribergenſi, Doctore Medicinæ & Profeſſore ejus publ.

Reſpondebit

M. ERNESTUS HETTENBACH

Mergethumenſis Fr.

Teſtimonium profectus ſui in Doctrina & uſu artis Medicæ accepturus,

Die Martii XXVI. Mane hora 7. in Collegio Majori.

NOmen Schorbuti ex vernaculis vocibus Danica & Belgica Schorbuck & Schorbeck deflexum videtur: quorum illud lancinantia ventris alvini tormina, hoc diſruptam ulceratamque buccam deſignat. Utrunque hactenus uſu captum atque probatum eſt. Cæterorum nominũ aucupia nihil moramur in præſentia, ne, quæ abolita penè ſunt, videamur velle poſtliminio communem in uſum revocare: quando naturam morbi aut ſymptomatum animo complectendam haud ita proponunt.

2. Labes hæc atque carnificina primitiùs Nabathæis ad album pagum, multis inde annis pòſt tractui cuidam maritimo trans Rhenum; memoria majorum & noſtra Aquiloniis mari adhabitantibus germanico ἔνδημος ἢ ἐπιχώριος fuit. Juxta ea tempora limen imperii egreſſa ſui, ἐπίδημος ἢ λοιμώδης, *id eſt, magis popularis* facta eſt: tandem pro inclinatione cœli ad meditullium & climata noſtra deſcendens ἀποῤῥάδλω, *ac vulgo* occœpit diſpaleſcere, ubi etiãnum privatim ſparſimque adoriendo ſingulos imperioſè dominatur.

3. Ea tàm ab hypochondriacorum viſcerum, quàm humorum cacochymia ſive impuritate oritur, & hac quidem, ut eſt conditio victus varia, diverſus naturarum genus, indoles cœli locorumque diſpar, admodum multiformi. Mutuò enim iſta ac viciſſim fiunt: Agens ab eo, in quo verſatur, & in quod vim profert ſuam, ſi non primo ſtatim occurſu, ac certè proceſſu temporis aliquid atq; adeò multum perpetitur.

9. Hepate igitur alimentorum vitio ἐκ τοῦ καταρθώματος, *id eſt, ê norma proprii ſui temperamenti & complexionis* procul egreſſo, pro ea, quæ eſt inter partes vicinas & ſocias συνλμοερίας *mutua ex operis mutuis affectio*, lien in conſenſum pertrahitur: neque ſolùm præanguſtæ & exiles utriusque viſceris venæ præpediuntur, ſed & intervenia, adeoque ſubſtantia παρεγχυμάτων univerſa lutulentis ſuccis perfuſa velut inebriatur: imò prima corporis regio ad confinia præcordiorum illuvie eorundem penitus ſcatet, in cujus dominatu τὸ προϋπάρχον *fundamentum & primum quaſi ſtamen* morbi ponitur.

5. Intereà autem dùm his in locorum anguſtiis, corporisque culina ſtagnans ea concluditur, regimine caloris defecta ſui, alienoq; circum-

venta, aliàs φλογώσει leviter inardeſcit, aliàs & quidem ſæpiùs fomitem concipit putredinis, ſubteique præcordiis ebulliendo, parte ſui tenuiore ſursùm ad gingivas, & loca finitima exundat, craſſiore contrà peſſum abit, & ad ima crura potiſſimum ſuopte nutu demergitur. Quacunque autem applicuerit materiæ malignitas, nõ inde abit, inſalutato, ut dici ſolet, hoſpite, partiumque illarum aut beneficio manſueſcit, aut maleficio efferatur atque degenerat.

6. Ab ejusmodi ῥοπῇ id eſt, inclinatione ac ceu velificatione humoris diverſa, in diverſas humani corporis partes, jam nova ſurgunt morbi germina, quæ vulgus (ut ſolet ferè ſemper ad ea magis ſeſe intendere, quæ in ſenſus influunt, de occultioribus mente comprehendendis interim animi prorſus ſecuri) multis ſeculis poſt Hippocratem ſuis & peculiaribus nominibus inſignivit.

7 Strabo, & poſt eum Plinius nominarunt prius *ϛομακάκην vitium & maleficium oris*, alii Oſcedinem: poſterius *σκελοτύρβην, id eſt, perturbationem crurum.* Illa πάθος eſt περὶ τὸ ϛόμα: hæc παράλυσίς τις περὶ τὰ σκέλη, *crurum quædam reſolutio*, aut veriùs (ſicut Plinius interpretans facit) compagis in genibus ſolutio, neque ſimpliciter ea in nervis quemadmodum ſcholiaſtes Dioſcoridis autumat, ſed in nervaceis corporibus fundata.

8. Cauſſa morbi ab his duobus ſumitur potiſſimũ, aut ἀπὸ τῶν ἔξωθεν aut ἀπὸ τῶν ἐνεόντων, *id eſt, partim ab iis, quæ extra ſunt, partim ab iis, quæ intra inutilia.* In utrisque τὸ θεῖον ponitur morborum penè omnium, non in propatulo hominibus proletariis, aut adyta naturæ liminetenùs introſpicientibus, ſed prudentibus & quibus περιϛάσεων circumſpectus familiaris eſt, tantùm obvium.

9. Ex iis, quæ ἔνδον *intra* ſunt domique nata, morbum proximè committit humor vitioſus craſſus tenaxque, ſive ex alimento pravi ſucci primùm is natus ſit, ſive ex moræ diuturniore inteſtina labe correptus corruptusq; aliunde ad viſcera, tanquã ad ἰκμαλέα ſuccorum vitalium appulerit, qui alluviei perennitate, ſuprà modum indies coacervatus, ubi in illis locorum faucibus hoſpitari tam ampliùs nequierit, in venoſum genus redundat, indeque in corpus & habitum hujus quaqua verſum diditur.

10. Etſi autem, qua eſt humor ille pravitate primigenia inſitaque temperari poteſtate natura, & ad frugem reduci haud poteſt: tamen intereà temporis, dum reſes in hypochondriis, ſpiraculis atq; diverticulis hujus ſtabulatur, inſuper indolem acquirit multò deteriorem, ſpecimenque malitiæ jam palàm profert ſuæ, præſertim φλογώσει veluti fermentatus, multoque magis ſi putredine inſuper incanduerit.

11. Nonnunquam tanta & tàm inemendabilis hujus pravitatis vis

eſt,

eſt, ut ſi neglecta tractu've temporis durata fuerit, altiùs actis radicibus agnata viſcera longè graviùs inquinet, ſuæque ipſa mancipio det contagioni, quæ ab infecta matre in hominem, quem fert utero, à nutrice in lactentem perinde diſſeminatur, ut ex convictu, poculorumque communitate in adultos poſtea transfunditur. Unde Schorbutus appellatur aliàs *συνεγενὴς velut parente ſatus*: aliàs ξυώτροφος, *collactaneus ſive coætaneus*: nunc etiam *δι' ἐπίκτησιν ἢ συναγωγὴν* *per atractum*, ſi analogia ſubſit, contractus & acquiſitus.

12. Ad *τὰ ἔξωθεν id eſt, ea, quæ ſunt extrinſecus*, Hippocratis teſtimonio pertinent Diæta ſeu ratio vivendi, & ſpiritus, quem ducendo vivimus. Utraque ſi *φαῦλα καὶ φλαῦρα improba & vitioſa* fuerint, ſanè magnam, ad Schorbuti γένεσιν vim obtinent.

13. Vivendi ratione ſecundum eundem complectimur eſculenta & poculenta, qualia ſunt nautarum, & eorum, qui ſecus Oceanum habitant diverſanturve: de eſculentis quidem frigida & humida legumina, erua, frumenta ſemiputria, perperam ac malè cuſtodita: elixum triticum, & panificium elixationi ſimile: panes biſcocti, mucidi, ſquaroſi: carnes & piſces macerati ſale, fumoque aut in ſereno durati.

14. De poculentis ſunt aquæ maritimæ, & quas *κοσμοῦ ὄμμα mundi oculus* Sol limis aut prorſus non aſpicit, craſſitudine ſuæ gravitatis inſalubres, & quicquid ex iis poſteà diſcoquitur. Similium aquarum infectarum præter Strabonem, Plinium, & Galenum, meminit Vitruvius Trœzeni & Suſis: ex illis pedes noxam ſentiunt, his dentes labefacti radicitus excidunt.

15. Aer aquilonarium regionum, tractuum maritimorum, & in mediterraneis locorum humectorum, lacuſtrium, *ὑπογαίων, id eſt, ſubterraneorum* & uligine ſqualentium aura vitio eſt, quod intendi poſteà ſolet tempeſtatum intempeſtiva ac frequenti cùm alteratione, tùm alienatione: qualis fuit anni ſuperioris deficientis, atque eſt etiamnum vertentis hujus ſtatus uſque adhuc præter moram inſolens, dubius & pluvius, præteritæ æſtatis ſqualores excipiens, Schorbuti ſanè quàm ferax. Non enim ſecundum Præceptoris oraculum, *ὡραῖα ὡραίως, id eſt, tempeſtiva tempori*, nunc eveniunt.

16. Omnibus his ſuffragantur, quæcunque prætereà ad vitæ ſortem attinere videntur, ut ocium, exercitationes intempeſtivæ, immodicæ balneæ, inquies nocturna: mœror, ira, ſolicitudo: interceptiones aut ſuppreſſiones ſtatarum & ſolenniũ evacuationum, morborum ardentium & præcipuè febrium diuturnitas.

17. Signa mali hujus χαρακτηριστικὰ non alia ſunt, præter duo illa (quorum ſuprà meminimus) germina, ſymptomata παθογνωμικὰ ap-

pellata, indubia morbi indicia, quibus graphicè vivisque coloribus nõ adumbrari modò, ſed ſolidè & ad unguem exprimi videntur ϛομακάκη & σκελοτύρβη. Cætera ſymptomata avina ancipitia ſunt & vaga, quæ tamen ipſa quoque malè merentur de iis, quos invadunt, vel ipſo ſpacio periculoſa.

18. In ϛομακάκη vaporibus & ſucco ἰχωροειδεῖ maligna imbutis qualitate, ſurſum exaſtuantibus gingivæ primùm prurientes gliſcunt, mox ubi utrisque nimiùm ſaturatæ fuerint, vel fatiſcunt ſpontè, vel per levi fricatu rimas agunt amiſſoque vivido flore coloris ſui denigrantur, fœdo manant tabo, cujus acrimonia hulcerantur, ἀτοπόν τε καὶ δυσῶδες, *id eſt, tetrum* ægrotantibus ab ore & ſputatur & reſpiratur: denique labefacta ſtabilitas dentium vacillat, laxatis nimiũ, quibus hærebant, mortariolis.

19. In σκελοτύρβη tumore flatulento crura turgeſcunt, artuum compages & nervacea muſculorum corpora lutulenti humoris liberaliore hauſtu inebriata, ac ceu divulſa obrigent, unde illa inambulandi ἀθυμία: præterea diſcoloribus maculis minimè tuberoſis ſumma tibiarũ paſſim tinguntur, non rarò acrimonia humores foràs moliente cuniculum etiam hulcerantur, indeque in cicatricem difficulter atque indecenter veniunt.

20. Quanquam autem hæc ſeu ſymptomata, ſeu (utcunque & quo lubet nomine appellare voles) ſigna παθογνωμονικὰ aliis habentur καθ' ὅλου ſchorbuticorum omnium & tanquã ἐξ ἀνάγκης ἑπόμενα, *id eſt, neceſſariò conſectantia*, ac prorſus ἀχώριστα: ſæpenumero tamen ita furtim occulteq; latent, ut vix divinando aſſequi, nedum dinoſcere aut viſu approbare poſſis, nunc neutro eorum, nunc vix alterutro ſeſe emergente, morbumque repræſentante.

21. Et ϛομακάκη quidem tùm abeſſe poteſt, quando παχυμερέστερος humor gravitate ſua ad crura ſidit univerſus, aut quod tenue inerat, partim hæmorrhagia, partim largiore ſudore exhauſtum eſt. σκελοτύρβη antem ſi idemmet ad gingivas reſtagnet ἰχωροειδέστερος: Neutra apparent in ætate affecta & præcipitante, cujus jam propè effœtus calor nativus vix poteſt ſeſe ampliùs proferre, in qua nonnunquam pedum extrema paullò poſt vidimus in quibuſdam funeſto frigore ſyderari atque emori.

22. Hodie Schorbuto præter litorales ſeptemquetrioni ſubjectos, & pravæ vivendi deditos, maximè expoſiti ſunt diutinis cum febribus aut morbis aliis hactenus conflictati, aut curati ab iiſdem negligentius: mares juxtà ac fœminæ, in quibus ſtatæ excretiones ſubſtitêre, maximè omniũ ſenes vieti neque dum tamen eam conſecuti ſiccitatem, ut prorſus exſucci ſint & exſangues: & hi quidem propter inſiti calores ἔκλειψιν: juniores

res enim propter ejuſdem ἔκλαμψιν, *id eſt, ſplendorem*, vigoremve ab injuria ſchorbuti magis tuti ſunt, magnaque ex parte immunes.

23. Congeneres ſive cognatos morbos quod attinet, tantùm his Schorbuto intereſt, quantum

——— *diſtant erua lupinis.*

Et quidem ab ictero nigro, à cruento volvulo, à lienis inflāmatione ſchorbutus longius recedit: ad magnos lienes contra accedit paullò propriùs, tametſi nec in his utraque ſimptomata oris & tibiarum perpetuò conveniunt; quæ Cælius, Paulus & Avicennas in ſaxea ſplenis duritia aut σκίῤῥῳ conjuncta eſſe aſſerunt.

24. At enim verò nulli de claſſicis medicis, quod ego quidem ſciam, prædictis morbis affinibus maculas ſive lituras uſpiam aſſignarunt, quibus præter partes cæteras crura ægrotantium præcipuè obſita, inſcripta, ac velut compuncta ſunt, niſi fortè in lienibus per colorem plumbi audire eas quis volet, in quem nigredo macularum, utcunque plenius fucata ſit, tandem ſolet exoleſcere.

CURATIO.

25. Eadem lex eſt profligandi hunc morbum, quæ cæteros univerſos & ſingulos, quos quidem cauſſa etiamnum fovet ſua ſuſtinetque. Niſi enim hæc priùs, quàm affectus, ſublata fuerit, quantum ejus demſeris, tantundem aſſidua & continens cauſſa (quæ nunquam ceſſat in corpore, neque ab omni opere feriatur) ſubindè ſuggeret ac redintegrabit.

26. Quemadmodum autem lex illa ſuſcipitur, ita abſolvitur primùm vacuatione humoris vitioſi, redundantis in morbido corpore: Deinde νεωτερισμῷ *ſive inſtauratione corporis* è natura & præſcriptione hujus enormiter egreſſi, planeque alienati, hoc eſt, reſtitutione in ſtatum priſtinum.

27. Ut primum ergo fuerit instituta diætæ ratio τῷ φαύλῃ καὶ φλαύρᾳ adverſus præſtituta, (σκεθρὰν veteres appellavêre) imprimis verò alimenta, in quibus medicamenti plurimum inſit, id eſt, φαρμακώδη præſcripta: ſiquidem corpus ſucci plenum ſit, aut ex ſuppreſſione conſvetæ alicujus evacuationis oppreſſio formidabilis: ad hæc ſi præcordia intùs vehementer æſtuaverint; multum ſanè in phlebotomia erit momenti & ab hac auſpicandum quoque, tametſi purgandi uſus ſimul incidat, non minus neceſſarius.

28. Qui contrà fecerit, tàm in vitio erit, quàm ſi ipſi vim afferat ægroto. Ut enim maximè morbum alioqui ſanabilem ex eventu non prorſus fariat inſanabilem: at brevem tamen protrahet longiùs, ac quotquot ſuccedent deinceps, aut ſupervenient, multò reddet eos deteriores. Ex ſuccos ſanguiniſque inopes pauperare ſanguine religio eſt.

29. Vena pro alterutrius viſcerum urgentiore affectione modò in dextro, modò in lævo cubito κατ' ἴξιν

fodienda

fodienda eſt, ſusque deque habita fibrarum rectitudine, idque imitatione naturæ. Nam & hæc in magnis liembus, ſimiliter in hypochondriis ſecundum Hippocratem, ſanguinem è nare directa concire ſolet: qua Præceptoris ſententia tanquam ſenatus conſulto lis ſuper loco ſectionis omnis dirimitur. Quin etiam τὸ ἀνάπαλιν experiri non abſurdum fuerit, tuſa vena lateris oppoſiti, ſed in plethora: aliter vires citrà morbi levamen dejiciet. Quibus neque menſes, neque hæmorrhoides merito & κατὰ λόγον naturæ fluunt, iis ſanguinis ad viſcera palindrome *curſus retrogradus* deorſum retrahi debet, vena poplitæa, aut quæ ſecùs malleolos decurrit, inciſa.

30. Quòd ſi ejusmodi auxilio aliquid obſtiteria, aut ipſum periclitandi occaſio modò ſit præterlapſa, maculisque jam paſſim ſumma corporis, præſertim autem tibiarum, obſita: primas corporis vias, quæ in alvũ & alveũ ſeu loculos hujus directę ſunt, à ſaburra ſtatim expedire atque exonerare medentem oportet: alteri à janua, quod dici ſolet, aberrabis.

31. Jacto hoc fundamento cæterũ corpus ab illuvie humoris Schorbutifici, lutulenti pariter & maligni, ita debet deonerari, purgationique opera dari, ne digerentia appellata, *id eſt, incidentia, tenuantia, tergentia* ſuſque deque habeas, quorum prævio apparatu morbi materia redditur naturæ obſequentior. Si ſecùs faxis, & harmoniam functionum corporis perturbabis, & ſuppetias naturæ fruſtrà præſtolabere.

32. Hoc ſcilicet eſt corpus ad præſcriptum præceptoris ἐυροῦν, *id eſt, meabile* reddere, idque lenibus μελαναγώγοις, φλεγμαγώγοις, aut etiã miſtis auxiliis, perque temporum intervalla iterùm iterumque repetitis convenientiùs fiet, magisque appoſitè, quam ἐλατηρίοις aut μοχλικοῖς veterum, quorũ hic morbus ex pravo oriundus victu multò eſt impatientiſſimus, ideoq; merito iis interdicitur, ut ut interim ſecùs dictare videatur humoris ipsũ parientis conditio.

33 Hactenus κακοχυμία humoris ſtagnantis in corpore utcunque in gyrum naturæ ducta, feritasq; edomita eſt, ut ea in poſterum faciliore uti medicus queat. Aſt quæ inde ferè ſemper emergit obſtructio, non perinde omninò expedita, quæ præſente illa uſque viget, & unà plerunque febris errabunda motus & reverſionis planè inconſtantis, abſente eadem, & virtute vel naturæ vel artis, vel ſuccenturiata utriuſque opera exploſa exſolvitur.

34. Obſtructioni expediundæ debentur ac dicantur ἐκφρακτικά, *id eſt, aperientia, farctuq; levantia,* ac præter multa alia imprimis cochlearia, becabunga, naſturtia omnis generis mitia & ſylveſtria, & his ſimilia ſiſimbria καρδαμίναι dicta, maior illecebra, (aliàs vermicularis nuncupata) chelidonium minus, ſingula morbi hujus ἀλεξιφάρμακα præſentanea, quæ ſimul ſqualidum & terrenum humorẽ emolliunt, attenuant, fundunt,

dunt, detergunt, ſimul malignitatem ejus emendant.

35. Si qua ex horum colonia adurentis facultatis participia ſunt, iis τὰ πυκεραςικὰ numularia, ἄσπληνον ſive ſcolopendrium (*officinarum Ceterach*) & hoc genus alia familiaria neceſſario adhibentur quorum benignitate τὸ ἄκρον caloris & acrimonia in illis aliquantulum retunditur atque miteſcit: etſi quæ foris cuti impoſita hulcerant, vim flammæ adepta, ubi comeſta fuerint, idem haud præſtant: quo nomine naturæ neque ſemen ſinapis naucifaciunt.

36. Et quia pleraque ex his etiam ἀναςομωτικὰ *oſculantia* ſunt, ſumma cautio & una proviſio eſt, ut ne temerè iis exhibeantur mulieribus, quibus jam inchoati hominis indicia ſunt: quippe talibus nullum ex prædictis impunè vel crudum & in obſoniis eſtur, vel cum aliis ingurgitatur præſidiis, quin fœtum ante tempus elidat, atque adeò ſpem animantis perimat.

37. Inter hæc etiam in medio morbi curſu ſtudendum malè moratis, at jam manumiſſis viſceribus hypochondriacis, naturalique œconomię in illis labefactatæ, & officio nutritio, prætermiſſo hactenus ſeu intercepto ſedulò incumbendum, quorum reſpectu ἐπικράσει & grata naturæ viciſſitudine purgandi hiſtoria ſuſpenſa nobis ſubindè atque interrupta eſt, ut quaſdam quaſi inducias natura haberet, per quas ipſi liceret interſpirare.

38. Si non reſpondentibus menſibus, aut hæmorrhoidibus cunctantibus ex æſtu lumborum, ex partium infernarum, ad ultimas ſedis & genitalium oras prurigine, ἡ ῥοπὴ cohercitæ cacochymiæ ut plurimum Melancholicæ innotuerit, illac ducenda erit, quorsũ iter natura monſtravit, nempè per loca iſtis excretionibus conſecrata: quanquam compertũ eſt, etiã quatrimeſtri menſtruorum περιῤῥοίᾳ *profluvio liberali ac continenti*, quo vitia univerſi corporis ſolent plerunq; exſolvi, nihilo tamen ſeciùs fœdiſſimo Schorbuto corpus interim contaminatum fuiſſe.

39. His peractis omnibusq; purgandi numeris expletis, & exacto jam morbo aut certè affecto valdè opportune, neq; pręter rationem appellabimus ad οὐρητικὰ, ἱδρωτικὰ, διαφορητικὰ: quorum ope non ſolùm reliquiæ morbi etiamnum ſuperſtites diſſipantur atque eluuntur: verum etiam reſtibilis earũ fœcunditas velut caſtrata adimitur, ne quid parturire novi impoſterũ queat. Quib⁹ enim lotia & ſudores privilegio naturæ benè eunt, aut habitus liberè liberaliterq; imunibus viribus tranſpiratur, his malè eſſe omninò nequit, quippe qui periculo defungantur & morbo.

40. Lacti præ cæteris eximia adverſus Schorbutum & prærogativa quædam dos eſt, omniũ calculis experientiæque fide, vel quocunque morbi tempore exhibeatur, eò quod alvum moderatè ſubducat, & ſi cacumina thymi, lupi ſalictarii, & cætera hujus mali amuleta ipſi inferbuerint,

buerint, neque inflet hypochondria, neq; tranſit⁹ per arctiſſimos vaſculorũ fines intercludat, quib⁹ cib⁹ ex remis jecinoris in gibba tranſſumitur.

41. In gratiam viſcerum, quorum vel tonus elanguit, vel ſubſtantia affluxu humoris flaccidior evaſit: præterea cùm ventris interanea morſibus aſſiduis laceſſuntur, lac nunc marinis calculis, nunc ferri orbiculis candentibus priùs exuri debet, quàm quę opus ſũt, in ipſo fuerint diſcocta.

42. Multò priùs autem, quàm mituit morbus, opem medentis ſibi oppignerant; & ad ſe operam advocant ſymptomata, partium obſeſſarũ oppreſſarumque nomina ſibi adoptantia, ſi præſertim functiones oblæſerint. Quare ante triumphum Naturæ de morbo uvido madore prægnantibus gingivis principio inſputari, mox tabum, quod ſalivant ipſæ, abſtergi, tum carnis luxuriem ac fungoſam putrilaginem coherceri, ſaluti ægrotantibus uſque fuit. Si quid fortè vel dentibus, vel gingivarum, quæ ambiuntur, carni adhæſerit, id vino dilutiore, aut melicrato commodè priùs eluitur, quàm cunctando vitium conceperit.

43. Quæ ſyderata ſunt, & omni ex parte corrupta, neq; ſpes eſt redintegrari poſſe ampliùs, ea ni maturè depaveris, aut reſecueris, carnem ſanã ac ſinceram non multò poſt contagione ſua polluent. Inhiberi hoc diſcrimen poteſt oleo vitreoli pręparato in candido ovi indurato, ſtylisq; ſubter per puncto, cui ſpongiam à tophaceis quidem ſcrupis, aſt à nativa ſalſilagine nõ perindè mundatam inculcamus, muccidoq; flaccori gingivarum apprimimus, ſaniem eo pacto haurientes atq; exſorbentes.

44. Ὄγκ☉ crurum οἰδηματώδης vel οἴδημα ὀγκώδης auxilia deſiderat attenuantia, diſcutientia; tenſio muſculorum emollientia; poplitũ contractio dirigentia; laxitas compaginum ſive articulorum aſtringentia; genuum denique inſtabilitas firmantia: inter quæ litus & fomenta omnium punctis præſtant, dummodò quæ peculiariter dicata ſunt, ſemper iis ammiſcueris.

45. Tibiarum lituræ obliterari, ac (ut ſi dicam) deflorari illorum ope ſolent, quæ craſſum ac concretum in ipſis humorem vel emolliunt, vel quodammodò colliquant, extenuant, tergent, cutim rarefaciunt, & ſpiracula ejus reſerant, quo promptiùs dein reliquũ quod eſt diſcuti queat.

46. Denique hulcera, quæ hic ſatis maligna ſunt, Græcis θηριώματα ἢ νομαὶ, Cheironeia & Telepheia aliàs appellata, indigent mundificantibus, ſordemque eorum blandè ac citrà morſum detergentibus, ſubtrahentibus item, quæ ferruminari ea ſeu coaleſcere non patiuntur: ad hæc in cavis fundum replentibus, ſolidam carnem regignentibus, eamque obduratam in cicatricem cuti analogiam ſpecioſè cogentibus, ad quæ pulveris plumbi atomorum ſimilis vis eximia eſt, & commendationis ſingularis.

QUÆSTIO

An & quid Grandini in ſue cum Schorbuto in homine ſit commercij:

Recitata à

JOHANNE JACOBO ALBERTO

Vitæbergenſi., Salomonis Filio.

QVoniam in eiusmodi materiam veſtigium ponere viſum eſt, quæ puſillitatem captus & in genii mei longè excedit: ſanctè mihi obſervandum eſt illud Enniani Neoptolemi: Philoſophandum paucis. *Namq; omnino haud placet, neq; etiam licet præſertim ei,*

Qui nova nunc primus miles in arma venit,

neque dum eius ætatis eſt, ut ſcitè interrogare, nedum de re non ſatis nota diſſerere queat. Deinde ad auguſtiſſimam hanc concionem Magnifici & generoſi Domini Rectoris, inclitorum Baronum, nobiliſſimorum item, reverendorum & clariſſimorum virorum, præceptorum meorum chariſſimorum & cohortem diſcentium, quâ circumſeptus ſum, univerſam mihi vel imprimis reſpiciendum eſt: quorum aures teretes, intelligentiaq; judicia puerilibus ac tritis conſtat minimè delectari. Omitto de temporis, quâ excludor, anguſtiâ. Quare jam modo in ipſa ingreſſione aures meæ acclamatione præconis Attici undiq; circumſonant: μὴ προοιμιάζου καὶ ἐπίλεγε. *Atqui dicendum tamen & proponendum eſt in hac panegyri, idq; vigore privilegij, quod à noſtris maioribus iam inde à iactis huius ſcholæ fundamentis gregi noſtro indultum eſt: Etſi neq; τὸ πρέπον, neque quid, quo in loco, coram quibus, & quatenus dicendum ſit, per ætatem callere poteſt.*

Prius autem quàm ordiar, te etiam atque etiam imploro atque appello concio auguſtiſſima, audientiamque exoro tuam, quam tenuitas argumenti ne conciliare quidem ſibi nedum mereri potis eſt. Liceat enim mihi eiusdem iuris participi eſſe, quo ante hac coævi alii gaviſi ſunt. Veniam mihi dante concione, nunc ad te veniam renunciate Domine Doctor, Erneſte, vir clariſſime, cum argumento, quod ab eo, quo de in diſputatione nupera à patre meo chariſſimo & abs te ultro citroq; diſſertatum eſt, non attenum ſit: bonaq; pace tua quæro, an Schorbutus id ſit in genere mortaliũ, quod in ſuillo pecore grando, quando vir magnus & multarum rerum peritus in doctrina veſtra, celebratusq; ingenii nomine Gulielmus Lemnius videtur hoc aſtruere, neq; ſolum unum aſſimilare alteri; ſed grãdinẽ planè idẽ cum ſcorbuto facere voluiſſe: cuius autoritas vel hoc nõine magni à vobis

æſtimanda eſt, quod quis character ac velut inſigne, quod nam εἶδός τε καὶ ἦθος ſchorbuti eſſet, ignorare profectò haud potuerit, quippe qui tot annis ac propè ſeculis jure gentilitio Selandis per quam familiaris ſit atque vernaculus. Etenim patria quæ ſunt, quæque domi naſcuntur noſtra, ut propiora, ita notiora plerunque ſunt, deq; iis alios rectius docere quimus. At enim hæc nuda & ἄλογος αὐθεντία tibi fortè ſuſpecta, minusque accepta eſſe videbitur: neque verò hoc immeritò, qui medicus ſis λογικὸς ac perinde abſque ratione vel loqui ipſe, vel auſcultare aliis erubeſcas, atque conſultus iuris ſine lege, Theologus abſque ῥητῷ ſcripturæ ſacræ: quæque rationis omnino expertia, aut his malè fulta ſunt, claudicare tibi videantur ſingula & univerſa, utpote altero & quidem potiore crure artis defecta atque truncata: niſi ex eorum fortè numero ſint, quæ natura in ſecretiorem ſinum penitius abſtruſit ſuum, quæque â mentis acie non aliter reſiliunt, atque ferrum ſilici inflictum: ceu conſtat eſſe in arte veſtra multa ἄῤῥητα, ἀναπολόγητα, θαυμαςά, aut θαύματα θαυμάτων, extrà ſenſus poſita noſtros, & imbecillitatem perſpicientiæ humanæ excidentia. Tale judicium de aphoriſticis oraculis veſtri Præceptoris pronunciat, atque etiam fert in hiſtoricis Suidas: de quibus cum meum judicium nullum eſſe queat, ſincerum tuum ac ſubtile meritò exquiritur. Verum age nunc ab αὐθεντίᾳ appellemus ad rationes, deq; momentis harum videamus, ut poſſit adeò

——————Conſtare lupinis

Erva quid interſint: An Schorbutus à ſuum grandine, & quid, quantumve diſtet? Germana certè ſunt mala utraque, ἄμφω περὶ ἄμφω mihi quidem ſymbolum non omninò nullum habere videntur.

Principio hoc eſt etiam vulgo notum, grandinem æquè vitium & maleficium oris eſſe, atque Schorbutus eſt, quod porcis humum afflictis, paxilloque dentibus ipſorum interſerto lingua modo depreſſa, modo everſa, aliàs omninò etiam extra ἕρκος ὀδόντων exſerta poteſt ac ſolet ab ὑοσκόποις explorari.

Cum vero in mortuis hoc experiri maluerint apud Suidam coqui, divinare nequeo, neque fortè indagare nunc operæ precium fuerit. Hac labe quotquot ſues infecti ſunt, empturientes deterrent, aut ſi quem venditor forte nactus licitatorem fuerit, is plerunque minimum precii apponit, eò quod merx fallax, neque ſincera ſit. Hinc accipimus jam olim etiam ſues ſic veniſſe, atque emi ſolitas: Illaſce ſues ſanas eſſe habereque rectè licere, noxiſque præſtare, neque de pecore morboſo eſſe, ſpondes ne? Grando Polluci in ore eſt: Ariſtoteli ima crura occupat. Schorbutus in homine utrobique trophæa ſtatuit, ſuique ſignà foràs mittet, quæ oculis intuentium patent, & ſub aſpectum ſubjiciuntur. At enim non hiſce duntaxat ſedibus corporis grandines ſtabulantur ſtabiliunturque, ſed in corpore πανταχοῦ paſſim veluti palantes in ambitu univerſi, tum quoque in inteſtinis carnibus, propemodum ut margaritæ

in car-

incarnibus oſtreorum. Hac enim ſimilitudine Athenæus uti, & margaritas quaſi ad genus porcorum abijcere non veretur. Præcipuè autem ibi emergere grandines ubertim videas, ubi corium depilè, neque ſetis densè obſitum eſt, & aſsiduo inſuper contrectatu attrituque quaſi tenereſcit, ſudoribusque diffluit: omnium crebrerrimè ſub alis & ſecus inguina, ubi medicorum manu operantium ſenatui emunctoria corporis ſtatuuntur: quorſum natura, quicquid oneri ſibi eſt, κάτω σιν relegare ac velut exſpuere aſſueſcit. Quod ſi paullò benigniore ex ſucco grandosproveniet, equidem non dubitarim interea temporis, dùm ſubtus cute moratur, perinde à ζωτικῷ calore animatum iri, atq; in bubulo pecore, & agreſtibus feris, domi reſidibus perque hyemem inertibus, ſubcutanei illi vermiculi, quos ab angoribus moleſtiisque, quibus perroſa cute primo vere in lucem enituntur; vulgus Engern *indigitat, à Dracunculo veterum (Maurorum familia Venam Meden appellat) fortè ne hilum diſcrepantes. Hujus roſionis in direptis tergoribus veſtigia exſtant, ſi intempeſtivè jugulaveris aut fixeris priusquam vulnera ipſo beſtiolarum enixu cuti inflicta, robore caloris in cicatrices firmiter coaluêre, atque obſignata ſunt. Sed de hoc ſatis haud ſcio annon etiam nimis.*

Ingens præterea adeſt tàm in grandine quàm in Schorbuto ſcalpendi deſiderium, & in ore quidem pruritus tantus, ut tabulas, quibus pavimentum haræ ſtratum atque compactum eſt, ægri ſues diu noctuque continenter arrodant, moleſtiam hoc pacto diſcuſſuri. Tergus ex fervido, & retorrido ſucco ſolito ſqualidius eſt, veluti æſtivis Solibus terra indureſcente ſitu. Adhæc poſterioribus pedibus æquè non conſiſtunt firmiter grandinoſi ſues, neque ſeſe ipſi ſtantes ſuſtinere, aut expeditè progredi poſſunt, quemadmodum cum Schorbuto qui conflictantur, crurum ſuorum impotentes, vel in uno clivo fatiſcere, non rarò etiam λορδῶσθαι contingit. Neque hoc ſicco pede prætereundum eſt, quod præ cæteris frequentius grandent ſues ὑγρόσαρκοι, carnibus & corporis habitu ſucculentiore præditi. Ejusdem conſtitutionis homines Schorbutum ſanè quam promptè incurrunt; à quo exſucca & exſanguia corpora veſtro teſtimonio ferè immunia ac tuta ſunt. Et tantum quidem de germanitate & cognatione utriusque vitii, vix inchoata à me non autem ad uſque umbilicum perducta. Cæterum quid Sus Minervam? Nemo autem miretur, ſuem in hunc circum productum, eoque litatum à me eſſe. Nam ὗς, referente Clemente, in ſecundo Stromate, tanquam θῦς, aptus viſcerationibus, aut, (ut Varroni viſum eſt) à verbo, quod Græci θύειν immolare *dicunt; nominatus eſſe putatur: quippe à ſue immolandi primordia in auſpiciis nuptialium conjunctionum ſumpta, adeoque dignus ipſe inſigni nuptiarum priſcis habitus eſt, quarum inſtar tu cum deſponſa tibi Medicina, & artium huic obſervientium cyclo hodie celebras. Quod ſi in medium à me allatum problema hujus momenti eſſe cenſes,*

 in quo

in quo diligentia tuâ verſeris, in grandinis intimam naturam, cui Schorbuti nomen aliqui adaptare audent, penitùs deſcende, & de utriuq; vitiis judicium tuum interpone: ſin minus, ſtipe ſive nummo theatrico, id eſt, grandinoſo, *me abſolve, & bona cum venia dimitte. Cæterum ſatis hucuſque, & ſatis. Seria namque philoſophia ad haſce ludicras colluſiones parum apta mihi eſſe videtur, tametſi ipſis illis à me dicta quæ ſunt hactenus, unicum hoc mihi proponitur, ut ſi quid ignoro diſcam, ſi quid ſcio, nunc ubi labar, obſervem: neque opinor Gratiis cauſſam inde datam eſſe, ab hoc congreſſu noſtro exſulandi, quarum genio cum humanioribus Muſis bellè convenit. Dixi.*

RESPONSIO AD Quæſtionem.

SI Guilielmi Lemnii, cujus mentio abs te facta eſt, Johannes Jacobe, ſuper problemate tuo commentatio etiamnum exſtaret, utique eo labore, quem tu mihi videris imponere, nunc ſuperſederem. Neque enim nova, quod dicitur, Ilias poſt Homerum meditanda, neque rationes Lemnii penſiculatiùs æſtimandæ, ac momentis ponderandæ ſuis eſſent, quod ſolummodô malè fultis uſu accidit. Etſi rimanti, qui paullò ſit ad excogitandum acutior, nunquam ſubtilitas deeſſe ſolet. Proinde una me libri penuria ex umbratili exercitatione in hunc eruditum pulverem detrudit, in quo ita leniter verſabor, temperateque, ne vel clepſydræ oblitus fuiſſe, vel nimium indulgendo paſtui ingeniorum genios audientium interim defraudare voluiſſe cuiquam poſſim videri. Nam & mihi ejuſdem Enniani Neoptolemi, de quo ſuprà ſcripſiſti, conſilio opus eſt: *qui deguſtandum ex philoſophia cenſet, non in eam ingurgitandum.* Sed ad rem, & ad id, in quo cardo ejus vertitur, nunc ſtatim accedam, ubi in patrocinium tui ſaltem unum hoc velitationi meæ compendio præmiſero. Si eorum, qui paſcendi pecoris diſciplinam habent, experimentum teſtatum eſt, unde didicêre ipſi verrem, ubi paullò antè admiſſuram ſupra modum incanduerit, adeo ſcropham inficere, ut quotquot inde naſcuntur porculi, ex

æquo omnes mox ab ipſo ortu grandere neceſſum ſit: jam in ſuillo pecore grando, perinde ut in homine Schorbutus, trium erit generum: *συγγενὴς vitio ſatus, ξωώτροφος à ſcropha impertita lactentibus*, quanquam hi Philoſopho planè immunes ſunt: denique qui ex contagione deinceps acquiritur, quando à mundis infecti neque ſeparantur, neque ſeorſim paſcuntur. Idcirco boni ſubulci olim ad fœturam duobus menſibus verrem ſecrevêre, priusquam admitteretur. An verò ſcrophis catulientibus ac geſtientibus jam maritari, idem uſu poſt incandeſcentiam veniat nec ne, & num his quoque admittendi occaſio ideo præcidenda ſit, eorum judicium eſto, qui iſthæc ſunt periclitati. Eſt omnino Sus hebetis quidem ingenii, aſt animi ingentis, eique præter cæteras animantes plus illius à natura datum: quem, ubi irritatus laceſſitusve fuerit, tantoporè commoveri conſtat, ut animus ipſi quaſi proſilire in os videatur, quem dein dentibus ſtrictim preſſeque colliſis ſubinde inſtigare, ac tanquam in cote (ut ſic loquar) excutere adverſus inſidiantem ſibi inſectantemque ſolet. Quo quidem tempore humores in corpore ſuis ſuprà modum *ζεῖειν ſuffervefcere atque ebullire* credibile eſt: documento primum eſt τὸ ἀφρῶδες, quod ore crebrò jactat, æſtuq; identidem reciprocantis animæ abs ſe reſpuit: Dein lacrima, quam ſimulatque exarſerit in furorem, profundat, plurimo calore ſurſum ad oculos uberim exundante, cujus ope

Erigit & ſetas, & flammas lumine ſpargit

Immò vero non humores ſolùm, neque tantum carnoſum genus, quod alitur illis ac ſuſtinetur, inflammari tùm contingit, ſed pertinet vis ardoris etiam ad ſolidiſſima oſſa, cujus fomitem in transfoſſo nuper vitaq; functo agreſti ſue etiamnum ſuperſtitem cernere eſt. Scitum namque eſt Xenophontis illud, in lib. de venatione ad Cyrum, apri recenter occiſi dentes uſque adeò fervere, ut crines & ſetas, ſi propiùs admoveris, amburant. Et cui igitur non hoc etiam videri ſimile vero queat, fervore illo in verre ſemen, περίττωμα ultimi alimenti partiũ utiliſſimum, graviter infici, atque inde in fœta ſcropha etiam nutricium ſanguinem (qui tertium eſt primordium animalum) contagione pollui ac contaminari? unde poſtea illa tàm mali ſeminis ſoboles. *Namq;* (Secundum Mantuanum)

——*Patrum in natos abeunt cum ſemine morbi*:

perinde ut, eodem teſte,

Qui viret in foliis, venit ab radicibus, humor.

Scilicet ſeminarium in vitio genituræ, aut ſanguinis poſitum traduntur, naſcitur cum fœtu, & unà

cum

cum ætate dein paullatim ingraveſcit. Chryſippus ſui animam dicit pro ſale datam eſſe, ne putreſceret. Atenim crediderim ego, & animorum vel partim hujus, in qua irarum exiſtit ardor, ob eandem ipſi cauſſam additum eſſe. His nimirum fomitibus, quicquid eſt in humectiore & uvidiore corpore ſuperfluum, percoquitur quaſi atque digeritur, ut videatur natura carnem ſuis ad nobiliorem eſcam quadantenus condiviſſe: cujus veſtigiis nos ritè inſiſtentes, in gallis gallinaceis idemmet audemus, quos non niſi ad iram concitatos, virgularumque verberibus probè exercitos, in uſum mendendi jugulamus. Quin etiam de Indicis galinis, Calecuto primùm noſtras in regiones exportatis, & in triclinium ganearium è culina propter hominum faſtidia introeuntibus, adeoque tàm de domi altarum pecudum, quàm de agreſtium ferarum genere univerſo, experientiæ fide conſtat, exercitiis jugibus & aſſiduis carnes illarum tenereſcere, gulæ ſapidiores obſoniisque multo gratiores evadere.

Cæterùm longiùs extra fixa mihi σκάμματα & ſepta evolandum non eſt. Utcunque autem prædictorum vitiorum grandinis & Schorbuti ſocietas magna ſit, fraternaque germanitate, & germana fraternitate ambo inter ſeſe alterum alteri conveniant: non tamen in paucis abs ſe invicem etiam diſſident, eaque propter Lemnio ὁμόψυφος eſſe non poſſum. Sua namque utrique idea eſt, ſuus character. Ac ſuccus quidem, unde grando primùm ſuppullulat, tùm ὁμοιομερέστερος, neque ita varius, ut qui Schorbutum committit, tùm benignior quoq;, & ad alendum magis idoneus eſt. Cumque in nutrimentum ſuccus ille amplius nõ faceſſat, grandentes ſues ferè emaciari contingit, aut ſaltem ali multò quàm ante hac deterius. Et eſt cur credam, conſimilem hîc in ſanguine ebullitionem fieri, qualis ſolet in exanthematibus, tametſi non peſtilentem, aſt interim tamèn contagioſam: quo nomine labes proſerpendo cæteris contubernalibus ſuibus ocyus affluit, ni á mundo pecore infectos, ſicut homines leproſos ab aliorum conſortio ſecreveris atque ſequeſtraris. Quæ ſi ita ſunt, ut eſſe conſentaneum eſt, quid jam, quæſo, aliud erunt in ſue grandines, quam ἐκζέματα, ἐκζέσματα ἢ ἐκβράσματα, id eſt, *puſtulæ quaſi bulliendo genitæ* in incenſa atque effervescente carnium ſubſtantia, ſi præſertim experimentum, quo de paullò ſuperius, ipſum ſibi conſtiterit. Verum aliorum eſto hoc nominum aucupium. Adhæc minera Schorbuti per vaſorum in univerſam partium rempub: ἀναστομωμένων, *id eſt, oſculatorum* fines, veluti aquæ ductus tàm in gingivas, quàm crura, immò verò (ſi pluſculum

culum materiæ ſubſit) in ambitum corporis, ſeu ναυσιώσει ſeu ἐρεύξει exſpuitur. Grando cõtra inſidet altius, depreſſa & quaſi demerſa in carnes ſuilli pecoris, quas more papularum κατὰ τὸ συνεχὲς pervadit pertunditq;, donec tandem robore & vi agentis naturæ vel in partes, quæ ſub lingua ſunt, teneriores, vel in fauces, opportunitate glandularum injuriis magis obnoxias, vel denique ad emunctoria alis inguinibusque adjacentia emerſerit. Ad quæ Athenæi illa in dipnoſophiſtarum lib. 3. cap. 8. exigenda ſunt. Hiſce ſuffragari philoſophus etiam videtur in hiſtoria animalium, ubi pronunciat, grandinem ἐμπεφυκὸς καὶ ἀναμιχθέντι τοῖς σαρξὶ, *carnibus innatum quid & accretum eſſe.*

Figuram quod attinet, ea grandini peculiaris eſt, neque cum Schorbuto communis. Rotundo namque ſchemate grandinum granula viſuntur, alteri illi, quæ miſta imbri largifluo ex aere præcipitans ruere ſolet, non diſſimili, propemodum unionum æmulo, aut ea repræſentante exanthemata, quæ Græcis κεγχρώδη appellata ſunt. Præterea ſuo unum quodq; granum ac proprio utriculo, veluti στεατώματα concluditur, atque circumſcribitur, quibus ſi quis grandinem annumerare volet, meo arbitratu licebit. In utriculo ſive folliculo alba materia ineſt τῷ πύῳ ὁμοία *puri conformis*, qua inter aſſandum ab igni aſſuleſcente crepitare inſicia atque crepare ſolent, pellicula, qua grando continebatur, hiſcente, inteſtinumque diſrumpente. De ſitu operæ precium eſt hoc quoque addere. Obſidet grando non gingivas, ut Stomacace *ſive oſcedo*, ſed partes tàm linguæ ſubditas, quàm eas, quæ in umbra oris velut occultate ſunt: proximè ab his interiores pernas, qua emunctoriis accumbunt, & ſemina omnium frequentiſſimè. Quapropter in Franconia dum laniarius pernas uſtulati jam porci excidit, & facta exploratione approbat, emptori gratulans, ſibique ipſe gaudens exclamat: *Vinum affertor: Sus enim mundus eſt, & grandine vacat.* Immaturæ grandinis ſtamen quoddam apparet etiam in evulſis è dorſo ſetis, quarum radicibus cruenta ſanies ſubter ſolet adhęreſcere, rudimentum futuræ grandinis. His utcunque ſaltem homini, ſi minus humanitati bellius aliquid ſuſcipienti atque etiam requirenti, interea ſatis me feciſſe arbitror, dum manſorum veluti ruminatio ad coquenda meditata, vel potius præcipitata acceſſerit. Quare hîc indagationem ſiſto meam, mittendo cætera nulli non obvia, teque, ut petiiſti, bona cum venia dimittendo.

Macte hac indole, mi Albette, patriſque tui veſtigiis naviter inſiſte:

jam ſementem fac optimarum diſciplinarum, dum ætatis flos eſt, quo dein, ubi adoleveris, fructus illarum multo cum fœnore poſſis demetere: ad quod quidem tibi benè ominari nunquam deſinam, ſeriò precando illum, cujus nutu eunt omnia divina pariter atque humana, ut te optimorum ſtudiorum ſtadio decurrentem Spiritu ſapientiæ, & intelligentiæ fauſtè, feliciter, proſpereque deducat.

A M E N.

DE

De
SCORBUTO
Commentatio,

Tribus poſitionum centuriis comprehenſa,

à

MATTHÆO MARTINI,
Artis Medicæ D. Reipubl. & Isle-
bienſis Medico Ordinario.

SCHORBUTI HISTORIAM & Curationem exhibentia themata.

I.

INter morbos, qui avitos jampridem excedere limites, relictisque pomeriis ſuis alienis innoteſcere cœperunt regionibus, haud injuria refertur & SCORBUTUS, Arctois tractibus, Oceani Germanici accolis, multis antea ſeculis Endemius, atque hoc tempore inter ſporades relatus; non Plinio tantum, *lib.25. Nat. hiſt.c.3.* Celſo, *l.2. de re med.c.16.* Aretæo, *l.1. de cauſſis & ſignis Chron.c.14.* Strab. *Geograph. lib 16.* Alexand. Trall. *l.3.c.23.* & Marcello, *l. de medic.c.11.* ſed & Hipp. & Galeno, qui eundem τῶν σπληνικῶν nomine complexus eſt, ac certo terrarum tractui adſcripſit, nec non Avicennæ, *l.3. Fen.15.tr.7.c.5.* eximiè fuit exploratus: licet pro cœli ſolique conditione ſymptomatum varietate mirificè ludere ſubindeque faciem immutare priſtinam conſueverit.

2. Indoles naturæ hujus accuratè ut eruatur, ad diagnoſin, Prognoſin & therapiam medentium rationes præ cæteris ſunt conferendæ.

3. Diagnoſis morbi nomenclaturam, Eſſentiam, ſubjectum, cauſſas, ſigna & ejuſdem ab aliis affectibus, quorũ mores frequenter æmulatur, illorumque fallaci ſpecie ſemper lædit, differentias explorat.

4. De proprio ſcorbuti nomine tametſi nil certi conſtat, varias tamen apud Medicinæ Antiſtites ſortitur appellationes, quarum aliæ morbo, aliæ ſymptomatibus, affectionis hujus conſectariis, & effectui competunt. Hippocrati, cui & Celſius adſtipulatur, *l. de morb. int. & l. prædictionum 2.* ſub Volvuli hæmatitis, & magnorum Lienum hiſtoria complectitur. Plin. *l. nat. hiſt.25.c.3.* ob ſolutas in genubus compagines, vel propter crurum turbationem ac divulſionem σκελοτύρβην indigitat, quam & Autor lib. definitionum apud Gal. paralyſeos ſpeciem eſſe autumat. Eidem Plinio à Gingivarum relaxatione, ero- *Nomina Scorbuti.*

ne, eroſione & putredine quoque ut Langius 1. *Epiſt.* 42. inquit, cum gargareon & Fauces virulentis ulceribus contabeſcunt, *στομακάκη* ſeu *στόματος καχεξία*, vel ut alii volunt *ἄφθη κακοήθης* dicitur. Marcello Oſcedo, & â nonnullis, quod Gingivæ pariter ac pedes malè habeant, Gingipedium nuncupatur. Strabo, in *Geograph.* *πάθος περὶ τὸ στόμα* deſignat. Avicenna eundem in ſignis de Apoſtematibus ſplenis proponit, loco in principio citato hunc in modum exprimens: *Et quandoque denigratur lingua in duritie ſplenis, & ſentitur ejus durities abſque rugitu, cum premitur: niſi aggravetur ei inflatio. Et, non eſt ut in eâ febris inſeparabilis, imò quandoque non eſt ſecundum ordinem. Nonnunquam & multiplicatur cum eâ ulcera crurum.* Dentes etiam corraduntur ac Gingivæ ob ſanguinis craſſitiem, qui deſcendit in ulcera crurum, & propter corruptionem vaporis qui aſcendit in omnes partes Gingivarum ac dentium. Et quandoque eſt in ulceribus crurum crura illius. Danis ab oris depravatione Schörboek aut Schorbeck: quem faucium ærumnoſum ac tabefactum ventrem, rectè dixeris, nomine ex Danica & maritimæ Germaniæ linguæ conflato: vel à Buccarum ruptione ſeu Gingivis nimio madore gliſcentibus ac tandem dehiſcentibus Schurmundt. Hollandis à glaſtinis ac lividis maculis in cruribus, nonnunquam & univerſo corpore erumpentibus Blauſchyt appellatur.

5. Eſſentia hujus morbi ex hypochondriacorum viſcerum & humorum impuritate dependet, & hac quidem pro cœli regionis & ſui cujusque genii ratione admodum diſſimili & multiformi: Simul ac viſcera, & cumprimis Lien, à *κατορθώματι* ſuo ac rectâ functionum norma divagantur atque aberrant. Fieri enim equidem aliter hoc poteſt, quin unum cum vicinis partibus, & quibus hæ reſperſæ ſunt, Venis multis crudis, viſcoſis ac degeneribus ſuccis intricentur, qui caloris nativi moderamine deſtituti, alienoque circumventi incaleſcunt, effervescendoque putredinis fomitem concipiunt, propriamque & huic morbo familiarem corruptionem ſubeunt, quorum vel ſubſtantia & contactu vel qualitate ac fumis viſcera vicina depravantur, ac naturalis earundem temperies tandem oppugnatur, donec in contagii communionem tranſeant, ob ſemel receptam infectionis labem alimenta aſſumta continua ſerie vitient, ſimilemque corruptelæ notam iis inurant. *Natura & generatio*

6. Cumque ex humorum interius ſtagnantum diſpari conditione ab ebullitione id, quod tenuius eſt, per vaſorum tubulos ad ſuperiora viam affectet, non capitis tantum dolori occaſionem præſtat certiſſimam, ſed & gingivas maximâ ex parte inflat,

erodit

erodit & polluit: Quod vero craſſius eſt ac limoſius per lumbos in crura decumbit: Unde vel tumorem flatulentum excitari; vel ſummam cutim, ac potiſſimum tibiarum, maculis deformari; aut in muſculis tendinibus & compaginibus articulorum ubi imbibitum fuerit, contractionem & rigorem excitari: vel denique à diutius coercito ſubjectam carnem ex contracta vehementiori malignitate exulcerari contingit.

Definitio Scorbuti. 7. Quem igitur Olaus Magnus Suecus, *hiſtoriæ de gentib. Septentrion. lib. 16. cap. 51.* hunc in modum exprimit. Quod ſi morbus Caſtrenſis, obſeſſos & incluſos divexans, ut membra carnoſa ſtupiditate quadam denſata & ſub cutaneo tabo, quaſi ceræ liqueſcens, digitorum impreſſioni cedant, dentesque veluti caſuros ſtupefaciens, colores cutis candidos reddens cœruleos, torporem inducens cum medicinarum capiendarum nauſea inſigni: Num appoſitè ſic definire licet? quod *ſit humorum crudorum, ac potiſſimum atrabilarii, ex viſcerum, imò ventris ambitu contentorum, cumprimis vero lienis, intemperie & infarctu reſultans corruptio, quæ proprium, ſibi peculiarem, atque ab aliorum morborum malitiâ ſpecie & formâ diſcrepantem putredinis gradum acquirit, & facultates corporis univerſas mirâ ſymptomatum fertilitate ſenſim atterit atque evertit.*

Subjectum ſcorbuti. 8. Subjectum huic morbo exhibent originemque ſubminiſtrant viſcera nutritioni inſervientia ac dicata, in primaque corporis regione circumſita, præ cæteris vero Lien, cujus quidem εὐπεψία, referente Platone, *in Timæo*, Epar ſpeculi modo nitens redditur: distemperie vero & obſtructione humoris atrabilarii attractio impeditur, qui dein reliquo ſanguini confuſus, univerſũ corpus tabidâ corruptione inficit.

9. Non ſimplicem autem eſſe morbum Scorbutum, ſed ex pluribus compoſitum, rei natura arguit: ex quibus tamen aliqui morbi rationem ſaltem obtinent, quidam morbi ſimul & cauſſæ notas exhibent. *Scorbutus morbus compoſitus.* Simul ac enim rudimenta malitiæ ſuæ poſuit, morbus in conformatione ſeu Lienis obſtructio jam invaluit, qui flatibus turgens, ſanguinisque limo ſatur, audentius protulerat. Hinc veluti ex cauſſa ſequitur morb⁹ in numero, eò quod uberior adeſt humoris melãcholici proventus, isq; non venis Portæ modò ac Meſenterii, quam ex naturæ uſu eſſe poſſit, ſed & in iis, per quas ex liene in ventriculum ſuccus atrabilarius profunditur. His tertio loco ſuccedit ſymptoma, Qualitatem p. n. in ſenſu Tactus reſpiciens ceu anguſtia Thoracis ad operationem læſam pertinens; cujus cenſus etiam Lumbago eſt, qua lumbi planè ſub nervari ac defracti eſſe percipiuntur, qualiter affectos haud immerito ὀσφυάλγιες ſeu lumbiquerulos nuncupare licet. Adeſt & Expultricis depra-

depravatæ accidens, eò quòd humor atrabilarius, unà cum ſanguine per univerſum corporis habitum & ad crura potiſſimum tranſmittitur, qui antea à liene attractus nutritioni ipſius quadamtenus inſervire atque in ventriculi fundum effuſus, per ipſum exturbari debebant. Hinc etiam dependet ſymptoma in qualitate mutata, color ſcil. faciei cinereus, & ex pallido fuſcus, qualis nonnunquam ut in reliquo corpore, ſolet efflореſcere. In non paucis accidens, in Expultrice mutata deprehenditur, ceu rubedo oris pruriginoſa, exulceratio in gingivis, ac dolor in artubus, operationem læſam & continui ſolutionem arguens. Prædictos denique morbos univerſos excipit morbus in intemperie, quæ tum præcordiis diutius oblæſis acquiritur, tum epati conciliatur, quod quidem ad corruptelam inteſtinam ſubeundam promptiſſimum eſſe ſolet, maximè ubi Diæta minus commoda acceſſerit.

Cauſſa antecedens ſcorbuti. 10. Cauſſa Scorbuti antecedens eſt ſanguis tartareus & crudus in meſaraicis tubulis & præcordiis coacervatus, non qualitate ſolummodo ſed & ſpecificâ quadam corruptione peccans, ob μόλυνσιν ex imbecillitate lienis provenientem, & ex primæ & ſecundæ coctionis Venis emergentem, congeſtus.

11. Hæc autem lienis imbecillitas ac dyſcraſia oritur vel ex viſceris hujus, intemperie aut infarctu à crudis & melancholicis humoribus concitato. Eſtque vel σύμφυτος Coæva, vel adſcititia. Naturæ verò noſtræ ſcorbutica diſpoſitio vel Coætanea eſt, & à primordiis generationis acquiritur & unà cum ægro adoleſcit: vel ξύντροφος eſt, & in nutricatu ab infecta matre inſtillatur: vel ἐπικτητὸς eſt, & acquiſita, eaque vel à cauſſa evidenti vel cæca latenteque, ſive per contrectationem, aut comunionem thori, menſæque & poculorum aliorumque inſtrumentorum uſum hoc fiat communem; ſive per corporum contagioſam conjunctionem, vel alio modo, unde principiorum intemperaturam, facultatum ignaviam ſequi neceſſum eſt, proficiſcatur. Neque ab hoc negotio removendus eſt peculiaris corporum affectus & habitus ἰδιοσυγκρασία nec non venarum viſceribus exilitas craſſum terrenumque humorem ad convenientia emiſſaria non dimittentium. Unde certam mali occaſionem emergere vero nō eſt abſimile.

12. Remotior & extrinſecus adveniens cauſſa à rebus non naturalibus proficiſcitur. In horum cenſum referuntur, aer ſqualidus, humidus, craſſus, putris, item frigidus, nebuloſus, maritimus, caliginoſus: Cœli ſtatus non minus appoſitus & ſalubris: Anni Conſtitutio moroſa & ingrata. Loca uliginoſa, maritima, lacuſtria & infecta: domicilia humecta, ſitu obſita, ſubterranea, exhalationibus & inquinamentis ab eluvionibus maris *Cauſſa remota & externa.* *Aer.*

maris & inundationibus fluviorum ortis obnoxia: à quibus univerſis Hipp. *lib. 6. de aer, aquis, & locis*, nec non Aetius, *Tetrab. 3. ſer. 2.* Epaticas & Spleneticas affectiones concitari, fatentur.

13. Similem & propè majorem ad concitandas hujusmodi affectus & morbos vim obtinet lex & vivendi ratio in cibi ac potus adminiſtratione conſtituta, cui non immerito ejusmodi ἐνεργίαν tribuere licet, ut etiam illæſis & bene moratis viſceribus, atque Oeconomiâ totius ſibi conſtante ſuo quodam vitio in extremum κακοχυμίας gurgitem, atq; in degenerum ſuccorũ pleonexiam præcipitare queat. Hac enim introducta, viſcera ab humorum pravorum contagione tantâ ſolertiâ muniri nunquã poſſint, quin ab iiſdem polluantur & labefactata εὐκρασία, quæque in hac fundatur εὐτονία, integritatem priſtinam deperdant.

Cibus. 14. Præſtare hanc morborum materiam ac veluti ſementem valent, Cibaria non qualitate ſolum, ſed & menſura & varietate nimia peccantia. Qualitate, ſi pravi ſucci fuerint corrupti, calidi, nimis exuſti, putredinem facilè admittentes, ac naturæ viſcerum contrarii: Cujus cenſus ſunt carnes taurinæ, arietinæ, ſuillæ, hircinæ, venaticæ, volucrum aquaticarum, annoſæ nimis, rancidæ, exuccæ, conditaneæ, in aere induratæ, multo fumo transfuſæ, vel ſale copioſo diutius adſervatæ. Hujus farinæ ſunt lardum mucidum crudum, fumo infarctum exiccatumque rancidum & impurum; Farcimina ſanguine ſuillo ſale & axungia infarcta: piſces lacuſtres & maritimi indurati, vel ſale & fumo affluentius conditi, ceu Aſelli, paſſeres, haleces conditaneæ & infumatæ, aliaque id generis muriâ & ſalſugine infuſo, reſiccataque. His annumerantur in aceto aut muria longius repoſita; ſecale aut frumentum corruptum, inveteratũ ac pluvioſo tempore collectum, ſitũ reſipiens, non beneaſſervatum, panis biscoctus, ater, confuſcatus, ad ſolem arefactus aut perfumatus: legumina in ſubterraneis & ut uliginoſis locis repoſita, ſemiputrida, aut negligentius recondita aut perperam adparata: Caſeus vetuſtus: piſtorium genus fermè univerſum: Braſſica, allia, Caſtaneæ, aliaque conſtipationibus viſcerum procurandis accommoda edulia.

Potus. 15. Inter potulenta recenſentur aquæ vitioſę, affluentius hauſtæ: Cereviſia, rancida, craſſa, picata, fœculenta triticea, non defœcata, ingrati ſaporis & odoris, aut ex aquis crudis, viſcoſis, fluvialibus, reſidibus, aut ſtagnantibus, decocta. Vina etiam nigra, pendula, impura, craſſa, marcida, eaq; non ſolum pro ſiti ſedenda, ſed ad ſatietatem uſque aſſumta. Et hæc ſane copioſius ingeſta alimenta è ventriculo in inteſtina, Meſenterii venas & jecur dum elabuntur, fieri equidem aliter haud poteſt,

quin ſuis qualitatibus ac nidoribus, quicquid attigerunt imbuant: ac licet à ventriculi calore videantur quodammodo infracta: non tamen penitus extinguuntur, aut priſtinis omnino ſpoliantur facultatibus. Idcoque ſanguis ex iiſdem elaboratus, qualitates ac vires primas retinet easq; partibus alendis communicat.

16. His adſtipulatur ciborum varietas, quæ, non minus ac cibi jam enumerati, Ventriculo negotium faceſſere poteſt maximum, atque ad varios morbos producendos organum eſt accommodatiſſimum. Undè eandem luxuriæ noſtræ ſupplicium quidam haud inſcitè dixêre eo quod morbos ubi non parat recentes, ſaltem veteres innovat, ut faciem novorum induiſſe, aut in eoſdem degeneraſſe videantur.

Motus, quies, ſomnus ac vigilia, Retenta, Animi pathem mota. 17. Cum diætematibus ad hunc morbum exuſcitandum conſpirant forsatq; inſtitutum vitæ ignavum, iners & otioſum: jejunia cum exiguo mali ſucci cibo: immodicæ vigiliæ: labores & exercitia corporis magna & intempeſtiva: ſolemnium vacuationum ſuppreſſiones: ſomnus immoderatus: frequentes animi perturbationes: curæ mordaces, mœrores & ſollicitudines anxiæ & & id genus, quæ ad calorem nativum imminuendum & cruditates ad augendas ſunt comparata.

Signa diagnoſtica. 18. Quanquam fallaci morborum ſpecie continuò ludat ſcorbutus, formasque pro temperamentorum in ægrotantibus diverſitate & variâ humorum putreſcentium morbiq; naturâ, inducat prodigioſas: ſua tamen & certa quædã obtinet γνωρίσματα, quorum nonnulla incipientem detegunt; alia ingraveſcentem notant, quædam etiam confirmatum manifeſtant. De quibus tamen univerſis certi ſi quid ſtatuere velis, anteactæ ſimul vitæ victusque normam perpendere, & num rationis freno affectus animi refrenentur, vel liberè divagentur inquirere decet.

19. In quorum aucupio, hoc ètiam obſervaſſe operæ pretium erit, ſi quis in hiſce regionibus occurrrit rarus, vel ex conſuetis aliquis, plurimum ab eorundem deſcriptione ſignis ac moribus diſcrepans affectus: aut ubi lento morbo vel potius continuo languore, aliquem, absq; manifeſto & Veteribus indicto, affici contigerit, à quo citra cauſſam ſenſibus obviam paulatim conſumitur, & ſimul inani vomendi conatu, ſine evidenti ventriculi affectione infeſtatur: ſuſpectum protinus ejus habere ſpeciem, & ad ſcorbutum, à quo affectus ejusmodi dubii promanare ſolent, atque occultam ejus cauſſam, nec non malignos & venenatos putrefactionis juxta ſplenem ut plurimum reſidentis, vapores & fumos vitiatos advertere, morbi denique mores & cauſſas ejus antecedentes, tum pulſum & urinam explorare, num proprietate ſua ipſum exprimant, accuratè perpendere decet. *Generalia.*

20. Exor-

incipientis ſcorbuti ſigna. 20. Exordium tamen hujus affectus plerumq; longum eſt & cognitu difficile, eò quod ſigna habeat cum aliis morbis comunia, ceu corporis totius gravitatem, ac ſpontaneam laſſitudinem: quæ ab hebetioribus nō magnoperè curantur. Quibus ubi tela calamitatum inchoatur, accidunt alia quædam pathognomica, ceu præcordiorum anguſtia; crurum cum dolore debilitas; Gingivarum pruriginoſa rubedo ac dolor; ad nigredinem vergens faciei color; odontalgia; & Eryſipelas frequens, aliaque id generis. Quanquam initio malum ſæpe numero adeo lentum eſt ac modicum, ut ſic affectos quam minimum à ſanis differre etiā oculati Medici judicent: quod tamē neglectū morâ diuturniore adeò invaleſcit, ut plurimos in graviora incommoda, ac præſens vitæ diſcrimen præcipitet.

Ingraveſcentis ſigna. 21. Hæc omnia ſi ingraveſcunt, & ægrotis oris graveolentiam gingivarum laxum ſanguifluumque tumorem ac putredinem, dentes vacillantes, lentigines copioſius erumpentes, & maculas in cruribus plumbeas purpureasque, nigrisque violis obſcuriores, ex fece corrupti ſanguinis eò decumbentis genitas, accedere proſpexeris, affectus incrementum inde ſtatuendum eſt, licet adhuc alia deliteſcant ſigna, neque foras efferantur.

Confirmati ſcorbuti ſigna. 22. Malum verò confirmatum, & univerſum corpus hac putrilagine inquinatum eſſe, cognoſcitur exambulandi impotentia, nervorum in cruribus rigore & contractione, anhelitus difficultate animi deliquio, livore faucium & ſimilibus: præſertim ubi febres præceſſerunt ardentes malignæ, tertianæ duplices & quartanæ, quæ vel in hunc morbum terminantur, aut ſi naturæ beneficio perfectè non ſunt judicatæ, ſæpiſſimè novos labefactis viſceribus, Atrophia, & multa ſanguinis corruptione & putrefactione morbos, prioribus longè deteriores, exuſcitant.

23. Cumque malignorum morborum, & qui gravioris ſunt conditionis præter aeris corruptionem indoles ita ſit comparata, ut vel ex putredine nimia, aut humorum aduſtione vel partium corrnptione, quandoq; etiam pravi humoris affluxu, non raro etiam ex aquarum pernitioſa qualitate, & vitioſis eduliis oriantur ac morboſum corporis apparatum majori ex parte ſubſternant: Fieri equidem aliter haud poteſt, quin maxima facultatibus corporis univerſis etiam in hoc morbo fiat deceſſio, ſingulæque malo huic peculiaribus innoteſcere ſignis ſolent.

24. Vitalis itaque facultatis detrimentum in hoc morbo expromunt Pulſus, extra orificii Ventriculi offenſam, exiguus, debilis, creber, inæqualis, formulam ſubinde evarians ſuam, quique reptare magis, quam pulſare videtur, niſi febris vehementia ad magnitudinē eundem quan- *Pulſus in ſcorbuto.*

doque diſponat: qui tamen eadem deferveſcente, in parvum, crebrum, *Anxietas.* vermiculantem & inæqualem extemplò commutatur: Recurrentes *Difficilis reſpiratio. Cordis palpitatio.* ſæpenumero & per intervalla infeſtantes anxietates, & moleſtiſſimæ ſub diaphragmate atque ad orificii Ventriculi regionem pertingentes anguſtiæ: citra tuſſim ac thoracis affectionem reſpirationis difficultas, non raro obturationis Ventriculi ad fauces uſque ſenſum inducens; Cordis palpitatio per intervalla repetens, cum levi oris ſiccitate ex putridæ materiæ latentis evaporatione emergente: poſt levem motum aut erectionem ſæpius inceſſens animi deliquium, vel ad ſubeundum illud *Lipothymia.* proclivitas cum vel ſine febre, à vaporum malignitate colore ſpirituq; obtritis, nec non morbi qualitate ac putreſcentis materiæ conditione & quantitate: Spontaneus & ſine cauſsâ ingraveſcens languor & inſueta *Languor Spontaneus.* membrorum laſſitudo atque impotentia, præſertim in longiori mali progreſſu, cum appetitus deſtructione, & carnis in univerſo corpore depaſtione: lentum ac inſenſibile vitium in principio decrementum, abſque gravioris morbi præſentia.

25. His accedunt febres lentæ & *Febres ſcorbutica.* continuæ, vel interpolatæ & intermittentes, ſed quæ nullo ſæpè ſigno Veterum febribus comparantur, niſi quod interdum falſo quotidianæ, tertianæ aut quartanæ typo ludant, eaſque dierum imitatione potius, quam ſignorum proprietate exprimant. Quin & citra ordinem ſubinde & interdum bis de die, quandoq; ter vel quater, ſæpè etiam poſt tertiũ, quartum, quintum & ſextum diem, variis inordinatisq; horroribus invadunt, nullo aut facilis momenti calore febrili ſuccedente. Non raro etiam viſi ſunt horrores poſt æſtuantem calorem, atque cum inſigni præcordiorum anguſtia, inſequi: quin & plurimi ſex aut plurium horarum exhorreſcentia ac tremore ante caloris febrilis acceſſionem mirum in modum enervantur, quandoq; non ſine moleſta ſiti & ingenti extremorum æſtu linguæque ariditate. Ita nonnullis caloris ſenſus in anterioribus ac frigoris in poſterioribus partibus corporis, idq; interdum vel ſemel aut iteratò vel ſecunda ac tertia die, cum nullo aut exiguo ſenſu caloris percipitur. Quibuſdam ſpinalis medullæ interiora q; aquæ frigidæ appulſu perfunduntur: Alii calore vehementiori aut levi admodum vel nullo penitus ſenſui moleſto infeſtantur. Quæ ſanè ſymptomatum varietas ac raritas cauſſam Veteribus plane incognitam & raram ſubeſſe arguit, ad quarum exactam dignotionem etiam aſſiduo urinarum & pulſuum examine devenire licet.

26. Plurimos lentæ Febris ex Meſaraicarum venarum infarctu defluxus ſub noctem plerunque graviter & cum inſigni reſpirationis difficultate & concurrentibus per vices an- *Lenta.*

xietatibus,

xietatibus, ad ventriculi regionem deſinentibus, frequentibus etiã horroribus nullo vel minimo caloris ſenſu aut ſiti, multis ventris torminibus, delirio, & partium univerſi corporis doloribus exercet.

Quotidiana. 27. Sic quotidianæ febres ob ſpecificam hujus affectus putrefactionem mendaci typo quamplures exercent, quæ à Veterum Quotidianæ ſignis ac ſymptomatibus eximiè diſcrepant. Argumento ſunt variæ urinarum permutationes, lentum frigus per horas duas vel uſque ad ſex vel plures perſeverans ad lipothymiam pronitas: pulſus in acceſſione, ut & ante paroxyſmum, exilis inordinatus, & inæqualis: irregularis febris in acceſſione motus: Intumeſcentia in facie & ejuſdem crebra remiſſio: nõ rarò in quibuſdam obſervantur Ventris & inteſtinorum dolores & ſtrophi; graves crurum lancinationes, & continuus, ſed ut plurimum irritus vomendi conatus citra gravantis pituitæ periculũ aut ventriculi inflammationem, anxietatibus ferè perennibus conjunctus. Neque ab hoc ſcopo alienum erit in hanc Febrium coloniam etiam reponere illam, quę hac tempeſtate durante vere quotidiè multos ſubvertit, ceu ex eâdem putredine ortam, magnumque temporis progreſſu incrementum acquirentem.

Tertiana, 28. Tertianæ febris ſpuriæ in hoc affectu ſigna ſunt, Pulſus in ipſo morbi vigore parvus & inæqualis, inter noctem æſtus inſignis, & extremorum jactatio; urinæ craſſæ, turbidæ, ſublividæ, quandoque item ſubnigræ, quæ tamen rariſſimè ejuſdem ſunt coloris & ſubſtantiæ: Crucum dolor accerbus cum valida tenſione; quandoque & anxietates ſub pręcordiis infeſtantes ac ſæpiſſimè recurrentes; ſitis moleſta, quæ tamen exigua humidi aſſumtione placatur: ſuccedunt & ſæpiſſimè graves dolores in dorſo, ac reſpirationis difficultas ingens, idque à vaporibus venenatis ac malignis, qui ab hac putredine reſolvuntur, & intermediis muſculorum ſpatiis ſua vel qualitate vel virulentia vel continui ſolutione, ejusmodi cruciatus excitant.

29. Quin & in his, aliisque intermittentibus à ſpecifica ſcorbuti putrefactione dependentibus, inuſitatiora quædam ſymptomata deprehenduntur, ceu in paroxyſmo delirium, Carus aut ſomnus profundus, ſingulis febrium acceſſionibus recurrens, isque à vaporibus non virulentâ modo, ſed & frigidâ hujus morbi qualitate affectis, adque cerebrum nervosque copioſius delatis, motus convulſorii, itidem ſingulis exacerbationibus repetentes & à peculiari hujus putrefactionis qualitate nervos pungentes. In quam claſſem etiam Tremor, ac varii corporis dolores referendi ſunt.

30. Quando Febris quartanæ fictam atque fallacem ſpeciem atque Formam dierum acceſſione refert *Quartana*

ſcorbutus ad typum quartanæ ſignis nequicquam alludens, tunc neque horror nec incendium quartanis adſuetum animadvertitur: ſed in frigore & incremento febris pulſus nativam ſuam exilitatem & inæqualitatem retinet, & eandem neque in febris intermiſſione & intermedia quiete deponit, cum anxietate & reſpirationis ad præcordia difficultate effatu digna, ſingulis inſultibus recurrente, nec non urinis craſſis & albis graviorum malorū συνδρομὴν innuentibus & non in unius, neque ſimplicis morbi notam poſſidentibus.

Ex continua & tertiana intermittente mixta febris. 31. Univerſis hiſce frequentior eſt mixta Febris ex continuæ ac tertianæ typo, cum torminibus inteſtinorum ac ventris eximiis, quolibet febris inſultu, recurrentibus. In continuam hæc febris plerunque degenerare ac diebus aliquot elapſis iterum remittere de ferociâ ſolet. Apparent in hac plerunque circa faciem & pectus maculæ purpureæ Eryſipelatis in modum partes iſtas ſuffundentes, quæ tamen ſubitò retrocedunt, idque nulla valetudinis jactura vel morbi in deterius mutatione. Infeſtant & membrorum gravitas, in multis quarta aut quinta die, in plerisque tertia, in paucis quotidie ſine manifeſta tamen febre affligens: Gravis è corpore ſpirans odor: faciens variis coloribus ac lituris diſtincta, cum ſumma reſpirandi difficultate ac crebro movendi conatu. Tandem etiam accedit momentaneum delirium ſtatis vicibus recurrens, adeo ut non raro morbus ad malignæ febris naturam accedere videatur: cum pulſu parvo, crebro & inæquali, calore foris miti & intus urgentiore, urinis denique intenſæ rubedinis cum ſedimento craſſo gravique.

Febres continua. 32. Incidunt & cum ſcorbuto Febres continuæ multæ ac putridæ, cū anxietatibus indidem repetentibus, & obſtructionis ventriculi ad fauces uſq; ſenſu, cum pulſu parvo, reptante debili & inæquali. Urina ex rubra ſubfuſca & ſubſidentibus excrementis nigris, alvo denique profuſa cum ſiccitate oris enormi, fiſſuris labiorum & linguæ poſt largiorem potum confeſtim evaneſcentibus, nec non ſuperioris palati exulceratione & cōvulſivis motibus, interdum tamen remittentibus, facta in gyrum quaſi contractione.

Peſtilentes. 33. Quandoque falſis ac mendacibus ſymptomatibus ad peſtem alludit ſcorbutus, ceu abſceſſibus tibiarum duris, ſubrubris, nigris, & cruſtoſis: tumoribus in inguine duris ac remittentibus, cum leviſſimâ ſiti, oris ſiccitate, pulſo parvo & inæquali, continuo vomendi conatu, & per intervalla ſub diaphragmate è regione orificii ventriculi juſto frequentius recurrente anxietate,

Animalis functionis læſio. Delirium. 34. Animalis functionis læſionem commonſtrant, & quidem in actionibus cerebri principalioribus melancho-

lancholica pathemata, cumprimis quando uterus in mali conſortium rapitur; mentis inopinata alienatio, præſertim febribus ingruentibus, & poſt cathartici vehementioris uſum, ejuſdemque præter rationem intermiſſio, cum nullo tamen æſtu ſive moleſtâ aut inquieta jactatione infeſtans à Venenat â potius qualitate, quàm caloris vehementiâ, Spiritus crebri turbante, procedens, & urinam colore, ſubſidentia & conſiſtentia evariantem ſociam ſemper agnoſcens. Idipſum etiam de memoriæ læſione ſtatuendum, quæ interpolata magis quam continuâ in hoc morbo eſſe conſuevit, & ex nullâ manifeſtâ causâ procedit.

Somnus profundus. 35. In minus principibus ceu ſenſitiva communi notantur ad ſomnũ proclivitas inſignis, nec nõ Carus & ſopor profundus, ex vaporum & flatuum confertim in caput irruentiũ impetu, præſertim in febrium acceſſione & inſultibus, repetentibus. Concurrit his ſopor, ut plurimum cum lenta, interdum etiam cum intermittente febre.

Tactus ſymptomata Dolores varii. 36. In ſenſibus poſtea, ceu Viſu deprehuntur oculorum intumeſcentia ac denſa eorundem per intervalla caligo, cum anguſtia ac difficili reſpiratione; ſub lingva venæ minutiſſimæ, Varicibus perquam ſimiles, quandoque & inferius labrum, teſte Viero, deturpantes, viſuntur, His cognata ſunt Gargareonis & fauciũ virulenta ulcera, quibus partes iſtæ contabeſcunt, ac dentes procidunt: linguæ & labiorum in febre continua ob æſtum interaneorum diſſilientium fiſſuræ maximæ, quæ tamen aſſumto potu è veſtigio coaleſcunt: oris moleſta ſiccitas cum modica potus appetentiâ: Gingivarum pruriginoſus dolor & putrefactio in iis comprimis, quibus natura robuſtior morbificæ cauſſæ prævalet, & in quibus inſita virtus morbi cauſſam ad gingivas deponit: Fœtor anhelitus, & id genus alia.

37. In tactus ſenſu dolorum in univerſis ferè corporis artubus ejusmodi percipitur evariatio, ut ſcriptis explicari ſatis nequeat: ſuntque ii vel abſtruſi, tenſivi, evellentes, pungantes mordicantes, erodentes, vel confundentes, & exedentes: idque pro diverſitate vaporum muſculis, membranis ac nervis ab interna putredine ſeſe inſinuantium, ac non tam noctu, quod frequentius eſt, aut ſub veſperam, quam poſt noctem, aut interdiu lancinantiũ. Quorum tamen omniũ certa cognitio ex pulſu parvo & inæquali deſumi poteſt. In hâc dolorũ coloniam quidam haud inſcitè Varos, Weſtphalis, Geldriſs ac Friſiis inquilinos, referunt, eo quod iiſdem cum ſcorbuto ſignis innoteſcant, vagos ſubjecto dolores exuſcitent, ac remediis Scelotyrbicis ex Foreſti teſtimonio, *l. 20. obſerv.* expugnari gaudeant. *Dolores varii.*

38. Qui ſingulis partibus moleſti ſunt dolores inſignem etiam admittunt anomaliam. Nam qui capiti negotium *Capitis.*

Dentium. gotium faceſſit, dolor, vel continuus eſt, aut per ſtata intervalla recurrit, circa verticem ut plurimum infeſtus, qui deinde per temporum muſculos addentes, quos nonnunquam exulcerare ſolet, properat, dolore tamen, tumoreq; diſcuſſis propediem ſponte firmandos.

Maxillæ. 39. Simili ratione & maxillæ in latere dolenti cruciatibus immenſis vel continuo aut per intervalla pro exhalationum malignitate affliguntur. Cui etiam finitimum eſt maxillarum genarumque coarctatio, ſqualido terrenoque humore in juncturam & ipſius vincula altius imbibitis inter manducandum & oſcitandum dolorem concitans immanem: malum equidem haud ſine deformitate cum pronuntiationis diſpendio, diu perſeverans.

Scapularũ. Brachiorũ 40. Huic etiam reſpondent graviſſimæ lancinationes ſcapularum, cervicis, brachiorum (quæ ſimul reſolutio moleſta ut plurimum excipit) ac Genua nec non ſpinam dorſi infeſtantes, graviſſimi dolores tenſivi ac prementes: inque ſpatiis muſculorum intermediis punctiones infenſæ. Quibus adjungere licet etiam dolores coxendicis, ad talum uſque deſcendentes, & cum ſumma inquietudine continuo urgentes: vel cruris utriusque atque alterius cum dolore conjunctæ turbationes, quæ modo obtuſi ſunt, quandoque inter ambulandum vel in anteriori vel in poſteriori eorundem parte eximiè *Coxendicis, crurũ.* fatigantes. His affines dolores ſurarum, & quidem cum duritie ac tenſione manifeſta: ac pedum, qui admodum renitentes ſunt, cum anguſtia præcordiorum, & urinis rubris & craſſis, genisque ſubliveſcentibus. Articulorum denique omnium ſubitò ac præter rationem incidentes, vellicantesque, locum diverſimodè mutantes & unde libet licentioſius diſcurrentes licet: in iis, qui Melancholico multo & craſſo ſucco diffluunt, & in declinante ætate & conſtitutione frigidiori dolores hi non æquè ſunt mobiles. Nonnunquam cum febribus invaluerunt, quibus etiam levis reſolutio quædam non raro incidit, idque tum propter vaporum acrimoniam aut frigidam eorundem qualitatem vel inſignem humorum corruptionem, quâ in parte cum Gallico morbo frequentiſſimè colludit. *Surarum, pedum, Articulorum.*

Coſtarum. 41. Percipitur & à multis gravis pungensque Coſtarum dolor, notham pleuritidem conſtituens & nonnnnquam ſine febre affligens: quin & in digitorum extremis & articulorum intervallis puncturæ ſæpe infeſtant moleſtę eęque evaporibus, ab hac putredine morbo iſti propriâ ad has partes derivatis: quibus ferè reſpondent fodicationes in plantis pedum ac circa talũ frequentes, quas tamen magna ex parte crurum reſolutio excipit. *Digitorũ.*

42. Hujus cenſus ſunt, Triſtis membrorum jactatio & concuſſio; inflamma-

inflammationis circa renes ſenſus, perpetuò ardore affligens, ſub noctē autem & hora ſomni corpus univerſum flatibus, diſtentionibus, evaporationibus caput indidem ferientibus mirificè depravans, totiusque ſyſtematis per turbationem inducens. Percipiuntur interdum, comprimis vero ſub noctem invaleſcentes, horrores aut leves ſaltem perfrigerationes, ſed nullo, nonnunquam minimo æſtu ac ſiti, graves, quandoque etiā cum inſigni hypochondrii ſiniſtri cruciatu conjuncti. Non raro etiam ventris, crurum, brachiorum & abdominis muſculi hujus putrefactionis halitibus disciſſi conſpiciuntur.

Motus ſymptomata. 43. In motus depravatione maxima totius nervoſi generis elucet debilitas, unde ſic affecti ad motum & quævis negotia ſunt inepti ac impotentes. Hinc oritur crurum gravitas; cum obtuſo dolore ac levi membrorum omnium defectione: lamentabilis iſta membrorum concuſſio & jactatio, ex paralyſi nimirum & convulſivo motu conſtans affectio, ab aquis potiſſimum crudis quæq; nervis eximiè ſunt inimicæ, profluens, è quibus cruditates augeſcentes dum naturæ beneficio digeri amplius & ſecerni nōn poſſunt concepto calore alieno corrumpuntur, ſubindeque vapores ad nervos depromunt.

Paralyſis. 44. Poſt diuturnas Ventris lancinationes ac Vomitus frequentes non raro brachiorum reſolutio, ac totius corporis atrophia ſequitur, nec non muſculorum & nervorum particularis convulſio: in paralyſin deſinens colica: dimidii lateris vel totius aut utriusqe cruris ſcelotyrbe, aut paralyſis ſubito, aut nonnunquam cum febre incidens atque interdum mira viciſſitudine ad paucos dies recedens. Nec inſolens eſt in hoc caſu momentaneus ſtupor ac levis membrorum à ſomno reſolutio à malignâ & frigida vaporum, qui ab hac putredine reſolvuntur, qualitate & natura procedens: quam etiam ut plurimum dolor arthriticus ac membrorum impotentia excipit.

45 Huc referre licet & digitorum priorum reſolutionem ac languorem: crurum inter eundum infirmitatem: volarum in manibus inſolitā in rubedinem cum dolore vel impetigine pruriginoſa: vehementē univerſi corporis tremorem, ſubinde & per intervalla recurrentem: cervicis ac nervorum velut ex nimiis doloribus aut halitibus, qualitate vitioſâ imbutis, contractionem moleſtam: ſpaſmum cinicum: ac denique tali verſus poplitem & crurum ex longiori morbo præcedente graviſſimo coxendicis dolore retractionem.

46. Naturalis facultatis offenſam patefiunt ſymptomata in Virtute viſcerum concoctrice, Retentrice, expultrice potiſſimum hærentia. Ratione capitis calor faciei inflamans, momentaneus ſubinde recurrens, cum langore inuſitato, tandē etiam *Naturalis facultatis ſymptomata.*

Gingivarum & oris vitia.

in atrophiam, quam ſudor copioſus præcedit, inque nervorum reſolutionem deſinit: nonnunquam & color faciei liveſcens, ac planè cinereus: labia item genæque, cum ſuperioribus oculorum palpebris etiam mediâ æſtate ſublivido colore tincta, dentium vacillatio, præſertim in mali declinatione: laxus quandoque faciei tumor: non paucis etiam gingivarum caro mollior, quæ non tam ichoribꝰ, quàm vaporibus ab impuris viſceribus vi caloris inferius exæſtuantibus perfuſa in tumorem laxũ fluidumque ſæpius exurgit. Venæ ſublinguales, quibus inferius labium eſt reſperſum, turgent, indeque labiis nigredo inducitur. Gingivæ putris ac ſalſi humoris qualitate vitioſâ imbutæ pruritu vexantur vel acrimoniæ ejuſdem exulcerantur, aut præ nimia humorum luxuria dehiſcunt, ac leviſſimo ſcalptu attrituve fatiſcentes rimas agunt, cruentantur, ichoremque ſanguinolentum jugiter, uberemq; fundunt, putrore corruptæ abſcedunt, dentes denudantur, qui etiam nimio ardore radicibus illorum irrigatis labefactantur & quandoque vel ſponte è loculamentis defluunt, aut geminum candorem exeunt, ſiderationis ideam quodammodo ementientes. Putredinem denique harum partium Gangræna ſequitur, quæ tanto gravior exiſtit, quò magis ortis interiora ſaturitate humorum obruuntur, non ciborũ præter lapſu & attritum mordo, ſed & vaporum ex ventriculo emergentium pravitate, cum inſigni animæ fætore, ſorditata.

Thoracis affectiones.

47. Ex thoracis vitioſa diſpoſitione prodeunt difficilis reſpiratio, cum faciei colore livido & labris geniſq; nigricantibus etiam iis quieſcentibus conſpicuo, idque ſecundum putredinis humoribus augmentum. Adſunt & vehemens ſub diaphragmate ad ventriculi regionem anguſtia, reſpirationem impediens, continua aquei & crudi humoris rejectio, ac dentibus ſæpè moleſtâ, citra tamen oris exulcerationem, quandoque & cum eadem & non ſine gargareonis diſcrimine, quæ tamen conſuetis medicamentis curari nequit. Sputum etiam quandoq; inſipidum, tenue & ſpumeum, interdum ſalſum aut fœtidum, ſemper tamen aqueũ & viſcoſum ex putridis ac circa viſcera collectis humoribus promanans: non raro & cruentum cũ pulſu exili, debili, urinis fuſcis, nervoſique generis debilitate ac reſolutione.

Ventriculo orta affectiones.

48. Ratione ventriculi debilis exſurgunt Vomitus, per intervalla recurrentes ex nulla manifeſta ventriculi affectione incipientes ac nullis veterum medicamentis cedentes, ab iiſdemque nullam ſentientes alterationem, quos etiam in magna victus parſimonia & contractione graviſſimè recurrere, nonnunquam etiam ceſſare contingit. Appetitus in febribus quandoque inſatiabilis, à quo tamen virium nequicquam acquiritur,

verum

verum omnia in deterius ruere conſpiciuntur. Idem nonnunquam penitus proſtratus fatiſcit, ac ciborum tolerantia eidem moleſtiſſima eſt, ideo ut cibo parciſſimè aſſumto omnia exaſperentur. Ex redundantia præterea crudorum & craſſorum humorum in Meſenterio frequens ex ventriculo contingit Eructatio & eorundem rejectio. Vomitum non raro comitantur frequentes animi dejectiones, cum immenſis ventris inteſtinorumque torminibus, continua ſiti, labiorum linguæq; ariditate, febri continuâ & vehementi: Anguſtia præcordiorum, reſpirationem intercipiens: inanis vomendi conatus per intervalla repetens, cum ventris lancinationibus ſæpiſſimè conjunctus, & huic vitio comprimis familiaris: In orificio ventriculi ſub præcordiis graves anxietates, ita ut non niſi erecti ſpirare queant ægroti & corpus præ anguſtia diverſimode jactent, nullo tumore, inflatione, inflammatione thoracem, præcordia aut ventriculũ moleſtantibus. Quæ omnia maxima ex parte, niſi maturè accuratur, hydrops inſequitur.

49. Plurimos affligunt & Ventriculi ad fauces uſque adſtrictio totum Oeſophagum obdurans aut inſtar pali quid eidem infigens: à cibo ſumto corporis turbatio cum horroribus, ructibus, nauſea & anguſtiis: à catharticis nulla remiſſio, niſi temporis mutatione malum ſponte ceſſet: Graves etiam ſurſum & deorſum factæ excretiones citra alleviationem, & cum inſigni torminum in ventre copiâ, urinis rubris, craſſis, crudis ac ſedimento rubro: Macies & ex nulla manifeſta cauſſa prius cognita, invaleſcens Atrophia & marcor, cum rubicundis urinis & craſſis ſedimentis: unde etiam languor indies ingraveſcens oritur. A copioſo deniq, potu offenſio: idcirco ſic affecti os & labia perpetuò poſſident ſicca ſitiq; moleſtâ exercentur, quæ tamen modico liquore aſſumto requieſcit: Nõnullos etiam invenias, quos infeſta ſitis urget, licet parum ingerant, & à febre nunquã ſint imunes.

50. In abdomine advertuntur flatus in utrumque latus, nec in anteriorem nec poſteriorem corporis regionem diffuſi, ventriculi affectionem monſtrantes præcordia coanguſtantes & libertate reſpiratus impedientes: adſunt & graviſſimi ventris membranarum ac muſculorum lancinatus, iique vel continui, vel per intervalla affligentes: dejectiones copioſæ & frequentes, à quibus tamen nec quicquam diminuitur morbus, cum anxietatibus, præcordia vellicantibus & animi deliquiis. Quin nõnunquam deprehenditur alvi profuſio largiſſima, cũ nullo morbi levamine, vel mendax dyſenteria, ſanguine tamen ſine lancinatione deſcendente, neque excrementis promixto: quæ tamen ubivis latentem & ſpecificam humorũ corruptionem innuit plurimorumque

Flatus.

Alvi fluxus.

morborum comes eſt, nec non niſi ſpecificis & huic morbo accommodatis ſubſidiis depelli poteſt. His accenſentur frequentes, ſed magis quam in diarrhoeâ compactæ, variæ, diverſorum colorum ac pro alimenti ingeſti ratione copioſiores egeſtiones ceu lividæ, albæ, cineræ, nigræ, nonnunquam & croceæ ac ceruleæ, ut plurimum autem virides & colore planè herbaceo, cum maximis ventris doloribus iisque ſubinde repetentibus.

Ex hepatis vitio orta mala.

51. Ex jecoris aut aſſumtorum vitio vel crudo, corrupto ac putreſcente ſanguine, qui in nutriendas partes illabitur, nec in earundem ſubſtantiam convertitur, profluunt tumores duri, magni ac profundi, cum in inguine & glandulofis corporis partibus, tum etiam quolibet corporis membro, ac mediis muſculorum ſpatiis, doloris interdum, quieſcente membro, expertes, vitæque triſtis & calamitoſæ comites. In cruribus maximè œdematoſi ſunt, leviſſimo rubore permixto, nullibi diu ſubſiſtentes, ſed à parte ad partem facilè commigrantes. In facie vero manibus & pedibus iidem laxi conſpiciuntur. Nonnunquam & deprehenduntur in artubus duri, nullam digiti impreſſionem admittentes. Crura tamen præter conſuetum Naturæ ordinem defœdant tumores purpurei nigri viſuque deformes, cum urinis & ſubſiſtentiis craſſis, rubris & ſubfuſcis, idque abſque ſiti & bibendi deſiderio; idque fit natura prævalente & ad extrema morbi cauſſam protrudente. Interdum etiam ingens atque ad Elephantiaſin accedens in facie ac magna cervicis parte exoritur tumor, ſubjectas carnes exulcerans.

Tumores.

52. Non rarò tubera varia extra cutim prominentia & quandoq; locum facile permutantia, cum totius corporis, maximè ventris & crurum hydropica inflatione apparent. Tuberibus his non tantum reſpondet hydrops ſcorbuticus, ſed & hydrops veſicalis. Et hydrops quidem in iis potiſſimum meretur locum, in quibus morbus hic diutius perſeverans adſtipulante corporis diſpoſitione ac temperie crura primum inflat, eademque poſtea in renitentem tumorem attollit, ac morâ trahente morbo, ventrem cum manifeſto epatis & Lienis craſſo & melancholico ſucco turgentium tumore. Ubi namque viſcera humoris melancholici ſubſtantia, vel evaporationibus, aut quam putredine conceperunt, qualitate ſunt labefactata, facultates eorum oblædi, ſimilemque, ac nutritione minus idoneam diſpoſitionem alimentis ingeſtis imprimi, veriſimile eſt: quibus deinde tacitis augeſcentibus incrementis, atque à fortiori naturæ conatu ad remotiores partes repulſis, cruribusque repletis, reſiduum in abdomen ac peritonæum ejicitur, præduro tumore illud attollens, falſamque hydropis ſpeciem vulga-

Hydrops.

vulgaremque curationis formulam reſpuentem inducens.

53. Quæ à Veſicarum in corpore univerſo extuberantium formâ deprehenditur hydropis ſpecies potiſſimum morbi natura ac proprietate: dein motibus pulſu denique & urina dignoſcitur. Natura quidem eo, quod priusquam certas figat ſedes, aliam atque aliam corporis partem, interdum momentaneo tumore & inflatione attollit: Id quod potiſſimum iis familiare eſt, qui humoribus præditi ſunt tenuioribus: victuque uſi ſunt minus melancholico & craſſo. In quibus vero humores craſſiores minusq; vaporoſi abundant, his tumorum mutationes iſtæ min⁹ ſunt evidentes: familiares tamen ſunt ſeroſo ſangvini. Unde poſtmodum in pedibus, brachiis, ſcapulis, dorſo ac reliquis partibus duri & inæquales tumores paulatim & ſine dolore aſſurgunt.

54. Quandoque humoris aduſti craſſique extra hydropem eum vel ſine exulceratione in quaslibet corporis partes, nec non in totam corporis circumferentiam, contigit effuſio varia Tuberum genera exuſcitans. Quibus haud abſimiles ſunt variæ excreſcentiæ mammillarum carnem flaccidam ac grandulosam æmulantes: vel exulcerationes ſiccæ neque pus aut ſaniem reddentes. Non raro etiam Tumores quaſi natibus ſibi invicem impoſitis adnaſcuntur, vel quaſi monticulis ſuper alios aſſurgunt, qui nonnunquam mediis inter monticulos partibus profundis exulcerationibus eroduntur atq; magno fœtore exulcerantur. Non exulceratos tamen Crurum paralyſis frequenter inſequi ſolet.

55. Erumpunt & multoties in cruribus ulcera diuturna, cum modica ſitis & appetitus dejectione, nec non totius corporis laſſitudine & animi deliquio. Et hæc nonnunquam cum adeo ſicceſſunt ut, neque pus neque ſaniem dimittant, crura inde contracta, debilia ac languida redduntur. Sin vero medicum puris reddere videntur, varium, hoc eſt & crudum ac nullius certi coloris. *Vlcera.*

56. Quin & calamitas hæc in penem ſæpiſſimè redundat, qui exulceratione non rarò infeſtatur, idque à ſpecifica & maligna putridæ materiæ qualitate erodendo & exulcerando, dum per ipſum, una cum ſeroſâ ſanguinis portione ſanies emittitur, teneram ejus carnem corrumpens, atque membrum illud exulcerationi reddens obnoxium. Vitium hoc diutius ubi afflixerit in cacochymiam & alia mala, nec non penis juxta ſcrotum corruptelam ægrotos præcipitat haud, ſecus atque ſi aciculæ majoris capite carnes vi perforares.

57. In hanc claſſem referri poſſunt Gangrænæ digitorum vel eorundem aliarumvè partium totalis corruptio & ſideratio, cum & ſine cruſtoſo ulcere: Varices à venarum *Gangræna*

in cruribus plenitudine: Verrucæ in ventre primum, dehinc in reliquo corpore copiosè erumpentes: Eryſipelas, ſeu efflorescentiæ crurum aliarumvè partium rubicundæ: pedum etiam aut ſummorum digitorum inflammatio cum animi gravi deliquio, absque tamen ulla ſiti.

58. Nonnunquam & in ventris ſanguis ater, glomeroſus ac grumoſus cum varicoſo & inæquali tumore venas quaſi tuberibus quibuſdam attollit, qui verſus cerebrum raptus, aut fumorum exhalantium copia prægnans, Epilepſiæ, aut convulſionibus occaſionem præſtare ſolet.

Excretorum vitia. 59. Quæ denique ab Excretis deſumuntur ſigna ſunt, copioſus atque graveolens ſudor, in atrophiam plerunque deſinens: Lentigines innumerabiles, griſeæ ſeu pullæ, maculæ crurum & femorum, ſummam cutim fœdantes, purpureę, plumbeæ, nigrę, Melancholici humoris, ſubter cutim ſtagnantis, ideam repræſentantes, quæ non raro eroſâ cute & carne in ulcus fœtidum degenerant, ægrè cicatricem ducentes malignæ & gangrænoſæ, cum ſenſu partium abolito: Non raro leves ſunt & inæquales aliæ in ſquamulas reſolvuntur, quædam ſplendidæ permanent, cum levi impreſſi digiti veſtigio. In nonnullis maculæ iſtæ purpureæ vel cutim univerſam, crurum præſertim deturpant, vel circa thoracis partes, aut in cruribus ſaltem hærent, cum tumore, vel perfectâ eorundem extenuatione, & quandoque cum vel abſque dolore ac majori ex parte in citrinū aut rubrum colorem deſinunt.

Urina. 60. Eximiam tandem ad ſcorbutum detegendum prærogativam ſibi vendicat lotium, adeo ut ipſius inquiſitionem pro charactere idoneo multoties ſufficiat. Inſigne tamen iſtius, pro temperamentorum in ægrotis diverſitate, morbi tempore, ac variâ humorum putreſcentium morbique natura, ubivis notatur, diſcrimen. Ac licet certi quid de hoc affectu ex urinis conſtitui non poſſit, præſertim ubi levior putredo ſubeſt, & morbus haud ita pridem invaluit: Ubi tamen tacitis incrementis & morbus ac putredo aſſurrexerint, tenues quidem, ſed intenſæ ſunt rubedinis, ita ut ad fuſciditatem & obſcurum livorem, quales in febribus ardentibus reddi conſpiciuntur, vergant. Quibus eò rectius fidendum, ſi nulla aut modica ſitis, ceu Apodicticum atque indubium hujus affectus ſignum putrefactionis, quam Urina deſignat, notis minimè reſpondens infeſtarit.

61. Frequentius autem craſſæ, ex fuſco rubeſcentes ac manifeſta lividitate aut ingredine inſignes, vel ſaburoſæ & groſſæ rubedinis cum ſedimento craſſo rubro, gravi furfuraceo & arenoſo viſuntur: in quarum ſunt parte eminentiori multa cruda & pituitoſa excrementa, neque ſedimentis integrè permixta plerumque adhærent, quibus etiam tanto major fiducia

fiducia tribuenda eſt, ſi unà cum ſitis defectu, nullum febris certæ typum nobis oſtendunt, neque totius corporis languor vel lenta febris ægrotum divexet, isque paulatim evidentem cauſſam contabeſcat. Quibuſdam in hoc affectu urinæ albæ, craſſæ, quæque ſtatim, ubi redditæ ſunt, conturbantur ſuperiori ſua ſubſtantia, matulæ parietibus adhærentes, itidem cum ſubſidentia corporum alborum vel cinereorum, rotundorum, gravium & arenulas æmulantium profundantur. Quin & in non paucis deprehenduntur liveſcentes, nigricantes, vel obſcura nigredine vireſcentes, cum oris ſiccitate moleſta, febre & crurum aliarumque partium dolore obtuſo.

62. Haud parum etiam ad certum apodixin faciunt Urinarum variæ frequentes ac præter rationem factæ permutationes, vel ubi à carthartico aſſumto aut medicamentis attenuantibus conturbatiores, deterioresque apparent, cum difficili reſpiratione ac gravioribus doloribus, morbo item lento exiſtente ac nulli veterum deſcriptione reſpondente.

De Signis diagnoſticis.

Signa diagnoſtica. 63. Ex hac ſignorum enumeratione evidenter conſtat, Scorbutum quidem morborum quam plurium faciem moresque falſos induere, ab iiſdem tamen nō ſignorum proprietate ab loco affecto, ſed & curatione diſtingui, qui ſanè ſolertiſſimè ſunt excutienda, atque ad examen revocanda, ne in curatione prius impingatur, & ſalus ægrotantis elabatur, quam morbus ritè fuerit exploratus.

64. Innoteſcit idipſum ex collatione aliquot morborum, ceu difficilis reſpirationis, Vomitus, fluxuum alvi, ac dyſenteriæ, febrium intermittentium & continuarum, lipothymiæ, pleuritidis, paralyſeos, ſtuporis, Epilepſiæ, convulſionum, Arthritidis, Hydropis, phthiſeos, delirii, Vacillationis dentium, Gallici morbi, & Gangrænæ, ad quos etiam reliquos facili negotio revocare licet.

Difficultas Reſpirationis vulgata, quomodo ab illa, quam ſcorbutus excitat, differat. 65. In difficultate reſpirationis, quæ ſcorbutum comitatur, quadruplex occurrit diſcrimen; quorum unum à ſede affecta; alterum ab ægrotantis ſenſu; tertium ab effectus remiſſione; & quartū à conſequentibus deſumitur. Ratione loci affecti nil circa thoracem ægroti conqueruntur, atqui locum, ubi ſe gravari ſentiunt, cujus etiam merito ſpiritū ægerrimè ducere coguntur, ſub diaphragmate ad Ventriculi regionē potiſſimum, circa orificium ejuſdem, commonſtrant. Quin & ingraveſcente malo diaphragma à flatibus copioſè in utrumque latus ſeſe diffundentibus tam violenter comprimitur, & Cor tantoperè afficitur, ut non pauci inter decumbendū animi deliquium incurrant aut ſubitò

exin-

extinguantur. Secundò, meritò ſenſus in ægrotantibus in hac ſpirandi difficultate magis anguſtia ad præcordia ſemet gravari fatentur ægroti, quam reſpirationis inopia. Tertiò manifeſtum eſt, pro mali vehementiâ ac ſævitiâ aut reluctantis naturæ robore ac debilitate, modò longiores, modò breviores anguſtiæ fieri acceſſiones: id quod in reliquis thoracis affectibus rariſſimè uſu venit. Quartò, nihil etiam eorum, quæ aliàs thoracis affectus inſequuntur, in difficultate anhelitus, quæ ſcorbuti indoles eſt, animadvertitur, ceu tuſſis, ſibilus, ſtertor, pungens dolor, orthopnœa & his affinia. Ideoque judicium de hoc morbo tantò firmius erit, ubi cum diſpnœâ lividus faciei color, & in iis potiſſimum, qui craſſo ac melancholico diffluunt ſanguine, vel temperamento magis ſanguineo gaudent, poſt levem motum, extra manifeſtum viſcerum infarctum, anhelitus gravior, cum labiis genisque ſubfuſcis ac luridis, notantur.

Vomitus Scorbutici, familiaris, quomodo à vulgari diſcrepet.

66. Vomitum Scorbuto familiarem ac proprium à communi & qui ventriculo contingit vitio, diſtinguere licet: primò, ubi ab ejuſmodi oblatis, quibus ventriculi affectionibus manifeſtè ſuccurritur, nulla ſequitur alleviatio, v.g. ſi vomentes in Scorbuto à lacte & lacticiniis melius habeant, atque ab aliis medicamentis roborando ventriculo idoneis, quæ majori ex parte adſtrictoriâ vi pollent, & materiam circa præcordia conſtringendo altius imprimunt, ideoque ſic affectos magis lædunt, quàm juvant. Hæc autem materia craſſa & frigida cum ſit, dilui poſtulat & incidi. Secundò ubi ſubinde & præter rationem Vomitus quieſcit, & ex improviſo recurrit. Tertiò, Quando de Ventriculi gravitate ſenſibili ac dolore vel ejuſdem morboſa intemperie aut vicinorum viſcerum morbo nihil certè conſtat. Quartè, Si cum vomitû conſueta corporis evacuatio ceſſaverit, obtuſus crurũ dolor ac gravitas invaluerit, ac urinæ craſſæ ac rubicundæ cum ſedimento rubro vel ſubfuſco aut furfuraceo apparuerint.

Diſcrimen fluxuum alvi à ſcorbuticu pro fluviis.

67. In alvi fluxu Scorbutico expeditum eſt à diarrhoea ac lienteria diſcrimen, eò quod in vulgaribus alvi profluviis cibus propemodum crudus, & nequicquam aut leniter immutatus, deſcendit; nonnunquam & humores liquidi à cerebro, nec non vicinis remotisque à ventriculo locis in eum confluunt, ac varios colores referant. At quæ ſcorbuti vitium ſequuntur excretiones, magna ex partæ ſunt compactæ, ingeſtum cibum copiâ ſuperantes, varii, ceu herbarei, cinerei alteriusque coloris, confertim, & noctu magis ac circa veſperam, quàm interdiu prodeuntes. Sic in dyſenteria mendaci ſanguis cum dejectionibus neque effunditur, neque iiſdem permiſcetur, ſed ab aliis fæcibus ſecretus, abſque omni

omni moleſtia deſcendit: Aſtringentium etiam medicamentorum, ob ſummam anguſtias & extremam ſpirandi difficultatem, præſensque deliquii, aut ſuffocationis periculum & quod materiam circa præcordia conſtringendo ac venas conſtipando, ideoque putredinem ad augendo in viſcera fortius impingat, planè noxius deprehenditur eſſe uſus. E contrario vero iſtorum, quæ à proprietate agunt, & morbum hunc ejuſdemque cauſſam peculiari dote reſpiciunt major percipitur utilitas.

Qua ratione febris intermittentes ab iis, quæ ſcorbuto conjunguntur, ſint internoſcendæ. 98. In febribus intermittentibus diſcrimen ex tribus deſumitur fontibus. Primò à pulſu, qui vel magnus, durus & ſerratilis, nonnunquam & præter febris conditionem, parvus eſt ac inæqualis. Secundò, Urinis quæ craſſæ ſunt, rubræ ac ſubfuſcæ, plurimis ſedimentis conſpicuæ, ſuperius autem turbidæ ac ſubalbidæ, putredinem in pluribus ac diverſis humoribus arguentes. Tertiò, à propriis cujuſq; febris accidentibus. Idcirco ſi febris tertianæ aut quartanæ typum mentitur ſcorbutus, craſſa ſemper ac diverſarum partium occurrit urina, extremã denotans cruditatem, cum quâ nonnunquam rara quædam ac periculoſa concurrant ſymptomata, ceu motus convulſorii, Lethargus, tremor, varii ac pungentes corporis dolores ac lancinationes, aut alterius gravioris morbi ſequela, variæ tandem facilesque urinarum permutationes.

69. Continuam verò ubi morbus hîc exprimit, ſanguis occurrit plumbeus, ac viridis aliisq; coloribus tinctus, Venæ ſectione dimiſſus, febres ſunt mitiorum morum & minori cum inquietudine, ac ſiti conjunctę: atque auctiores ubi evaſerint, accedunt anxietas per intervalla recurrens, & ad præcordia infeſtans, pulſus parvus & inæqualis, urinæ craſſæ ac ſubrubrę, cum ſubrubicundo, & craſſo vel albo, craſſo & turbido ſedimento, eoque diſpari & gravi, quibus pro modo putredinis par potus deſiderium & quantitas non reſpondet. Quin & ejuſmodi febres medicamentis fortioribus & calidioribus initio exaſperantur, plurimi etiam laborantium ſubito deliquio ac ſuffocatione pereunt. *Et quomodo continua.*

70. Lipothymiam aut ad eandem ſubeundum proclivitatem, vulgariter ab orificio ventriculi & cordis cum eo conſenſu deducunt: at rectius in lue ſcorbutica à Venenatis hujus mali vaporibus ac malignâ affectus qualitate, quibus Cor, ceu facultatis vitalis fons & officina, poſt levem motum fatigatur atque graviſſimè opprimitur, profluere ſtatuitur. Ejuſmodi etiam reſpirationis anguſtiam ægrotantes perſæpè incurrunt, ut præter expectationem ſubitò deficiant. In quibus tamen morbi vehementia Naturæ beneficio evincitur, hi radice mali nondum penitus profligata perpetuo q. languore cõtabeſcunt variis malis ſubinde implicantur, *Lipothymia communis a mendoſa ſcorbutica diſcrimen.*

plicantur, donec in hydropem, atrophiam, aut aliud ejusmodi malum certiſſimo mortis periculo conjiciantur. In hujus tamen mali indagatione puls⁹ primas ſibi vendicat partes, qui in omnibus ferè parvus, debilis & inæqualis, niſi quandoque febris vehementia illum intendat: qui tamen æſtu remittente ex magno & duro in parvum, frequentem, inæqualem, nonnunquam & vermiculantem degenerat.

Pleuritici dolores nothi quibus à communibus diſcrepent. 73. Exercent ſæpè numero ægrotos falſa pleuritidis ſpecie, fortiſſimi laterum dolores à verę pleuritidis notis inſigniter diſcrepantes. In hoc n. dolore ægri nõ tuſſiunt aut exſpuũt, niſi quandoq; lentus calor, humores capitis reſolvens, tusſim aut ſputum conciter. Secundo pulsũ omnes habent paruum, mollem, exilem & maximè inæqualem iſti, qui in vera pleuritide notatur, in qua durus, ſerratilis, altusq; deprehenditur. Tertio ſociã habent febrem lentam, quæ alias ob affectæ partis nobilitatem, ejuſdemque cum corde ſympathiam maximè intenſa eſſe conſuevit. Quarto recurrentam ex intervallo dolorẽ obtinent, unde per conſenſum partem infeſtari veriſimile eſt. Quinto Urinæ craſſæ ac turbidæ multa craſſa hypoſtaſi inſtar arenæ ſubſident. Sexto Sitis nequicquam aut parum moleſta eſt, & reſpiratio pauxillum imutata.

Signa paralyſin verã, à ſcorbutica diſtinguentia. 72. Præter punctiones non pauci paralyſin ac ſtuporem tam crurum, quam laterum incurrunt, ſignorum proprietate, ſeu morbi natura, corporis conſtitutione & curatione à Veterum reſolutione differentem. Signorum conditione ac morbi natura quidem. Primo, quod licet utrobique pedum translatio figendique robur ac firmitas pereat, in pleriſque tamen motus aliquod veſtigium remaneat, quo reſoluta membra ſemet commovere, & ad muſculorum capita attrahere conſpiciuntur. Unde per ſympathiam malum irrepſiſſe ac nervos affici conſentaneum eſt. Secundo, non continuo, ſed intervalla miraque vicisſitudine affligitur, diversâ tamen, ratione quam de veterũ Paralyſi literis proditũ legitur, quæ à primaria nervorum affectione procedit, in qua reſolutio durat, donec Naturæ robore, aut Artis præſidio evincatur. Tertio, Poſt lõgas triſtitiæ cauſſas paulatim vel ſubito quoque, partẽ aliquam corporis invadit, eademque facilitate, qua apprehendit, ſubinde reſilit. Cum Veterum Paralyſis ſubito, & poſt fortẽ animi motum ingruat, ac plethoricis vel otio ac delitiis indulgentibus ſit uſitatior. Quarto, Arthriticos dolores hæc reſolutio frequenter excipit, ac pedetentim longioreq; morâ recedit: diversâ planè ratione, qua in veterũ paralyſi ſubitus humorum ad nervos affluxus fieri conſuevit. Quinto antequam perfectè curetur, aliud atq; aliud membrum reſolutio levis aut ſtupor apprehendit, eâdemq; facilitate remittit ſubinde. Sexto, Si quando tumores huic malo copulantur, eâdem ferè promptitudine evane-

evaneſcunt. Septimo, Partium quædam, ubi ad priſtinũ vigorem ſponte redeunt aliæ reſolutæ manent, alia ad convulſionem diſponuntur.

Reſolutionis membrorum nota. 73. A corporum temperie & conſtitutione depromta diſſimilitudinis ratio eſt, quod hac reſolutione præter corporis diſpoſitionem ejusmodi præ cæteris homines ſubnervantur, quos anxia jam pridem ſollicitat cura, qui inopiâ & laboribus confecti duriorem parcioremque vitam aliquandiu tolerarunt, quique triſtioribus cogitationibus indulgendo multas diuturnioris mœſtitiæ cauſſas experti ſunt. Veterum autem illa in otio & crapulâ liberiori viventibus, plethoricis arvinamque foventibus vel ſubitaneo quodam motu oppreſſis eſt aſſuetior. Quibus ſub ſcorbuto urinæ craſſæ, ſubfuſcæ, ac ſimiles planè iis, qui in quartana redduntur: quas in veterum paralyſi conſtat eſſe albas, tenues & ſpiceas vel albas & craſſas, niſi alterius morbi acceſſione colorem acquirant. Quæ ſanè omnia evidentiſſimo ſunt argumento, malum hoc à venenatis potius vaporibus, melancholici humoris corruptione & ſpecificâ ſcorbutoque competente putredine, quam ab humorum in nervos impulſu proficiſci. Cujus merito contingit, ut in morbi progreſſu ac diuturniori ejus morâ vapores hi unicum vel plures nervos, pro conditione robore partium, ad convulſionem diſponant. Idipſum etiam de ſtupore, qui paralyſin magna ex parte præcedere ſolet, adventantisque morbi nuncius eſt, ſubaudiendum. Quem etiam à veterum ſtupore diſcrepare conſtat, quod momentaneus ſit, ex improviſo apprehendat, & facilè remittat, ſitique cum levi & per intervalla repetente partis reſolutione conjunctus. Quod itidem haud primario accidere, ſed à maligna ac frigida vaporũ, qui ab hac putredine latente reſolvuntur, qualitate & natura provenire vero nõ eſt abſimile. Id quod etiam facili harũ affectionũ mutatione dignoſcere licet

74. Curationis denique modus à veterum paralyſi (in qua proprii nervorum morbi ſunt diuturni, quique non niſi Topicis poſt univerſalem medelam evinci & expugnari poſſunt:) longiſſimè in præſenti caſu evariat: qui nõ attenuantia ſaltem & incidentia auxilia & ſubſidia, ſed etiã quæ morbum hunc à proprietate reſpiciunt, requirit: licet in locis ad Septentrionalis maris littus ſitis & aliis aeris intemperie iiſdem reſpondentibus, curatio operioſior & difficilior eſſe ſoleat.

75. Conſimilis medelæ ritus obſervand⁹ eſt, quando diuturnæ Ventris lancinationes colicique dolores graviſſimi in momentaneam paralyſin, aut comitialem morbũ deſinunt, quos nulla methodica curatione, ſed iis ſaltem corrigi poſſe remediis certum eſt, quæ vapores, à propria pu- *Colici dolores nothi à conſuetis ut differant.*

tredinis in ſcorbuto qualitate emiſſos, diſturbent.

Nervorum contractio ſcorbuticis familiaris. 76. Cumque ex peculiari hujus morbi. Natura & humoris melancholici proprietate. Nervi potiſſimum convellantur, aut contrahuntur, tunc id vel modicis incrementis paulatim ac ſine febre contingit, vel cum manifeſtis Febris indiciis, quam motus convulſorii Univerſales plerumque comitem habere ſolent. Utrobique tamen ob vaporum, qui à latentium humorum putredine defluunt, ad cerebrum penetrationem, acceſſiones interpolatæ ac recurrentes conſpiciuntur, ita ut fumis validiori corporis niſu & concuſſione diſploſis ægrotanti inducias tamdiu concedant, donec alii in priorem locum ſuccedentes & ad caput emiſſi, priſtinam affectionem renovant.

77. Non rarò etiam Vapor ex putredinis minerâ reſultans, in peculiarem quendam muſculum, aut qui eidem inſeritur nervum delatus eundem contrahit ſua vel frigiditate & craſſitie, vel malignâ & venenata qualitate offendens, atque ad hanc affectionem reliquos etiam nervos, citra tamen omnem tumorem aut duritiem diſponens; quibus vaporoſam magis, quàm ab humoribus cõtracta hujus morbi cauſſam efficientem eſſe ſuadet ratio. Hujus farinæ ſunt calcanei retractio, ſpaſmus cynicus, & genarum coarctatio, viciſſitudine quadam infeſtantes, cum pulſu debili inæquali & urina ſuperius turbida & fecibus craſſis gravibusque ſubſidentibus.

78. Epilepticæ autem convulſiones num ab hoc morbo oriantur, Primò, Ex morbi indole & proprietate, deinde ex pulſu & urina dignoſcitur. A morbi proprietate Primò, quod cum febre motus hi convulſorii ſemper ingruant: Deinde quod eadem facilitate, quâ apprenhendunt, remittunt, iterumque recurrunt. Tertiò, quod nulla à veteribus propoſita Epilepſiæ cauſſa locum mereatur. Quartò, quod ante hoſce motus brachia & manus momentaneo rigore ſtupeſcant, vel totius tremor, aut levis paralyſis præcedat. Quintò, quod ſubitò & præter rationem in alium morbum, ceu cataphoram, paralyſin, vel abſceſſum ſæpè ultro evaneſcentem ac præter expectationem redeuntem, commigrare ſoleat: idque pro vaporum exhalantium deductione & in cerebrum irreptione, qui licet ab unâ eâdemque cauſſa foveantur, pro ſubjecti tamen diſpoſitione multiplici, ac diſpari membrorum corporis temperaturâ diſcrimen admittunt. A pulſu & urinis denique judicium deſumitur, quando pulſus eſt exilis & urinarũ faciles in initio mutationes pro acceſſionum & intervallorum conditione notantur. *Epilepſia ſcorbuticæ ſigna.*

79. Quando ſcorbutus Arthritidis imagine falſa ludit ægrotosque divexat, diſſimilitudinis rationem à vera arthritide capere licet. Primò ex per- *Diſſimilitudinis ratio in doloribus artuum ſcorbuticis à vulgaribus unde petatur.*

ex permanentiâ dolorum, qui non ſubſiſtunt, ſed errabundi de loco in alium, quandoque etiam in oppoſiti lateris articulum feruntur; certiſſimo utique argumento à vaporibus humoribus tenuioribus permixtis potius, quam humorum ſeroſorum defluxu malum hoc produci. Quandoque etiam adeo diſcurrunt & divagantur; ut quos omni ſolutos cruciatu exiſtimes, ſubitò & præter opinionem cum & ſine tumore infeſtari videas. Id quod ex Topicorum uſu præ cæteris contingere moris eſt. Secundò, Quod catharticis medicamentis non curentur, quin imò potius exaſperantur, ac ſæpè in paralyſin, tabem aut alium vehementiorem morbum degenerant. Tertiò Arthritis hæc cum levi reſolutione nonunquam eſt conjuncta, adeo ut ſic affecti membrum ægrotum de loco in alium, citra adminiculum, rarò transferre queât. Quartò Quòd exhibitis ſtomacho conferentibus medicamentis ſymptomata pleraq; diſcutiuntur, & evaneſcunt: quibus tamen, ubi crudis humoribus admixtum eſſe malum apparuerit, admiſcenda erunt, quæ eaſdem moderatè concoquant & incidant. Quintò, In nonnullis dolores, qui initio intermittentes diſcurrentesque fuêre, debilitate membrorum, ob medentiû imperitiam, ægrotique pertinaciam, longius perſeverante, poſtea ſtabiles fiunt & cum acceſſione ſubſiſtentes. In his etiam Urina ſemper craſſa, varia, cum craſſis & furfuraceis necnô ſublividis ac nigris excrementis viſitur. Sexto, Diutius juſto moram trahente morbo, ex defectu facultatis expultricis ſæpiſſimè contingit, ut loca ante puncturas infeſtari conſuetas, ſimili dolorum immanitate, quâ prius juncturæ officiabantur, opprimantur, quæ tamen nullis inunctionum ſubſidiis cedere ſolet: idque absque ſiti & nullo caloris ſenſu moleſto.

80. Hydrops Scorbuticus has potiſſimum admittit à Communi differentias. Primò, In morbi exordio, nec tumore preter modum reſiſtente, gravior adeſt reſpirationis egeſtas, quam in veterum hydrope: & præcludi ſibi aerem & ad orificii ventriculi regionem ſeſe coanguſtari deplorant, adeo, ut ob diaphragmatis compreſſionem, atq; à craſſis vaporibus diſtentionem, erecti ſpiritum ducere cogantur. Secundò, ubi cauſſa mali minus vehementer urgetab hac anguſtia remiſſionem percipiunt. Tertiò, in plethoricis & ſanguine copioſo diffluentibus, genæ labiaque ſubrubido colore tincta apparent. Quartò à purgantibus, quæ initio ægerrimè ſuſtinent, difficulter ſpirant, & quotidiè in deterius ruunt. Quintò, Tumor ſcorbuticus propter humoris melancholici admixtionem durior eſt & tenſior, non alâ neque facilem digitorum impreſſionem admittens: Veterum autem mollis & laxus. Uterque tamen pro tempe-

Hydropis ſcorbutici & communis diſcrimen.

temperaturarum ac humorum diverſitate evariat, eò quòd alia corpora ad pituitam producendam ſunt aptiora, alia alterius humoris generationi ſunt magis oportuna. Sextò, non curantur, niſi quæ incidendi attenuandi ac Venarum cum Epate ac liene obſtructiones expediendi facultate pollent, ſubſidiis, admixtis medicamentis, quæ ſpecificam erga hunc morbum vim, ac proprietatem poſſident.

Quibus notis Hydrops Veſicalis à vulgari differat.

81. Pari pactò in Hydrope Veſicali rem ipſam diſcrepare cognoſces. Primò, Natura & affectus proprietate: Deinde pulſibus & urina. Qualitate ſanè & morbi indole, quod antequam certam figat ſedem, aliam atq; aliam corporis partem momentaneo tumore & inflatione corporis diſtẽdit: idq; in iis potiſſimum, qui Victus ratione uſi ſunt minus melancholica & humoribus ſcatent vaporoſis, flatulentis ac tenuioribus. In iis vero, qui humoribus craſſioribus ſunt detenti, minus conſpicuæ ſunt tumorũ mutationes, quibus pedes primum, deinde corpus univerſum, & cumprimis circa inguina ſitæ partes duro & inæquali tumore paulatim aſſurgunt, variis tuberibus & propria carne circumſcriptis, extraque reliquum tumorem propendentibus. Tubercula autem iſta, ob humoris qualitatẽ doloris ſemper ſunt expertia. His pro majori confirmatione adſtipulantur. Primo, pulſus parvus & inæqualis. Secundo, Urinæ initio craſſæ, rubræ, ſublividæ, variæ, conturbatæ & nonnunquam, morbi cauſſam non invadente Natura, albicentes crudæ & aqueæ. Tertio, Ante mali hujus generationem gravia quædam ſymptomata huic morbo familiaria nullique methodicæ curationi parentia ægrotantes infeſtarunt, ceu frequens vomendi conatus, variæ & inſuetæ alvi dejectiones, ſine morbo manifeſto diutius perſeverans languor, cum pulſu prædicto: Oris ſiccitas vel perennis aut à ſomno tantum matutino moleſta, ac diutius absque ſenſibili morbo perſeverans.

Phthiſis ſcorbutica quomodo ab Atrophia generibus aliis dignoſcatur.

82. Phthiſis & Atrophias Scorbutica inter ſæviora mala refertur, ac plurium morborum comes eſt, eo quod ipſa in corpore deliteſcente, omnis ſucculentia & habitus depaſcitur. Ab aliis atrophiæ generibus dignoſcitur. Primo, ubi cùm nulla evidenti cauſſa æger contabeſcit, cui inquiſitioni pulſus hectico minimè ſimilis, & urina craſſa, ac ſublivida vel citrina & ſubfuſca, firmitatem aſſenſus conciliant. Secundo, Si præter anxietates ad præcordia per intervalla interfeſtantes in univerſo corpore aut cruribus maculæ nigræ ac citrinæ efflореſcũt. Tertio, ſi languorem potius ſeſe perpeti, quam certo quodã morbo deſtrictos eſſe ægroti cõqueruntur, multo ſimul animi dolore membra tabefacta mõſtrantes. Quarto, elicitur hoc diſcriminis ex cauſſarum diverſitate, quæ in Veterũ Atrophia eſt calor æſtuans, cordi infixus aut aliundè ad cor deriva-

tus:

tus: In hac vero dominatum obtinent Vapores maligni à putreſcente in prima corporis regione materiâ melancholica craſsâ, ac frigidâ, vel aquea & crudâ, à putredine ſcorbutica infecta, elevati, quorũ continua evaporatione calor cordis modicis incrementes adauctus, aſſurgit, præterque Naturæ modum accenditur, verum tam lento & ob cauſſam morbi frigidam ſolum gliſcente calore, ut non niſi longiori temporis mora ab effectu percipi queat. Is enim arteriis totiq; corpori communicatus multorũ menſium & annorum decurſu, quandoq; etiã pro quantitate materiæ, cauſſarum agentium vehementia, & externorũ rerum occurſu citius ac tardius, ſui furoris incommoda exercet. Quinto, Curationis demum, quam admittit, formula in multis à vulgari differt: eò quod prę- ter tenues & crudos, frigidosque humores concoquentia, attenuantia & incidentia, ejusmodi præ cęteris gaudet, quæ peculiare adverſus ſcorbutum obtinent facultatem, nunquam non ſubjectorum, morbi cauſſæ & ſymptomatum habita ratione. Quibus addatur & Victus attenuans, calefaciens, & incidens, nec non lactis, incoctis prius ſpecificis, uſus.

Delirii ſcorbutici & popularis diſcrepantia.

83. Ex putredine ſcorbutica & Materiæ vaporoſæ ad caput appulſo cõtinuo, Delirium nonnunquã ſequitur, nullam tamen medendi rationẽ peculiarem requirens, præter iſtam, quæ morbi radicem præcidit & evellit. In veram autem hujus cognitionem devenitur. Primò, Facili ejuſdem invaſione ac præter rationem intermiſſione. Secundo, quod nullo ſæpè æſtu, ſiti moleſta, aut inquieta membrorum jactatione ingruit, ſed lento ac morã trahente morbo, atq; ex qualitate potius virulenta, quam caloris abundantia, ſpiritus cerebri turbante. Id quod in aliis deliriis, quæ non niſi acutos, vel propria capitis affectione concitatos morbos ſequi ſoleat; haud quaquam in more poſitum. Tertiò, Victus ratio præceſſit craſſa, ac in locis uliginoſis ac paludoſis habitatio. Quarto, Urina craſſa & rubra absque multa ſiti percipitur. Quinto, Pulſus interdum durus eſt, ac ſerratilis, non raro etiam parvus & inæqualis, nil ab illo, qui in orificii ventriculi affectibus notatur, differens. Sexto, Per intervalla ex nullã manifeſta cauſſa invadit.

Dentium mobilitas quo pacto à communi Vacillatione diſpeſcatur.

84. Tritum eſt etiam in hoc affectu ſymptoma dentium Vacillatio, quam tamen non ex alveorum laxitate aut gingivis à ſalſis & acribus deſtillationibus eroſis depaſtisque dependere, ſed à Vaporib⁹ putridis promanare certum eſt, eo quod gingivæ non conſumtæ vel eroſæ, ſed tumidæ; non ſtrictæ, verum molles, laxæ ac fœtidæ conſpiciuntur, & quibuſdam partibus putredine depravatis, à dentibus abſcedentes.

Qibus ſigniis peſtis

85. Licet peſtis ac Febris peſtilentialis non anxietatibus ac tumoribus modo,

à ſcorbuto diſtinguatur.

modo, ſed vomendi conatu, ſimiliq; ob materiæ craſſitiem aut obſtructionum in Venis gravitatem, ſiti & moleſtâ linguæ labiorumque ariditate, & nigris cruſtoſisque ulceribus, cum ſcorbuto ſæpiſſimè colludant variisque ſeſe invicem æmulentur ſignis: propria tamen ſcorbutus obtinet γνωρίσματα, quibus ab iiſdem diſcrepare cenſetur. Primo, quod in peſte anxietas & vomitus qui occurrunt, minus intercipiuntur. Secundo, Urina modo tenuis eſt, modo craſſa & conturbata & multô ſabulo in fundum ſubſidens, variaque ac diſpari hypoſtaſi conſpicua, cum pulſu exiguo & debili, indiciis putrefactionis, quæ in urina apparent, ſæpè numero contrariæ. Tertio, Minus hæ febres contagioſæ ſunt ac paucioribus communes, quam peſtilentes eſſe ſolent, uni atque alteri familiæ adſtrictæ, & in hac nõ omnes, ſed propter Vitæ victusque errorem magis diſpoſitos invadentes. Quarto, Medela his competit, quæ ſcorbuti medicationem promovet, infarctus reſerat, ut humores craſſos & melancholicos incidit & concoquit. Facilior horum tumorum eſt diſcuſſio, quam in Peſte.

Morbus Gallicus à ſcorbuto quomodo differat.

86. Etſi tam ſcorbuto, quam Morbo Gallico peculiare ſit, præter dolores, ſub noctem hoſtiliter infeſtantes, ac nervorum retractiones, qualitate ſua maligna ac venenata cutim & carnem ſubjectam exulcerare & arodere: Differens tamen eſt utriusque putrefactionis modus. Diſpat enim primô excrementorum, quæ in ulceribus apparent, & figura & colore percipitur conditio, eò quod in Gallica lue lardi ſubſtantiã æmulantur: In ſcorbuto verò ulcera maxima ex parte ſicca ſunt, nil aut modicum puris reddentia, quod tamen varium eſt, crudum, ac nullius certi coloris. Deinde quod ulcera ſcorbutica alterius generis poſtulat remedia, quam Gallica.

Tumorum Gallicorũ à ſcorbuticis diſſimilis conditio

87. Haud abſimile de Tumoribus undelibet in corpore, ac præ cæteris in intermediis muſculorum ſpatiis erumpentibus ac Gallicos æmulantibus faciendum eſt judicium. Scorbutici enim tumores medicamento potentiori dũ aperiuntur, ſicci ſunt, vitamque comitantur triſtem & calamitoſam: Gallici vero magna ex parte familiares ſunt iis, qui ventri obediunt & Voluptatibus ſunt mancipati, in iiſdemque adapertis materia pinguis ac lardo infumato non multum abſimilis offenditur.

Gangræna vulgaris à ſcorbutica etiam ſegregatur.

88. Tandem etiam inter cruſtoſa ſcorbuticorum ulcera & vulgarem Gangrænam, hoc intercedit diſcriminis, quod in ſtomacace ulcera Gangrænoſa ſicca ſunt, nil ſaniei exprementia, licet quibuſdam id non raro procuretur remediis. Secundo, quod maculæ nigræ, ac purpureæ copioſę in membro corruptionem jam admittente apparent; denique quod paulatim & poſt longius intervallũ perimant; idque contra moram Gangrænæ

grænæ

grænæ vulgaris, quæ frigoris ſenſu accidens calorem partium innatum ſubitò extinguit, & modicarum horarũ intercapedine vitæ finem facit.

89. Hanc autem ſignorum inveſtigationem tantò accuratius proponere viſum eſt, quo & morbi indoles rectius & maturius inquiratur, ſingulaque ad ipſius curationem facientia graviter penſitentur, atque ſanitatis trutinam ſtudioſe revocentur, ac priusquam gravioris cujuſdam mali mores induere queat, idoneiis ſubſidiis corrigatur. Adeo namque levia neglectaque ſolent eſſe hujus morbi in cunabula ac primordia, tamque lentum ipſius incrementum ac progreſſus: ut ſic affecti nil fermè, aut quam minimum à ſanis differre videantur: quæ tamen aliquamdiu prætermiſſa ac negligentius tractata diuturniore mora vires eundo tantoperè acquirunt, ut ſæpenumero, haud ſine præſentis vitæ diſcrimine, graviſſimè affligant, atque ad longè atrociora mala viam ſternant.

DE PROGNOSI.

Prognoſtica.

90. Prognoſtica tam ſalubria, quàm exitium promittentia ex præmiſſis hunc in modum eruuntur.

1. Scorbutus, ex Langii ſententia, ærumnoſus eſt partium carnoſarum morbus ac roboris earundem decoctor.

2. Sicut humor atrabilarius in movendo piger, temperatura frigidus & ſubſtantia lutulentus ac limoſus eſt, & non niſi longo tempore coacervatur, minusque remediis cedit: ita ſcorbutus ab eodem promanans ſimilis eſt genii & indolis, & hiſtoriam, quam nectit, minus properè abſolvit, neque ægrotos præcipitat.

Vivaria ſcorbuti in ſinu fovemus, & in medullis penitus circumferimus noſtris, ſuccos ſcilicet craſſos fœculentos ac melancholicos, qui corruptelam inteſtinam promptiſſimè ſubire poſſint, præſertim ubi vivendi ratio diſſolutior ac minus laudabilis acceſſerit. 3.

91. In ſcorbuticis Facultas Ventriculi ὀρεκτική nonnunquam integra eſt & illæſa: quandoque tamen ſubſtrata & cum omnis edulii faſtidio: idque pro diſpari humoris, tam ab Epate quam Liene in ſinum ventriculi fluentis conditione. 4.

Febris lenta, urinæ craſſæ, rubicundæ ac variæ, abſque moleſta ſiti caloriſque ſenſu redditæ, ſcorbutum majori ex parte præſagiunt. 5.

Urinæ craſſeſcentes & cum ſedimento lutoſo ſubſidentes in hoc malo cruditatem ut plurimum deſignat extremam: quæ aliàs in febribus communibus declinationis notas exhibent. 6.

92. Quoties in medicamentorum ſcorbuticorum uſu urinæ tenues cum morbi incremento permanent, vel adhibitis uſurpatiſque incidentibus & attenuantibus morbus nil aut 7.

Vu parum

parum remittit, fortius incidentia & attenuantia, quæ eidem competunt, ad radicem mali præſcindendam deſiderantur.

8. Quibus patruus aut inquilinus eſt affectus ſcorbutus, in hoc prærogativum jus & imperium potius obtinet, ut quo magis increbreſcit, eò malignior ingraveſcendo evadat, adeò, ut non rarò inevitabili pravitate in omnem vitam perduret.

9. Acceſſiones ſymptomatum in ſcorbuto frequenter concedunt inducias, easq; vel prolixas vel breviores, pro vehementia aut ſævitia morbi, ac renitentis naturæ robore vel debilitate.

10. 93. Conſpicua mutatio urinarum absque ſiti & febrili calore, non infidum hujus morbi eſt argumentum.

11. Convulſiones in hoc morbo oriuntur à vaporũ, qui à ſpecifica ejusdem putredine oriuntur, malitia ac virulentia, ſui natura ac proprietate nervos, partesq; nervoſas infeſtātiū.

12. Triſtitiæ cauſis his morbus libenter immiſcetur.

13. Habitus melancholicus & ſqualidus vel in quo calor inſitus vel ſponte naturæ aut morbi violentia elanguit, naturalisq; œconomia labefactata eſt, quique cibis delectatur crudis, craſſis, viſcidis ac frigidis, hunc morbum ſæpiſſimè fovet. Ad hanc claſſem & referre licet homines, qui bus in mari ſunt negotia, diuturnis morbis defatigatis attritisque, quiq; in fornicibus, tabulatis, & teſtudinibus & ergaſtulis degunt.

Habitationis ſitus in locis uliginoſis, uvidis, paluſtribus, & frequentes in iiſdem inundationes, Aquarum conditio naturæ minus competens & idonea; victus inſalubris, melancholicus & craſſus, vitaq; ſedentaria & ærumnoſa, plurimas hujus morbi cauſſas tacitè fovet. 14.

In locis Septentrionalis maris litus ſitis ſcorbuti curatio & operioſior eſt, & difficilior, quam in continenti. 15.

95. Quorum in urinis majora putrefactionis ſigna ſunt, quàm ſitis & æſtus foris oſtendunt, morbo lento exiſtente, ac nulli veterum morbo ſignis ac ſymptomatibus reſpondente, tunc certiſſimum hujus morbis initium adeſſe veriſimile eſt. 16.

Morbo huic adulti magis obnoxii ſunt, quam pueri, aut quibus affecta jam ætas aut penè peracta eſt. His annumerantur mulieres, cumprimis ſteriles, & quibus purgamenta menſtrua vel defectu Naturæ aut diuturni mœroris perſeverantia, ſubſtitere, aut quæ inſufficienter à partu ſunt expurgatæ. 17.

Solito ſcorbutus hac tempeſtate eſt frequentior, & pomœria ad peregrinas gentes laxius extendit ſua. 18.

96. Poſt craſſum & melancholicũ victũ aut longinquos mœrores anni conſtitutione frigida & intemperata paralyſes ſcorbuticæ frequenter invaleſcunt. 19.

Interna humorum in ſcorbuto putrefactio ut ſpecifica, ita peculiari curationi ſubjecta eſt. 20.

Moræ

21. Mortæ hujus augmentum indicat diuturna præter ætatem & conſuetudinem ſolitudinis cultura.

22. 97. Vitali cordis facultati ſcorbutus extremè adverſatur, idque à proprietate.

23. De vita & morte non prius judiciū ferendum, quam reliquas corporis facultates diligenter excuſſeris atq; æſtimaveris.

24. Fruſtrà curantur, quorum ingenium ſervandis diætæ præceptis minimè natum eſt. Sic moroſi & in aſſumendis medicamentis difficiles ac tardi reliquias morbi omnes ægerrimè deponunt.

25. 98. Ejusmodi dolorū in hoc morbo notatur varietas, ut ſcripto univerſos comprehendere, res ſit maximæ operæ ac fermè impoſſibilis.

26. Urina ſæpè nullum in hoc morbo ſignificationē exhibet, & certiſſima ejus inveſtigatio ex pulſu parvo & inęquali dependet, cui interdum ſuffragatur doloris de loco in locum mutatio.

27. Facilis & frequens urinarum permutatio, plures affectus deſignat, qui neq; eandem deſiderant curationē, neque æqualem habent ſolutionis terminū, Ideoq, urinæ variæ variorū ſemper humorū confuſionē ac diverſorum malorū ſyndromen deſignāt.

28. 99. Varias ac multiplices affectiones ut alibi, ita in hoc morbo melancholici humoris putredo concitare poteſt: idq; tum propter locorum, in quibus comoratur, diverſitatē, tum ob monſtroſas ejus qualitates ac ſtupendum generationis modum. Hujus cenſus ſunt eroſiones partium, Carbunculi, carcinomota & id genus: ideoque ſignis & ſymptomatibus ſcorbutus peſti maximè eſt affinis, præſertim tumoribus ac bubonibus.

29. Neglecta hujus morbi curatio Febris curationem impedit, cauſſæ ſuſtinens rationem, ſine quâ curari & radicitus evelli Febris nequit.

30. Hodiernæ febres omnem penè curationem methodicam reſpuunt, eò quod rariſſimè per criſin terminari ac ex labefactatis viſceribus novos morbos producere ſoleant. Addo, quod in morbo ejusque cauſſa & per conſequens ejuſdem curatione ut plurimum aberrare, nec ſcorbuti ſigna Medicinæ artifices ſatis animadvertere conſueverint.

31. 100. Lituræ crurum lividæ pernicioſæ ſunt, ſed nigræ cæteris deteriores, efferamq; malignitatē obtinent.

32. Maculæ ſubinde efflorescentes, refluentesq; dubiū Naturæ cum morbo conflictum innuunt. Sin autem κατὰ λόγον penitus obliterantur ac deliteſcunt, dejectæ Naturæ notas præſtant: quo in caſu metus ſubeſt, nec humor refluxu iſto in partem impingat principem, in eaq; veſtigiū ponens, exitium moliatur.

33. In ulcera ſi denegaverint maculæ tunc inducto ſtupore ſenſum partis ſæpe obtundunt, ac penè abolent.

34. 101. Ab aquarum crudarum & indigeſtarum, ceu cauſſæ communis continuo uſu ut plurimum etiam communis morbus ſequitur. Unde humores,

mores, qui ex ejuſmodi nutrimento
producuntur, alieno calore accenſi,
propriam & huic malo peculiarem
putredinem ſubeunt, depravatarum
aquarum Naturam & conditionem
referentē. Ab iiſdem, etiam æſtuante intus calore, utcunque tenues & crudæ apparent urinę, fuligines ſubtiles, craſſa humiditate reſolutâ, ſurſum ad os & linguam ac fauces afficiunt, ut vix multa diligentia ab his præmuniri ac vindicari queant.

35. Febris diuturnior Vires atterendo ægrotum ſæpè interficit, aut in alium ac graviorem morbum præcipitat.

36. Indicationes, quæ hoc in affectu à febre & ejuſdem ſignis deſumuntur, in curatione ſæpè decipere ſolent.

37. 102. Quemadmodum citra contagium ex humoribus internis oritur ſcorbutus: Ita non minus ex contagio, quo aſſiduo commercio & communione menſæ thorique ſpiritus vitiati admittuntur, Luis venereæ inſtar propagatur. Ideoque admirationem vix meretur, plures in familia eadem hoc morbo ſubnervari, alterique, quibus eadem cibi & victus ratio eſt: interdum etiam ſuccumbere & mori, quibus idem circa medicamentorum exhibitionem abuſus eſt, & error.

38. Ut nonnullis ab hoc morbo alvus perparca eſt, & quaſi collapſa, ſicciorque: ita aliis fluxa eſſe, multumq; ferri ſolet: idq; potiſſimum ex impotentia coquendi ea, quę aſſumuntur.

Ex morbis univerſis nulli æquè
ſcorbuto, propter malignam ejus 39.
qualitatem ac vaporum nervos ferientium virulentiam, ac convulſorii aliique his communes, motus ſunt familiares.

103. Vulgare etiam in ſcorbuto
eſt, ut multis ſæpè vomitionibus ac 40.
dejectionibus, lædat: idque hujus morbi indicio potius & pathognomico ſigno, quam Naturæ criſi aut materiæ morbificæ per haſce dejectiones expurgatione.

Scorbuto ſolemne eſt, ut ſi quæ ipſius reliquiæ remanſerint, recidi-
vam ut plurimum exuſcitent, haud 41.
longè diſſimili, quâ in aliis evenire ſolet morbis ratione, quæ vel iiſdem aut aliis ac differentibus ſymptomatibus & ſignis ſemel prodere conſuevit.

Ut longorum morborum: ita &
ſcorbuti confirmati prolixæ ſolent 42.
eſſe curationes, ac difficilior eradicatio.

104. Ob morbi ignorantiam, in-
finiti ſcorbuti thoracis anguſtia ac 43.
deliquio animi pereunt.

Flatus ſæpènumero in utrumque latus, nec non ad anteriorem & po-
ſteriorem partem corporis in hoc 44.
diffunduntur, ventriculi affectionem ubivis mentientes.

Tacitis incrementis aſſurgente ac
moram diutius trahente morbo, 45.
continuus ægrotantiū languor, crurum gravitas, contabeſcentia, aut torpidus artuum ſenſus, vel partium quarundam dolor acutus oritur.

105. Oede-

46. 105. Oedematoſus & flatulentus crurum tumor diuturnior eſt, minusque promptè diſcuti conſuevit: eò quod ratione ſitus ipſa ſanguinē craſſum & gravem excipiunt, quem poſtea ex caloris nativi & facultatum Vitalium diſtantia, ad benignum traducere nequeunt.

47. Cholericum ægrotorum temperamentum ubi fuerit, incertum judicium à faciei colore deſumtum eſſe ſolet, niſi quod cinereus iis & inſuetus pallor oriatur.

48. Senibus ſcorbutus multo graviſſimus eſt.

49. 106. Per anomaliam Veris & Autumni morbus hic inſigniter promovetur, cumprimis vero autumnali tempore, quod mutuo caloris & frigoris imperio admodùm inceſſanter & turbidè regitur, melancholicique humoris dominatu tenetur.

50. Ubi malè morata viſcera cacochymia ac pravorū humorum pleonexia ſaturantur, vel Epar minus firmitatis adeptum fuerit, res ægrotantium ad ruinam plurimum vergunt.

51. Urinæ ac pulſus ad ſcorbutum detegendum inſignem obtinent prærogativam.

52. 107. Urinæ ſcorbuticorum variæ ſunt pro temperamentorum diverſitate ac varia humorum putreſcentium morbique natura.

53. Putrefactionis notis, quas urina demonſtrat, potus quantitas ac deſiderium raro reſpondet.

54. Idcirco plus momenti pulſuum accurata inveſtigatio ſibi vendicat, quod reliquorum ſymptomatum ob varias ſubjectorum conſtitutiones facilis eſt permutatio.

55. Pertinacior eſſe in quibusdam locis conſuevit ſcorbutus, ac difficilioris medelæ.

56. Humor melancholicus ſui natura nervos potius contrahit, quam reſolvit.

57. Qualis Aer, Aqua & Sors vitæ: tales in corpore generantur ſpiritus ac humores, quibus habitus ſolidarum ferè partium reſpondet.

58. 109. Scorbutus fallaci ſua ſpecie, qua alios mentitur morbos, Medicis multis modis imponit.

59. Pueris & infantibus, quià parentibus hoc morbo inquinatis generantur, vel à nutrice eodem malo infecta alimentum capeſſunt; contractiones & Epilepſiæ ſunt familiares.

60. Multis poſt obitum variæ maculę nigricantes ac purpureæ, toto corpore erumpentes, affectum hunc patefaciunt.

61. 110. Quartanæ magna ex parte ſcorbutum præcedunt, aut in ejuſdem declinatione apparent. Nonnunquam & ſcorbutus è veſtigio quartanam ſequitur, morbi idea in illum q. commigrante. Idipſum etiam intelligendum de ardentibus, malignis, Epidemiis ac duplicibus tertianis, in quibus perfecta criſis nō contingit: unde atrophiam novosq; calefactatis viſceribus & multa ſanguinis corruptione morbos, priori-

bus non raro deteriores, oboriri contingit.

62. Quibus cum aut natus eſt Scorbutus morbus, aut nutricatu vitioſo acquiſitus aut in tenera ætate quacunque ex cauſſa contractus, vel quibus radix ejuſdem ita pertinaciter funditusque inhæſit, ut fœcunditate ſua quotannis redeat: utique verendum eſt, niſi quis eandem penitus exciderit, ne revertatur illo deterior.

63. Scorbutus hic comunem curandi normam reſpuit, niſi ſpecificis & ad ſcorbutum facientibus medicamentis ſimul expugnetur.

64. III. A cathartico & vehementiori mota & conturbata cruda & nondū concocta materia majores concitantur anguſtiæ, adeo ut nō raro ad priora mala delirium accedere ſoleat.

65. Caro gingivarum inutilis atque ſupra modum luxurians copioſam in foco materiam ſubeſſe deſignat, quæ partim ob imbecillitatem, ex parte etiam receptus ob opportunitatem eò demittitur.

66. Carnem Gingivarū gangrænoſam niſi maturè removeris, latiùs ſubindè ſerpendo finitimam ſinceramque carnem contagione inficit, & ad oſſa uſque depaſcit.

67. II2. Coarctatio genarum illos potiſſimum infeſtat, quibus ſcorbutus aut hæreditarius vel à pueritia familiaris, aut quotannis redux eſt.

68. A ſcorbuto ſæpè cachexia melancholica aut melancholia hypochondriaca progerminat: quando feculentus humor remigratione ad Epar ſanguineæ maſſæ confunditur, neq; ſufficienter purgatur vel ἀναθυμίασις illa exiliens arcem mentis petit, tenebrasq; ſpiritui animali offundit.

Qui catharticis fortioribus ac crebrioribus in hydrope ſcorbutico utuntur, ſuffocati plerunq; pereunt. 69.

113. Arthritis notha in primo morbi inſultu electivè ducentibus medicamentis ubi graviter exercetur, tantum abeſt, ut dolores mitigentur, ut etiam gravius exaſperentur & nō rarò in paralyſin, atrophiam, aliumque affectum tranſeant. 70.

Epilepſia ſcorbutica aliquando præter rationem ſubitò in Cataphoram, paralyſin vel abſceſſum tranſit ſæpius ſpontè evaneſcentem: idque pro varia vaporum exhalantium deductione, eorundemq; in cerebrum impulſu. 71.

Febres tertianæ ſub vernum tempus incipientes & poſt ſeptimam exacerbationem quotidiè infeſtantes, maxima ex parte ſunt diuturnæ & in caſtris ſcorbuticis ſtipendia merentur. Cognoſcitur idipſum ex pulſu parvo & inæquali nec non urinâ craſſa, cum ſubſidentiis groſſis, ſubinde evariante. 72.

Diverſa eſt putrefactionis ratio in ſcorbuto â Gallici morbi ac peſtis putredine, ſpecie ac forma. 73.

Sæpius tibiæ & corporea earundē habitudo genio defraudatæ ſuo liquantur & contabeſcunt. 74.

Scorbutus mora diuturniore Vires 75.
ener-

enervando ægrotum ſæpè interficit, aut in alium affectum præcipitat.

76. 115. Febres in Scorbuto non dierũ acceſſione, ſed ſignorum proprietate ſunt æſtimandæ ac dijudicandæ.

77. Paralyſis tam macilentis quam obeſis in hoc morbo familiaris eſt, qui duriorem ob vitam mœſtitiæ terminum ac modum ſtatuere nequeunt. Eſt enim conjuncta cum humoris melancholici putredine ac lentâ febre.

78. Scorbuti materia ubi pulmones eorundemq; cannas obſtruxerit, aut in iiſdem putruerit, difficultatem ſpirandi aut phthiſin inducit.

79. 116. Funeſtũ eſt argumentum ubi oris & faucium pruritum livor obſederit.

80. In quibus Natura fortior morbi vehementiam evincit, hi perſeverante morbi radice nunquam ſatis confirmati perpetuo languore contabeſcunt, mirisq; variorum ſymptomatum inſultibus ſunt expoſiti, donec in hydropem, Atrophiam, dyſenteriam aut aliud exitiale quidam malum conjiciantur.

81. Diuturnæ Ventris & inteſtinorũ lancinationes ac circa Ventriculum labores continentes, præſens arguunt diſcrimen, corpusq; paulatim extenuant, & conſumunt. Quin ex ipſorum atrocia quidam peritonæi rupturam incidiſſe viſi ſunt. Nonnulli febrem etiam ſociam experiri conſueverunt.

82. 117. Febres continuæ ſcorbutum redolentes in principio fortium & calidorum uſu exaſperantur, ac plurimos ſubito deliquio aut ſuffocatione enecant.

Ad lumbos & ilia humoris vitioſi inclinatio ubi facta fuerit, diuturnus, perſeverans unique defixus loco concitatur dolor. 83.

Pueris, niſi ætatis privilegio, roboreque Naturæ labes hæc repellatur, calamitatē affert hic inemendabilē. 84.

Motus convulſivi quandoq; viſi ſunt in utriusque lateris exulcerationem ac perforationem tranſire, quæ ſponte aliquando coaleſcit & clauditur, nonnunquam erumpit abſque puris & ſaniei effluxu digna collectione. 85.

Si quando ſopitis ſymptomatibus, ac devicto quadamtenus morbo præter faſtidium medicamenta intermittantur, ſtatim eadem vehementia morbus inſurgere ſolet, quâ prius atque cum ſimilibus & æquè infeſtus accidentibus. 86.

Flatibus & vaporibus quamplurimis ſcatet materia ſcorbutica. 87.

119. Prolixior fieri curatio ſolet cũ propter diuturnitatē, tum inſignem ægroti extenuationē, quę à lento calore & fumis ab hoc putredinis fomite ad cor properātib⁹, defluit, deniq; & propter conceptum in mulieribus. 88.

Frequentiſſimè ſcorbut⁹ aliis morbis aſſociatur, virusque ſuum exerit: idque vel in principio, vel incremento aut declinatione. Ideoque citra exactam ipſius notitiam aliorum morborũ curatio ſępè infeliciter peragitur. 89.

agitur, & alienum à medentis ſententia ſcopum aſſequitur. Quin & competens ſcorbuto conjunctis morbis magna ex parte repugnat.

90. Anxietates præcordia nimio opere infeſtantes præſens ſuffocationis periculum minantur.

91. 120. Redundantis circa primas vias humoris crudi & craſſi maxima ſæpe copia in ſcorbuto citra emolumentum ejicitur.

92. Anguſtias & reſpirationis difficultatem, ſi morbo ejusque cauſſæ reluctentur vires, hydrops plerunq; ſequitur, niſi tempeſtivâ curatione occurratur.

93. Ab anguſtiis & animi deliquio huic morbo aſſuetis non pauci, præter opinionem ſubitò pereunt & ſuffocantur, cum primis verò mulieres, quę menſium ſimul reſtagnationem patiuntur.

94. 121. Luis venereæ curationem ſcorbutus frequenter excipit.

95. Aſſiduis purgationibus plurimi in ſcorbuto ad perfectam membrorum ſunt devoluti impotentiam: Et à catharticis ſemper irritantur, rariſſimè mitigantur ſcorbuticorum ſymptomata.

96. Epar diuturniore hujusmodi morâ impenſiſſimè vitiatur & ab eodem præter modum afflicto alimentum poſtea corrumpitur, indeque collectæ ſuperfluitates aliis in abdomen effunduntur, hydropico tumore illud attollentes, aliis in ventriculum derivantur vomitu ac dejectione exturbandæ.

122. Adſtringentium uſus in fluxibus alvi à ſcorbuto dependentibus poſt longam tandem curationem ægrotos in hydropem, ſuffocationē ſubitam, aut Atrophiam conjicit. Sic vomentes in ſcorbuto à lacte & lacticiniis ſæpè melius habent, quam ab aliis roborantibus. 97.

Pleriſque ex hoc malo morientibus diliteſcunt maculæ & aliis à morte effloreſcunt celerrime. 98.

Viſcera, quæ in tibiis oriuntur, cicatricem difficulter admittunt, & fœtida, maligna, ſordida & gangrænoſa fiunt, ut immiſſum ferrū haud quaquam ſentiant. 99.

Motus Convulſorii, contractiones, & ſimiles affectus, propriâ capitis affectione & per ἰδιοπάθειαν ferè nunquam prodeunt, ſed â vaporibus, qui ex latentibus putreſcentibus intusque humoribus reſolvuntur, atque ad cerebrum rapiuntur originem trahunt. 100.

DE THERAPIA.

123. Cognitâ jam perſpectaque morbi indole ac moribus ipſius ritè exploratis, ſive in univerſo corpore hæſerit, aut in republica partium unam ſolummodo, pluresve à ſymmetrias confiniis abduxerit, ad therapiam ſtudia viresque ſunt convertendæ. Duplici hæc ingenio perficitur, quorum unum ceu præſtantius ac ſummę neceſſitatis, ſanitatem prēſentem tuetur: aliud eandem afflictam revocat. *Curatio.*

De

De Præſervatione.

Præſervatio.

124. In ſanitatis tutelâ ac providentia Medici ſcopus eſt primarius, ut cauſſæ eandem foventes accuratè penſitentur. Actiones autem hę non per contrarii victoriam, ſed per ſimilis perfectionem expediunt ſuas. Suntque res non naturales ad ſanitatem fovendam, tuendamque tunc optimè comparatæ, quando naturalibus, ex quibus conſtamus, nequicquam diſſentiunt, temperamentum innatum conſervando, ſimplicium partium ſubſtantiam retinendo humoribus idoneum pabulum ſubminiſtrando, & incipientes in corpore lapſus prohibendo corrigendoque.

Res non naturales qua ratione ad ſanitatem tuendam cōducant.

125. Senario hæ comprehenduntur numero, & quædam ex iis Facultati vitali, ceu aer, & affectus animi, inſerviunt: aliæ animali ſuccurrunt, utpote motus & vigiliæ: reliquæ vero binæ, veluti cibus & retentio cum excretione Naturali famulantur. Singulæ autem uno è tribus hiſce fontibus conſiderandę veniunt & in uſum mortalium ſunt adhibendæ. Primò, dum temperamento noſtro affines ſunt, ac ſimiles modo ſubſtantiæ, nobis accedunt, Naturam in omnibus tuendo, fovendo, conſervando, atq; ab incommodis præmuniendo. Secundò, dum modico intervallo à temperamento noſtro recedunt, quo in caſu lapſum corporum præcavent, & quò minus in ſimiles morbos prolabantur, eædem præſervant. Tertiò, quando laborantibus intemperie, copiâ modo & conditionibus adhibentur, ut vel morbo fiant contrariæ, vel Naturæ noſtræ familiares ac ſimillimæ, vel utrumq; expediant.

Res non naturales tripliciter conſiderantur & in uſum trahuntur.

126. Quibus ſanè in caſibus non tam in præſervatione, quam Curatione locum merentur ſuum, biniſque ut plurimum nituntur intentionibus, quarum una vires & robur ſubjecti vel ægrotantis reſpicit, alia ad morbi κατάστασιν dirigenda eſt.

Rerum nō naturaliū legitimus in ſcorbuto evertendo uſus.

127. Qui igitur ad morbum hunc concipiendum fovendumque Naturæ quadam proprietate ducuntur, Victus ratione, ſcorbuti cauſis contraria, quæque ante omnia extenuandi, incidendi ac detergendi facultate pollet, ſunt præmuniendi. Aer, qui ob continuam minimeque ceſſantem in corpus actionem vel ſolus mortalibus plurium morborum eſſe cauſſa, ut & ſuo modo autor vitæ eſſe poteſt, calidus eligatur, & ſiccus, puritate ſubſtantiæ nutriens, ſpiritus reparans, & exhilarans, nitidus, tenuis, patens ac liber, nullis inquinamentis obſitus, nulla putredine corruptus, nullo vapore vitiato, uligine, craſſitie aut corruptela perfuſus, quique levibus & ſuaviter ſpirantibus ventis difflatus modice agitatur ſerenitate lucisque candore redundans: haudquaquam autem ſtagnantium aquarum vel paludum habitu, ſpecuum & cloacarum peſtilenti aurâ, vel olerum aut leguminum, putridi fimi, vel animalium demortuo-

Aer qualis ad Scorbutum præſervationem eligendus.

rum fœtore infectus; & qui vel depreſſus humo ſerpit & torpet, aut pluviis ac ventis undique expoſitus eſt. Sin vero eodem puro ac ſalubri frui minimè conceditur, aëre corrigendus eſt, accenſis lauri, juniperi, Rosmarini, lentiſci, ſaſſafras, ligni Rhodii, idq; genus ramis, aut ſuffitibus idoneis ex Asa dulci, ſtyrace calamitâ, Galliâ moſchata, baccis juniperi, maſtiche, Tacamahaca ſandaraca, ſuccino; trochiſcis ex moſcho adoriferis, aliisve aromatibus accenſis.

Depravati emendatio.

Ciborum delectus.

124. Cibos in ſubſtantiæ & qualitatum nec non copiæ modo mediocres eſſe convenit, concoctu faciles, boni ſucci, alendo corpori idoneos, incidentes, humoresq; craſſos & frigidos attenuantes & abſtergentes, inque gratiam viſcerũ coctioni ancillantium leviter adſtringentes, putredinem huic morbo propriam arcentes, calorem nativum foventes & inſtaurantes, ſanguinemq; crudum & craſſum attenuantes, nunquam non admixtis iis, quæ morbum hunc à proprietate reſpiciunt: Ceu ſunt

Jusculæ.

Ex juſculis caponum, pullorum gallinarum, carnium juvencorum, vervecum, è vino tenui, eoque vel ſimplici aut ſcolopendrite, & in quo cochleariæ recentis folia aliquandiu maduerint: Cremor ptiſanæ & Avenæ, quibus, pro flaccidi corporis exigentia nonnunquam ad robur viſcerum tuendum, appetitum deperditum, reparandum, humores ſupervacaneos reprimendos, & fervorem eorundem obtundendum, febrilemque putredinem coercendam, paſſulæ, ſemina carui, comæ Anethi, Hyſſopi, Thymi, Saturejæ, thymi, ſalviæ, Rosmarini; Aquæ ſtillatitiæ, vel ſucci cochleariæ veræ, limones, poma citria, Baccæ ribes, Berberis, & uvæ criſpinæ ſunt addenda.

Carnes animalium ac piſces laudabiles.

129. Ex carnium cenſu commoditatis eximiæ ſunt agnorum, hœdorumque lactentium, hinnulorũ, vitulorum menſtruę, juvencorum vervecum, gallinarum ac pullorũ Gallinaceorum, pipionum, Gallinarum aviũ ſylveſtrium ac montanarum, Galleritarum, curdorum &c. Inter quas illę, quæ à recens nixis ſuppeditantur animalibus, aſſationi magis idoneę nunquam non malorũ aurantiorũ aſperſo, immulſoque ſucco. Qui petroſas aquas & ſaxa colunt, velocis ſunt motus, frequentius ſe contorquent, ſquammati ac pondere leves ſunt, atque in aquis minimè turbidis aut lacuſtribus degunt inter piſces commendantur: eo quod alimentũ iſtorum non concoctu modo facillimum eſt, ſed & ſanguinem mediocris conſiſtentiæ generat.

Aromata.

130. His nonnunquam de aromatibus quibuſdam gratia eſt comparanda, ceu Caſſia, Zinzibere, Cinamomo, Mace, Nuce myriſtica, Granis Juniperi, ſem. Carui, aniſi, fœniculi, paſſulis, Capparibus & hujus farinæ aliis, quæ Ventriculi, aliorumque viſcerum flacciditati corrigendæ idonea ſunt. Quibus tamen majori ex

parte

parte adjungere licet, Embammata ſeu intinctus ex Naſturtio communi & Aquatico, cochlearia vera, frago, acetoſa rutundi folia, Acetoſellâ, Trifolio acetoſo, Britañica Vino malorum punicorum, ſuccis pomorum acido dulcium, pirorum moſchum redolentium, Cydoniorum, Ceraſorum & granorum Ribes inſpiſſatis: quorum moleſtus acor vino ac ſacchari pauxillo mitigari poteſt. His in robuſtis ſubſtituere licet bellariũ ex Raphano ruſticano, cum vel ſine amygdalis. Saccharo autem nimio ac melle dulcoratorum eoq; promptè admodum bileſcunt in febribus præcordiorum æſtus concitant, atque ad ſucci melancholici fermentationem faciant uſus modis omnibꝰ cavendꝰ.

131. Probatur & hordeum depilatum in juſculo aut Aquâ coctum: polenta Avenaceâ ac hordaceâ: paſſulæ Corinthiacæ in brodio idoneo vel aquâ & vino elixæ ac per ſetaceum tranſmiſſæ: Amygdolatio colatura furfurum triticeorum parata, quibus nonnihil ſem. melonum excorticarũ eſt addendum: farina frumenti lacte caprillo excocta & crocotincta, addito ſacchari & butyro modico: pulmentarium ex amygdalis dulcibus ac paſſulis minoribus: *Ovorum uſus.* Ova recentia tremula, ſorbilia aqua vel lacte aut vino præparata: quæ tamen nulli alteri ciborum citra damnum admiſceri poſſunt, tum quod infarctibus occaſionem præſtant, tum vero maximè, quod celerius concocta reliquos cibos vel ſecum deferant, calculi materiam certiſſimam ſubſternant, aut ob ſubſtantiæ tenuitatem celeriter corrumpantur. Qua etiam de cauſſa haud impunè ab iis uſurpari poſſunt, qui Jecur aut ventriculũ pravis refertum poſſident ſuccis, eò quod vel in ardorem convertantur aut vitioſorum humorum naturam aſſumant. Ideoq; plurimus ovorum uſus podagricis calculoſis, & comitiali morbo obnoxiis pernicioſus cenſetur. Sic ad ſanitatis tutelam herbæ, olera, & radices exceptis floribus cordialibus, ſcariolâ Acetoſâ & Endivia hortenſi, nullius aut exigui ſunt momenti, neque ad morbos excindendos vel ſaltem mitigandos, accommodatæ. *Bellaria.* Inter Bellaria vero expetuntur, Amygdalæ dulces, piſtacia, pineæ, paſſulæ majores ac minores, pruna damaſcena, Amarena, Ungarica, Carduus eſculentus, poma arantia, Apiana, odora, acidodulcia.

Potus. 132. In potus Electione ad vigilandum, ut unà cum diætematibus, attenuantem, incidentem, ac detergentem poſſideant qualitatem, quo & concoctio juvari & crudiorũ humorum proventus inhiberi queat. *Vinum.* Hujus cenſus ſunt vinum Rhenanum odoratum, ſimplex vel Abſinthites, chamædrites, Bugloſſatum, veronicatum pro conſuetudine utentium, nunc meracum uſurpatum aut aqua fontana, vel chalybeata dilutum.

Acidulæ. 233. Quibus ſubjungendæ ſunt acidulæ ſubaceſcentis Vini ſaporẽ referẽtes, quæ ob ferri mineras Viſceribꝰ

& cum Lieni, amicæ ſunt; moderato calore humorum craſſitiem attenuant, eorundemque acrimoniam in- *Cereviſia.* fringunt: nec non Cereviſia probè defecata, Abſinthites præ cæteris, & in quâ Becabunga & cochlearia vera, vel alia quædam, diuretica ſunt, incocta, juſtæ ætatis, non rancida, nec acida. In quibus tamen obſtructiones pertinaciter vigent & facilè Febris moleſta eſt, hos à vino, ac fortiori Cereviſia nunquam non arcendos eſſe ratio ſuadet.

Vinum ſaſſafratum. 134. Plurimum etiam ad hujus mali præcautionem & putredinem in maſſa ſanguineâ penitus excindendam, ſubminiſtrat emolumenti vinum ſaſſafratum, in paſtu quotidiè uſurpatum.

℞. *Ligni ſaſſafras odoratiſſimi minutim conciſi aut raſi* Unc. j. ß.
rhodij odorati Drachm. vj.
Rad. ſarſæ parillæ, chinæ non carioſæ an. Unc. ij.
Garyophyllatæ,
Scorzoneræ,
Glycyrrizæ an. Unc. j.
paſſular. Corinthiacarum contuſarum ℔. ß.
fol. ſcolopendriæ Cochleariæ an. M. ij.
Cinamom. opt. Drach v. *Obiter comminuta vini recentis boni amphora dimidiæ infundantur, & ad ebullitionem perfectam in cellario reponantur.*

Pro vino quoque diluendo hoc concinnari poteſt deſtillatum:

Deſtillatũ pro vino diluendo.

℞. *Fol. cochleariæ recentium* M. an. vj.
Becabungæ M. an. x.
Naſturt. aquat. aut hyemalis
Scolopendriæ
Nummulariæ
abſinthii pont. an. M. ij.
paſſularum ℔. dimid.
Rad. ſcorzoneræ,
ſarſæ parillæ an. Unc. iij.
Vaſe idoneo excepta cum aqua pluviæ libris xx. deſtillentur igne, ac ſerventur.

135. In emaciatis, & qui lacti ſunt adſueti, uſumque ejus innoxium ante cognoverunt, Lac caprinum, & in ejus penuria, Vaccinum, ob nutritionis præſtantiam ac facilitatem magnificè commendatur, cui magnâ ex parte Cochlear. recentis germina, Becabungæ, naſturtium hyemale & hujus claſſis alia, incoqui poſſunt. *Lac caprinum ſcorbuticis utiliſſimum.* Quo etiam in caſu ſerum ejuſdem haud quaquam repudiandũ, quando extergendi meatus intenſius requirunt additis iis, quę ſcorbuto ſpecifica ſua dote reſiſtunt. *Serũ lactis.*

136. Ciborum ſimplicitas Varietate ubi præferenda eſt, cumprimis ubi diverſis edulia prædita ſunt ſubſtantiis, ac τὸ ποικίλον τῆς διαίτης in luxuriæ noſtræ ſupplicium cedere videatur: & in aquæ puræ defectu pro cibis elixandis pluvialis uſurpandæ. *Alimentorum ſimplicitas varietate præſtantior eſt.*

137. Somno ad caloris nativi in viſceribus reparationem, coctionis ſubſidium, laſſitudinis in membris ſedationem, humorum malitiæ ac cruditatum in Univerſo moderationem, ac integritatis denique in ſenſibus tutelam, ad mediocritatem eſt indulgendum. *Somni conditio qualis.*

Vigiliæ

Vigiliæ cur vitandæ.

Vigiliæ autem excedentes, quibus carnes colliquantur, ſpirituum atque humorum benignorum portio diſſipatur, corpus ad tabem, ſiccitatem irreparabilem, melancholiam ac maniam deducitur, cruditatibusque repletur, ſenium acceleratur, totumque ſyſtema ex humorum imperfecta concoctione & acrimoniâ morbis obnoxium redditur, penitus fugiendæ. Meridianus autem illis ſaltem, qui ob dolores urgentes, Ventriculi imbellitatem & æſtû, nocturnas vigilias, animi pathemata, & curarum mordacitatem inſomnes tranſigunt noctes vel melancholicis exercentur cogitationibus ac nimis calido præditi ſunt jecore, eſt concedendus, modo levis is ſit, in loco temperato & corpore parum declinato.

Exercitiorum in corporibus utilitas.

138. Cumque iners otium, vitaque deſidioſa, affectum hunc præ cæteris foveant: idcirco exercitiis & laboribus, quibus concoctiones juvantur, concitatiores redduntur Spiritus, idoneum calor innatus acquirit fomentum ac ſolidæ partes humiditate grata perfuſæ roborantur, pro virium modulo vacandum: nunquam non febris & impuritatis in viſceribus habita ratione, idque ne vel immoderatius incendium concitetur, aut quod in corpore adhuc deliteſcit morboſum, in nervum erumpat.

139. Uberrima quin etiam ex cruditatibus aut redundantia humorum vitioſorum non rarò colligitur ſeges, quâ non benigni tantum conſpurcantur ſucci, vaſaque replentur, ſed & prohibita exſudatione ac difflatione debita plurimi concitantur ac foventur morbi viſcerumque coctio planè evertitur. Omnes itaque ad hanc rem conferantur vires, ut quævis abundantia tollatur, inſtituta victûs ratione tali, quæ quod corpori conferre poſſit, ſubminiſtret, aut quod excedit Victus parſimonia vel graviori exercitio conteratur: Vel ſi hac lege id minimè fieri poſſe conſultum fuerit, per vomitum aut leves evacuationes educatur. Quem in uſum Balnea aquæ dulcis nō ſunt repudienda, eò quod intercutanea ſpiracula, pro humorum reliquiis calefaciendis, fluxisq; diffundendis, & eliquandis meatibus reſerandis potenter aperiunt.

Aqua dulcis balnea.

Aphrodiſia quandoq; innoxia tractentur

140. Cumque non niſi peractâ concoctione corpus ab excrementorum molle commodè vindicari queat: Ideo veneris exercitiis hic ſtatuendus erit terminus, ut in Aurora charitatis opibus amicâ, & corpore ab excrementis cruditatibusq; immuni ac libera peragatur: Iſtis autem qui Venere nimis reſolvuntur ex decreto Pauli, à Cœna tutior eſt concubitus, ut poſtea ſomno ac ſuavi alimentorum vapore liberalius reficiatur. In uſu tamen ſubſidiorum tàm exolventium, quàm ſudoriferorum, ob reſolutionem ſpirituum nimiam, & lipothymiæ ſuccedentis metum, flammis thori ſocialibus haud quaque utendum.

141. Animi denique perturbationes moderationis freno ſunt, coercendæ, ne vires corporis impenſius diſſolvantur, calor & ſpiritus obtundantur, viſcerum εὐτονία intercidat, aut corpus atrophia contabeſcat.

DE CURATIONE.

Intentiones curandi generales quinque. Tam obſtructiones quam intemperies in ſcorbuto duplicem curandi deſiderant intentionē.

142. Quæ medicamentorum ſubſidio abſentem ſanitatem revocat, morbumque profligat CURATIO quinque intentionibus generalibus potiſſimum abſolvitur. 1. Evacuatione. 2. Apertione. 3. Alteratione. 4. Confortatione. 5. ſymptomatum remotione. Cum enim obſtructio, à qua morbus hic dependet, ſui ablationem indicet, & quæ huic negotio accommoda ſunt, ex claſſe calidorū, attenuantium, ac detergentium, neceſſariò depromantur atque corpore pravis humoribus adhuc diffluente minus exhiberi tutò queant. Utique humorum iſtorum pleonexia, à qua Febris, infarctus, tumor, & Intemperies foventur, primo omnium adimenda erit. Hæc autem, quia morbus eſt partim confirmatus, ex parte etiam ad ſui perfectionem jam properans, ceu factus indicationem obtinet ex parte curativam, quæ evacuatione perficitur: reſpectu vero materiæ, quæ adhuc eſt in fieri, præſervatoriam, qua humoris iſtius generatio, aut ſi inibi fuerit genitus, retentio prohibetur.

143. Generationis remora ejuſmodi peragitur Ingeniis, quæ intemperiem jecoris & lienis emendant, cauſasq; procatarcticas ad humoris melancholici augmentum conferentes, demoliuntur. Retentionis vero periculum meatuū reſera ione & Lienis confortatione dimovetur. Duplicem itaque retentionis impedimentum præſtat uſum: Unum quidem multitudinis præcautionem, alterum infarctus remotionem. Idipſum etiam de intemperie ſtatuendum, in qua id, quod factum eſt, ſui ablationem per contraria innuit: quod autem jam fit, remotione cauſſæ propriæ, quæ humoris eſt multitudo, è medio tollitur.

144. Non rato tamen ſæpè contingit, ut morbus ex morbo proficiſcatur, & morbus ejuſdem cauſſa fiat: & eadem rurſus nunc cauſſæ, quandoque morbi, modo ſymptomatis vicem ſuſtinent. Quo in caſu pro varietatis iſtius ratione, curationis etiam intentiones mutare convenit.

Prima Curationis Intentio.

145. Evacuatio cauſæ ſeu humoris peccantis, quem pleriq; melancholicum eſſe ſtatuunt, in venis Meſaraicis circa lienem, vel in eodem coacervati remotioni & eductioni incumbit. Idque tam Venæ ſectione, quam purgatione, ac ſudoris provocatione. *Sanguis miſſio quādo admittenda.*

Sanguis in ſcorbuto non ſolū modò qualitate: ſed & quantitate peccans, leniente ſubſidio præmiſſo, ſtatim in principio ac morbo nondum planè

planè confirmato, Venæ ſectione, aut Cucurbitulis, adimendus eſt: idq; præ cæteris, ubi ætas, Naturæ Virtus, Vitæ conditio præcedens, Venæ turgentes, Anni tempus, corporis habitus & Color, id minimè diſſuadere videntur.

Quantitas mittendi ſanguinis unde definiatur.

146. Quantitas mittendi ſanguinis ex virium robore & vitioſorũ humorum in venis abundantia, definitur: Ita tamen, ut cacochymiâ invaleſcente ſemper intra cancellos conſiſtatur, quam extrâ eoſdem feratur: Qualitas remedii ab humoris qualitate eſt petenda: Ea propter cum ſanguis limoſior eſt, & craſſior, largiori plagâ adimandus eſt.

Variæ Medicorum de venæ ſectione opiniones.

147. De loco autem haud irrita inter Medicos jam viget controverſia. Quidam enim τὸ ἀνάπαλιν Hippocratis imitantur, ut è regionis partis affectæ venam aperiunt, urgente præſertim plethorâ, & præcedente victu liberaliori. Alii ob fomitem mali in Liene, internam cubiti ſiniſtri, aut quæ intra annularem aut auricularem digitos ſiniſtræ manus eſt ſita, tundunt, maximè ubi ſputum cruentum acceſſerit. Græci ſemper in cubito plebotomiam ſuadent. Recentiores vero propter communionem venarum cum hepate & vena cava, ex qua etiam in lienem propagantur rami, in dextro brachio ſanguinem tantummodo dimittunt.

Cucurbitulæ nec nõ hæmorrhoidum &

148 Quia tamen Medici auxilium vix imploratur, niſi morbo altius jam radices in corpore jam exercẽte, variis lituris morbus ſemetipſũ prodat: Idcirco à ſanguinis miſſione deſiſtendum, & ad ipſius Vicarias cucurbitulas, naribus, cruribus ac ſuris affixas, confugiendum: eò quod & ipſæ ſanguinem craſſiorem ex locis diſtantioribus affatim prolicere putant. Quibus hæmorrhoidum, & in mulieribus, ſiniſtrè purgatis menſiũ provocatio: aut Venæ tali ſectio, utiliter quandoq; ſubjungitur.

menſium provocatio quando locum merentur.

Inuſu lenientium quæ phlebotomiæ præmittuntur. Cautela.

146. Qualia autem venæ ſectioni permittenda ſint lenientia, nemini non obvium eſt, In quibus tamen hæc Cautio adhibenda erit, ut quæ removendæ alvi latrinæ gratia in præſentia & poſt venam ſectam præſcribuntur. Enemata aut Apozemata, in ſero caprino, aut jure Alectorio vel ſimili elixentur.

Evacuatio duplici ingenio perficitur.

150. Quo peracto humoris morbũ committentis, aut circa nutritionis organa redundantis inſtituenda eſt evacuatio. Duobus hæc perficitur ingeniis: 1. ſufficiente & idonea humorum præparatione ac digeſtione: 2. Clementi nec moleſta evacuatione.

Canones in humorum eductione notandæ.

151. Utrumq; negotium ritè ut expediatur primo loco ſequentes pro humorum eductione ritè peragendâ ſolerter expendiſſe canones operæ fuerit pretium.

Alvus levi cathartico primas Venas non tranſeunte, neq; continentem & aſſiduam, multò minus tollerabilis limites egredientem, procurante inanitionẽ, & concoctos præparatosque

ſemper eſt dirigenda, nunquam non-additis iis, quæ peculiarem adverſus hunc morbum facultatem obtinent. Ideoque cum febribus & obſtructiones ſatis pertinaces ſubindè concurrant, iis, quæ ad hunc morbum experientia monſtravit admiſcenda ſunt febrem mitigantia, ceu Cuſcuta, Ceterach, Carduus bened. Abſinthium Rom. Fumaria, Betonica, & his affinia. Hoc facto eventus ubi minimè reſponderit (ceu fieri conſuevit in iis, qui cum reſpiratione difficili ac frequentibus anguſtiis, urinas craſſas & rubras abſq; manifeſta ſiti cum craſſo, rubro, ac furfuraceo ſedimento reddunt) hic certo conſilio aliquid de ſpeciebus Pliriſarcontici vel ſimili quodam addendum. Sin autem cum ejusmodi urinis ſitis urgens ac calor vehemens afflixerit, prædictis admiſcenda ſunt, quæ leniter incidendo attenuandoque febrim mitigant, ac ſitim reſtingvunt: habitâ prius aeris, in quo vivitur, & diætæ ratione.

160. In febribus ardentibus, ſitiq;
13. intenſa, obſtructiones expedientibus atque à proprietate agentibus, ſubjungatur. Acetoſa ejusq; ſuccus. Sin verò pituitoſi humoris urget pleonexia, addantur Rad. Enulæ campanæ, aut ſummitates hyſſopi.

Cochlearia nunquam non con-
14. ventior eſt Becabungâ & Acetoſâ, ubi abſque multa ſiti cum urinis copioſis ac rubris vel craſſis & ſubfuſcis febris invaluerit, & quidem in corpore craſſo ac melancholico ſucco diffluente.

Succus Becabungæ & Acetoſæ 15.
utilior ſemper eſt decocto.

161. Epati & Cordi convenientia 16.
Epithemata indidem ſunt adhibenda, ac ſpina dorſi pro febris mitigatione unguento refrigerante fovenda.

Viſceribus tumidis & obſtructis 17.
præter interna forinſecus adhibeantur, quæ emolliunt, ac diſcutiendi facultate corroborant: additis per intervalla iis, quæ leniter expurgant.

Fortioribus attenuantibus & inci-
dentibus annumerantur, decoctum 18.
chelidonii minoris, & Raphani ſuccus, reliquis debitâ proportione admiſtis.

162. Ab impenſius calefacientibus 19.
& attenuantibus tamdiu abſtinendum, donec febris ablata aut ſaltem mitigata fuerit, & à mitioribus ad calidiora ſemper tranſeundum.

In ſymptomatum frigidorum cu-
ratione attenuantia & incidentia re- 20.
media, ſcorbutum ſimul reſpicientia, ob cauſam morbi craſſam ac fridam, numero, gradu, & dignitate ea, quæ calorem contemperant, ſuperare debent.

Aer, in quo vivendum eſt ægroto, 21.
ubi nimis eſt ſubtilis, ac ſimilis victus ratio colitur, tunc minus incidentibꝰ & attenuantibus ſubſidiis curatio eſt pertexenda: quæ tamen in aere craſſo, udo & humido intendenda eſſe, rationi conſentaneum eſt.

163. Plu-

22. 163. Plurimi citra purgantium adminicula convaluere, qui medicamentis incidendi & attenuandi facultate præditis admiſcuere, quæ peculiari dote ſcorbuto adverſantur.

23. In morbi initio pauciſſimis ac ſimpliciſſimis remediis curatio multoties abſolvitur.

24. Empiricorum ſubſidia in hujus morbi curatione maximè ſunt inimica.

25. Aperientium doſi ſucci cochleariæ Drach. ij. aut amplius continuo ſunt admiſcenda.

26. Nimis refrigerantia ob cauſam morbi frigidam in hoc affectu evitare neceſſe eſt.

Hauſtulus 164. Ex cenſu purgantium eſt potio ſequens, quæ

℞. *Rhabarbar. opt.* Scrup. ij.
ſquinanthi Scrup. ß.
Agarici novi trachis Drach. ß.
ſpicæ Indicæ Gr. vij.
fol. ſenæ Alexandr. Drachm. iij.
rad. Polypodij
ſcorzoneræ an. Drachm. ij.
ariſtoloch. rotundæ veræ.
ſem. melonum an. Drachm. ij.
Scariolæ
Carui an. Scrup. j.
Flor. bugloſ. utriusq; an. pug. ß.
Cichorii
epithymi cretici an. pug. ß.
paſſular. Unc. ß.
In ſero caprino depurato, vel in aquâ Fumariæ & Abſinthij an. quantum ſufficit. F. omnium decoctio ad caſum dimidii, Colati juris Unciis duabus admiſce.
Extracti diacarthami Scrup. ij.
Hellebori nigri ritè præparat. Scrup. ß.
Cremoris Tartari Gr. xv.
Et fiat l. a. hauſtulus, cui nonnunquam drachmas duas vel cochlear unum ſucci coblearia veræ addere licet.

Vel ℞. *Fol. fumariæ* *Potio purgans.*
Cochleariæ recentis
Bekabungæ
Capillor. Vener.
Ceterach
agrimoniæ an. M. ij.
ſcabioſæ
ſcolopendriæ an. Man. ß.
flor. cordial. an. pug. ß.
rad. glycyrrhizæ raſæ Drachm. vj.
Fol. ſenæ Unc. j.
rhabarb electi
Cort. myrobal. Indor. præpar. Scrup. iv.
Uvarum paſſarum exemtis arillis, Drachm. ix.
hordei mundi pug. j.
ſquinanthi Scrup. j.
Decoquantur in ſero lactis pro ℔. j. *maneant infuſa per noctem, Colaturæ adde ſyrupi ſceletyrbici, Foreſt.* Unc. ij. *ex infuſione roſarum multiplici, de Cichoro cum Rhabarbaro Nicolai* an. Unc. ß.

Miſce pro tribus doſibus matutinis, quibus multa melancholica fœtida excludi ſolent.

166. Eximius eſt & Juris Alectorii uſus, quod

℞. *Rad. ſcorzon.*
Polypod. an. ſeſquiunciam.
aſparagi
Bugloſſæ an. Unc. ß.
Tartari vini albi aut cremoris ejuſdem
ſem. carthami contuſ. an. Drachm. x.
aniſi
Carui an. Drachm. ij.
turbith gummoſi Drachm. v.
ſalis gemmei Drachm. ij.
fol. ſenæ Alexand. Unc. ij.
Galangæ
Zinziberis an. ſesquidrachmam.
Cinamomi Drachm. j.
Flor. Bugloſſæ
Violarum an. Man. ß.
Fol. agrimoniæ
Ceterach
Betonicæ
Chamædryos
Ivæ arthetica
Cochleariæ veræ an. M j.

Confracta inſerantur ventri Galli decrepiti, & in aquæ partibus tribus ac vini albi parte unâ ebulliant.

Decoctum per aliquot dies uſurpetur.

Elegantia ſubſidia expurgationi corporis inſervientia. 167. In hanc ſolventium coloniã referuntur & *ſyrupus ſenæ compoſitus Langii, pulvis ſenæ compoſitus V. Vieri, & panchymagogus Quercetani; Flores Antimonii correcti Crollii, Eſſentia quinta Antimonii; Vinum Abſinthites ſolutivum vel catholicum purgans Quercetani, Oleum Rhabarbari exolvens; Extractum Caſſiæ & Mannæ cum fol. ſenæ Quercet.* ſyrupus de pomis cum ſenâ, aut Helleboratus major; Cremor Tartari, dia Tartarum & ſimilia.

168. Exolventibus annumerantur & diuretica aut ſudorifera expurgato jam corpore adhibenda, quibus tamen haud quaquam tamdiu fatigandi ſunt ægroti, ut in Lue Venereâ, ſed terminus magna ex parte hic ſtatuitur, quo putredinis, vapores diverſimodè expromentis, notæ penitus ſunt diſploſæ. Huic inſerviunt uſui *decoctum aut Extractum Guajaci, ſarſæparillæ, Chinæ, lign. Aloes, Bux. aut Rhodii; Theriaca; Mithridatium; Bezoarticum minerale ad purificandum & inſtaurandum balſamum Naturæ radicale præſtantiſſimum: Rob. è baccis Ebuli, ſambuci, Iuniperi: Vel ſtillatitii ex iiſdem comparati liquores.* Quæ ſingula tamen felicius ut actiones expediant ſuas, præter lectulos, laconica uda vel humida roſcido quodam ac grato vapore prædita, ſunt adparanda, aut igniti lapides, vel candens ferramentum, decocto ligni ſancti, aut alio liquore, jugiter aſpergendum. *Sudorifera.*

166. Deſcendentibus in ſolum etiam *Sal Abſinthii cum decocto Milii nõ corticati; vel Extractum Zinziberis, Chinæ, aut granorum Iuniperi; ſulphur auratum diaphoreticum, aut ſimile quid propinandum:* idque vel in vino aut ſuccis Acetoſæ nobilis, Becabungæ, Naſturtii aquatici, cochleariæ aut fumariæ, cum vino ſimul expreſſis. Quibus autem Febris ſimul infeſta eſt, ii ſtillatitiam florum aurantiorum, aut limonum, vel ſimilem uſurpare poterunt. *Diaphoretica chymica.*

170. Ab hoc etiam ſcopo non *Diuretica.*
aliena

aliena ſunt diuretica, per urinarios meatus humores evocantia, ceu *ſemina quatuor frigida majora & Erucæ; Radices Acori, Valerianæ; Cortices radicum Capparum, Baccæ juniperi, leviſticum, piper; Cinamomum; oxymel diureticum*: nec non quæ menſibus in fœminis ciendis deſtinata ſunt.

Intentio Secunda.

De libertatem meatuum præſtantibus.

171. Quæ obſtructos & ab humore limoſo, craſſo ac tenaci præpeditos meatus expediendi vim habent, non modò viſceribus internis amica, ſed & humori exterminando accommoda eſſe debent, ita, ut feculentum, terrenum, durum ac viſcidum extenuent, & incidant, diſſipandoque extergant, quò facilius in ſentinam corporis explodantur, & quod tenuius & ſeroſius eſt, ad vias urinarias, aut alia Naturæ conferentia emiſſaria deducantur. Et horum nonnulla in ſimplicium claſſem referuntur, alia compoſita ſunt.

Infarctus viſcerum expedientia ſimplicia. 172. In numerum ſimplicium referuntur, Ex radicibus *quinq; Aperientes; Scorzoneræ, Caryophyllatæ, Ononidis, Enulæ, Rhapontici, Chelidonii, Vrticæ, pimpinellæ, petroſelini, Fœniculi; Glycyrrhizæ, polypodii, Oxylapathi, Bugloſſæ, Ariſtolochiæ rotundæ veræ, Gentianæ, ſquillæ, Corticum rad. capparum, Tamariſci, fraxini.*

Ex herbis *abſinthium, Acetoſa, Acetoſella, Adiantigenus omne, Agrimonia, Fumaria, Thymus, Epithymus, Bugloſſum, Ageratum, Chamædrys vera, Chamæmelum Ital. Teucrium, cichorium, Flos geniſtæ, Hyſſopus, ſcariola, Lupus ſalictarius, Matricaria, Petroſelinum, ſcabioſa, ſcolopendria, Valeriana, Betonica, Mentha, Roſmarinus, Origanum, Ruta.*

Ex Aromatibus, *Nux moſchata, Macis, Calamus Aromaticus, Cyperus odoratus, lignum aloes, Rhodium.*

Ex fructibus *Amygdala amara, piſtacia, Baccæ lauri, uvæ paſſæ majores & Corinthiacæ & grana juniperi.*

Ex terreſtribus, *Vitriolum, chalybs, ferri ſcoria, lapis Bezoardicus, margaritæ, Corallia, aliaque tonum viſcerum roborantia.*

173. Quæ ſanè univerſa multo rectius in uſum trahi poſſunt, ubi de Alterantibus quædam admiſcueris, quæ prærogativo quodam jure huic lui dicata & conſecrata ſint, illique facultate ſuâ ſpecificâ adverſantur, uſuque artis longo confirmata. *Scorbutica*

Ex quorum albo ſunt *coblearia vera* tum comeſta in acetariis, tum cõſervæ vel ſyrupi, decocti, Eſſentiæ, Tincturę vel ſtillatitii liquoris formâ uſurpata: *Naſturtium hortenſe agreſte & hyemale*, iiſdem ritibus aſſumtum; *Anagallis aquatica ſeu Bekabunga*, aliorum vibrantiorem facultatem infringens pari pacto uſurpata: *Siſymbrium vel Cardamine aut naſturtium aquaticum minus*, quod tamen ex lutoſis, cœnoſis & ſtagnantibus aquis, ceu ingrati ſaporis, inutile & minus *medicamenta.*

 efficax,

efficax, haudquaquā eſt depromendum. *Trifolium aquaticum, Illecebra, quæ Sedi genus eſt, Nummularia, eruca ac* ipſius ſemina, aliaque benignitate Naturæ in medium collata, quibus & infarctus interaneorum reſerantur, humorum putredo coercetur, & intemperies illa vitioſa, quæ Epati cumprimis ac Lieni ab hoc morbo inuritur, elui poteſt.

Compoſita. 174. Compoſita ut diverſimode & quidem in forma ſyruporum, decoctorum, infuſionum, aquarum, ſtillatitiarum, conſervarum, electuariorum, extractorum, pulverum, Tabularum aut morſulorum effinguntur.

Serapium. 175. Ex ſyrupis aperientibus plurimum emolumenti confert, qui

℞. *Paſſularum Corinthiac. ſyrupo de ſucco acetoſæ inebriat.* ſeſqui unciam
Rad. polypodij q.
apii
ſcorzoneræ an. Unc. j.
glycyrrhizæ
oxylapathi
eryngii an. Drachm. vj.
enulæ campanæ
Cort. rad. cappar.
tamariciis an. Unc. ß.
ſem. melorum Drachm. iij.
aniſi
urticæ an. ſeſquidrachmam.
granor. iuniperi Drachm. iij.
fol. cuſcutæ
Capillor. Vener.
Nummulariæ
ſcolopendriæ
Cochleariæ veræ an. M. j.
Epithymi
thymi an. M. ß.
flor. bugloſſi veri
violar. an. pug. j. ß.
Cinamomi Drachm. j.

Bulliant in aqua Communis aut ſeri caprini ſ.q. in diplomate. Colaturæ extractæ ſeſquilibræ addatur ſacchari cand. q.ſ. & coquatur in ſyrupi dilutioris conſiſtentiam.

Decocta hunc in modum comparantur. *Decoctum.*

℞. *Rad. ſarſæ parillæ*
chinæ an. Unc. j. ß.
glycyrrhizæ
Graminis
aſparagi an. Drachm. vj.
ſem. 4. frigid. maior. an. Drachm. ij.
lactucæ
ſcariolæ an. Drachm. j.
paſſular. Drachm. x.
flor. violar.
bugloſſ. an. M. ß.
fol. becabungæ recent. M. j. ß.

Fiat horum omnium vel in ſero caprillo, rite ac ſufficienter depurato, aut brodio gallinæ inſulſo ad caſū medietatis decoctio: Colatura manè ac veſperi propinetur.

177. Infuſum ex vino in paſtu aliquandiu uſurpandum hac ratione licet concinnare. *Infuſum.*

℞. *ligni rhodii*
ſaſſafras odor. an. Drachm. vj.
rad. caryophyllatæ Unc. j.
ſarſæ parillæ
chinæ an. Unc. ij.

ſcorzo-

ſcorzoneræ ſeſquiunciam
glycyrrhizæ Drachm.x.
cyperi odorat. Unc.ß.
ſummit. abſinthij Pont.
fol. cochleariæ veræ an. Man.j.
cum dimid. ſcolopendriæ Man.j.

Comminuta vel affuſo muſto recenti ebulliant, aut vaſi vitreo immiſſa per decendium, aut amplius in loco frigido reſerventur pro maceratione; poſtea quod in uſum quotidianum detrahitur, alio vino bono reſarciatur.

Deſtilatũ. 178. Deſtillati hæc poteſt eſſe formula.

℞. *Rad. polypodij*
ſcorzoneræ an. Unc.iij.
Cort. rad. cappar.
fraxini
Tamariſci an. ſeſquiunciam.
fol. agerati
cochleariæ
nummulariæ
naſturtii aquat.
meliſſæ
ceterach
chamædryos
chamæpityos an. Man.ij.
ſem. Carduibened.
Mariæ an. Unc.ß.
fœniculi Drachm.ij.
flor. Centaur. minor.
hyperici
ſambuci an. Man.j.

Macerentur per triduum in aqua Fumariæ, ſeri lactis, ac Vini albi opt. an. ℔. IV. *oxymel. ſquillit.* ℔ j. *Fiatq; ſ.a. per cineres deſtillatio.*

Liquoris iſtius ante paſtum unciæ binæ capiantur.

179. Conſervam aut Electuarium hac ratione concinnare licet. *Conſervant Electuarium.*

℞. *Conſerv. germinum ac flor. cochleariæ veræ* Unc.iij.
flor. bugloſſi
Caryophyll.
betonicæ
roſar. damaſcen. an. ſeſquiunciam.
Carnium nucis Indicæ conditæ
Cort citri condit. ac minutim conciſorum an. Unc.j.
Melliginis granorum iuniperi Drachm.ij.
confect. alchermes ſeſquidrachmam.
ſyr. de Canellâ Drachm.vj.
de ſucco cochleariæ aut ſcelotyrbicæ

Foreſt. q. ſ. pro cogendo Electuario, cui juſti acoris gratiâ, admiſceatur Sp. ſulphuris acidi q. ſ.

180. Extractum hunc in ritum paratur. *Extractũ.*

℞. *Rad. chelidonii majoris*
ſcorzoneræ
filicis an. Unc.ij.
Valerianæ
pimpinellæ an. Unc.j.
Cort. rad. fraxini
Tamariſci
rad. ſarſæparillæ an. Unc.iij.
Comar. abſinthii pont.
Agerati.
ſcolopendriæ an. Man.ij.
flor. geniſtæ

Bugloſſi

Bugloſſi
ſambuci an.Man.j.
Cinamomi
raſur.eboris an.Unc.ß.
ſquinanthi Drachm.ij.
Granor.juniperi an.Man.j.ß.
Cubebarum ſesquidrachmam
ſem.Ammeos
Cimini
coſti veri an.Drachm.iij.
Optimè comminutis in matracio vitreo affunde
aq.foliorum ſcolopendriæ
fumariæ
abſinthii an.part.iij.
Aceti ſquilliticï ℔.j.
bugloſſati
ſambucini an.℔.ß.
lentiſſimo igne deſtilletur liquor ad ſiccitatem, qui denuò affundatur fecibus pro formando extracto: cui in infuſione, pro removendo infarctu lienis contumaci ac diuturno, etiam limaturæ chalybis cum ſulphure, aut Spiritu Chalcantino calcinato, addi poteſt.

Tragæa. 181. Pro apparanda Tragæa, ad obſtructiones delendas, his utere.
℞. *Pulv.rad.Aron.præpar.* Unc.ß.
Zedoariæ
calami Aromatici
ligni aloes
Rhodij an. Drachm.j.
flor.geniſtæ
ſem.naſturtii
Erucæ albæ
fœniculi
Carui an. ſesquidrachmam.
ſummmit.meliſſæ Scrup.ij.
Caryophyll.
Cubebar.
Zinzib.albi an. Drachm.ß.
Cinamomi Scrup.iv.
ſalis fraxini
Tamariſci
Ceterach an. Scrup.v.
Confect.rotul.ex ſpeciebus diarhodon. Abb.ad pondus reliquorum.

182. Ex iiſdem pulveribus effingi poſſunt & Morſuli ac Rotulæ pro intentione medentis, additis ſpeciebus Cordialibus diarrhodon. Abbat. diatrion ſandalon, Plitis ſarcotici, Trochiſci de Capparibus, vel extractis, oleis, & ſolutis cordialibus.

III. Intentio.

De Alteratione.

183. Licet pro viſcerum affectorum indigentiâ, atque intemperiei, quæ in iiſdem vel jam facta, aut nondum confirmata eſt, diversâ conditione, Alteratio, cum meatuum obſtructorum apertione in multis eſt conjungenda: Quia tamen morbi hujus in omnibus ſubjectis non eadem eſt ratio, ea propter, quæ ad Alterationem faciunt, ſubſidia hunc in locum referre viſum eſt. Duplici autem nomine vires hæc expediunt ſuas, manifeſtâ nimirum, quâ viribus agunt contrariis, & occulta qualitate ſeu proprietate quadam Alexiteria, qua malignam hujus intemperiem reprimunt. *Alterantia cum obſtructiones removentibus frequenter ſunt conjungenda.*

184. Uberrimus horum ſubſidiorum eſt apparatus, non tam ex vulgaribus, *Alterantia vulgaria.*

ribus, quam ex accuratius elaboratis conſtans. Trita ſunt & vulgaria præſertim ubi gravior morbus, plura & fortiora remedia non deſiderat, decoctum Cereviſiæ cum Naſturtio aquatico, Becabunga & Cochlearia aliquandiu uſurpatum ceu optimum ſanitatis pauperibus ſubſidium. Becabunga, Cardamine, ſiſymbrium contuſa, cum lacte cocta & propinata, pulvis Nummulariæ potus. Abſinthium cum vino & aqua vel cereviſia decoctum, & aliquandiu bibitum, præſertim ubi ſine febre & obſtructione æger fuerit. Nicotiana denique vera & perſicaria, prædictis ingeniis adhibita.

185. Nonnulli ſuccum vermicularis cum aqua Acetoſæ & Fumariæ, vel in lacte caprino, additis croci, cinamomi, Garyophylli, macis, Granorum Paradiſi an. drachmis duabus leviter diſcoquunt & ſub auroram, ac veſperi, pro ciendo ſudore hauſtum propinant: Alii ex Naſturtii Aquat: & Cochleariæ germinibus recentibus in pila lapideâ contuſis ſuccum expreſſum propinant: Vel ſucci ſedi Unc. ij. cum ſeri caprini Unc. ij. ß. ac cinamomi Drach. j. miſcent, & exhibent. Plurimis eximium cenſetur alexiterium etiam in mediâ hieme, quando ſingulis vini Galici ac rubelli libris ſucci Cochleariæ Unc. iv. admiſcent & propinant. Nõ paucis hoc arridet, quod.

℞. *Fol. becabungæ*
ſiſymbr.
Cardamines recentis an. Man. iij. aut iv.
Contuſis admiſceatur
ſem. Erucæ
rad. Iridis hortenſis noſtratis an. unc. ß
Zinziberis Drachm. ij.
Piperis longi Drachm. j. *& cum vini rubri libris duabus ebulliant.*

De colaturâ per novendium in autora cyathus ſatis capax calidè exhibeatur, proque ſudore eliciendo ægrotus probè muniatur.

186. Quidam incidentibus, & attenuantib⁹ herbis ac radicibus aliisque proprietate hunc morbum reſpicientibus decoctis infundunt ſucci Cochlear. uncias aliquot, ſuſpenſis ſimul ex filo raphani radicum ſylveſtris taleolis aliquot, quas cum ſyrupi idonei q. ſ. exhibent. Ingratum etiam, ſed certiſſimum in Friſiâ Orientali, autore Joanne Wiero ſubſidiũ. *Raphani ſylveſtris uſus.*

℞. *Vini Rhenani* ℔. xxiv.
Rad. raphani majoris boni, noviter raſi aut in mortario triti Unc. iij.
Macerentur per horam unam atq; alteram loco tepido & exprimantur. Collaturæ admiſce ſtercoris taurini ſolidi & anſerini an. quantitate trium nucum juglandiũ iterumq; per horam infunde. Expreſſo iterum infunde Nucis moſchatæ, Garyophyllorum, tenui lino comprehenſorum an. Drachm. ij. & vinum hoc loco potus ordinarii ægroto tandiu miniſtrant, donec integram aſſecutus eſt ſanitatem, à nimium ſalſis, & pane ſecalino ut caveant, interdicendo.

Quercetani remedium ſpecificum. 187. Specificum Quercetani in diætetico eſt remedium, quod inveſtigatio diligens, & experientia ſubminiſtravit.

℞. *Decoctionis hordei* ℔.j.
Vini albi Unc.iv.
Raphani agreſtis minutim conciſi Unc.ij.
Fol. cochleariæ Man.iij.

Contuſa & expreſſa ſine coctione in ſuccum transferuntur, de quo mane & veſperi præmiſſis univerſalibus cyathus aſſumatur. Similem in modum & ſucci prædictarum herbarum extorti ſacchari pauxillo mitigati, ſi febris adſit, vel ſimpliciter propinentur, vel in *καωςομάχις* cum vino rubello exhibentur. Eleganti' eſt, quod

Medicamentum ex ſuccis. ℞. *Fol. cochleariæ*
Naſturtii aq. recentium & humore adhuc prægnantium, an. M.iv. *plenos*

Ex quibus in pilâ marmoreâ, cum radio ligneo, contuſis, ſuccus proliciatur, cui adde ſacchari fini Unc. iiij. *vel ſyrupi ſcelotyrbici tantundem, additaque cinamomi acutiſſimi* Drachm.j. *F. Mixtura*, quæ per quatriduum aut quamdiu ex re ægrotantium fuerit, miniſtret.

Vinum alterans. 188. Qui Naturæ ſunt frigidioris ac cacochymici, his vinum albũ pro diluendis & eliciendis ſuccis minimè noxium eſt, addito ſemper aromatum idoneorum pauxillo.

℞. *Fol. becabungæ*
Naſturtii aquat.
Cochleariæ an. Man. j.

Contuſa & liquore raphani ſtillatitio & Vini quadrante, vel in vini albi ſextariis duobus macerentur, ſuſpenſo in expreſſo liquore nodulo, qui

℞. *Galangæ* Drachm. ij.
ſpicæ Ind. Drachm. ß.
Cinamom. opt. ſeſquidrachmam.
Croci Orient. Scrup. ij.

Factaq; levi bullitione colatura mane & veſperi hauriatur.

189. Rationibus etiam ægrotantium mirificè conducit lac caprinũ totius morbi decurſu exhibitum, idque eius quadam prærogativa, eò quod non alvum modo moderatè ſubducit, ſed & concoctu facile ac laudabilis nutrimenti, adſtrictoriâ ſuâ facultate, qua viſcerum aroniam emendat, præditum, atque ad reparandas vires ac benignum Epatis ſuccum, vitio morbi conſumtum, reſtaurandum accommodatiſſimum eſt. Nec tamen hypochondria ſuſpendere & inflare, vel in viſcerum gracilibus vaſis ſubſiſtere cogatur, incoquenda eidẽ ſunt Amuleta quędam, ſeu ſcorbutũ à proprietate reſpicientia. Inocentius etiam ſumitur cum ſilicibus ignitis decoctũ, aut laminis ferreis exuſtum. Hoc vero præparatum modo, quo minus in ventriculo debili coagulctur, quidã æquæ nonnihil, alii, & quidem rectius, ſalis aut ſacchari momentum affundunt. *Lactis caprini uſus ad alterationem eximius.*

190. Si qua Febris afflixerit, lac ebutyratum, in quo cochlearia aut Becabungia ſunt incocta, propinatur, vel quo plurimi convaluere, lac dulce, ſuccis prædictis admixtũ. *Lac ebutyratũ quando admittendum.*

Hujus

Hujus farinæ eſt, quo ex Wieri teſtimonio, infiniti ſunt curati.

℞. *Comar. abſinthii vulgaris ſiccarum*
Granorum juniperi contus. an. Man. j.
lactis caprilli ℔. iv.

Ebulliant in vaſe bene cooperto, ad tertiæ partis caſum. Colaturæ adde expreſſæ croci Drach. ß. *factaq; levi ebullitione iterum colentur*, ac ter de die hauſtus ex colaturâ capiatur.

Serũ lactis. Sero quin etiam lactis aceto depurato, quidã haud infeliciter utuntur, cujus Unc. iv. addunt cochlear. recent: contuſæ Manip. ij. & expreſſo ſyrupi de ſucco acetoſæ uncias duas admiſcent.

Hermetica alterantia. 191. Nec minus ex ergaſteriis Hermeticis hac tempeſtate depromuntur plurima, quæ in ſignium ſunt virium, ſummamq; laudem merentur. Ex ſtillatitiis liquoribus Foreſtus *Aqua Cochleariæ*, in arenæ deſtillatæ plurimum tribuit, ita ut aſſiduo ejus uſu nigritiem totius corporis & cruris evanuiſſe, *l.* 20. *obſ* 11. memoriæ prodiderit. *Aqua Cochleariæ.* Rectius & felicius operantur Aquæ Compoſitæ. *Deſtillata Compoſita.*

℞. *Fol. naſturt. aq. hyemalis* Man. ij.
Ivæ arthetica
perſicariæ
meliſſæ an. Man. ß.
cochlear. recent. Man. vj.
becabungæ Man. iv.
rad. ſarſæ parillæ an. Unc. ij. ß.
raſuræ ligni ſancti Unc. iij. ß.
ſem. aniſi
fœniculi an. Drachm. ij.
Aq. Naſturtii hyemalis
Agrimoniæ
abſinthii
Vini albi optimi an. q. ſ.
Et Fiat ſ. a. deſtillatum.

Vel ℞. *Rad. raphani ſylv. acerrimi* ℔. iv.
polypod. quer. ſesquiunciam.
Cort. rad. cappar. Unc. ß.
ſem. fœniculi Drachm. j.
Cardamomi Drachm. ij.
croci Drachm. j.
fol. naſturtii hyemalis Man. iv.
abſinthii
ſcordij an. Man. iij.

Rad. raphani ſcindantur in orbiculos tenuiſſimos, reliqua conterantur & ſimul infundantur in vini Rhenani ℔. xvj. *per noctiduum in vaſe balnei maris tepidi: Deinde additis Aquæ cochleariæ veræ, Fumariæ* an. ℔. j. *ſeri lactis caprini ſeſquilibrâ fiat omnium in balneo Maris extillatio.* Inſigniter hæc aqua attenuat humorem melancholicum, eumque per meatus convenientes ſenſim evacuat, ac lienem roborat. Datur continuis aliquot matutinis pro morbi magnitudine, & ægroti conditione ad Unc. iij. vel cum Aquæ ſpleneticæ Unciis duabus.

162. His affines ſunt liquores & Eſſentiæ germinum recentiũ Cochleariæ & aliorum Alexiteriorũ, ceu Becabungæ, ſcordii, Nummulariæ, Fumariæ, & ſimilium, quæ vel ex ſuccis earundem expreſſis iteratâ deſtillatione eliciuntur, vel ſuccis in uno, vel pluribus vitris ad digerendum in balneo Maris aut Ventre præliantis tamdiu exponuntur, donec ſedimento *Liquores & eſſentiæ.*

mento craſſo apparente reliquum inclareſcat & rubeſcere incipiat. Quo facto purum de impuro per inclinationem aliquoties ſegregatur, atque in alio vaſe digeritur, donec feces in fundo nullæ amplius conſpiciuntur, crudorum omnium perfecta eſt concoctio, amara dulceſcunt, & acria ad mediocritatem gratiſſimã revocantur. Succum prædictum, in longum tempus ut adverſetur, doſique minori facultatem exerat ſuam, ad juſtam ſyrupi conſiſtentiam lentâ coctione deducere licet, addẽdo ſucci Unciis ſedecim ſacchari quatuor aut vj. uncias, per horas 20. aut amplius in digeſtione adſervando, ac tandem in Balneo Maris ferventi calore excoquendo.

193. Qui Foreſto in frequenti eſt, ab eodemque mirificè decantatur, eſt ſyrupus ſcelotyrbicus, quem hæc ratio adparat.

Syrupus Foreſti ſcelotyrbicus.

℞. *Succi Cochlear.*
Becabungæ depurat. an. ℔. iij.
ſacchari puriſſimi ℔. ij.

Cum ovi albumine deſpumata ad ſyrupi conſiſtentiam ebulliant. Hic per ſe uſurpetur, aut liquore idoneo diſſolutus, præſtantiſſimus eſt, maximeque in præſervandâ & expugnandâ hac lue meretur laudem.

Syrupus ex raphano & Becabunga

Sunt qui ſyrupos ex Radice Raphani effingant, aut, qui à præſenti ſcopo non admodum aberrant, ex Becabungâ, quæ tamen ſeorſim uſurpata, aqueâ ſua humiditate, ex Ronſſei teſtimonio, lienum excreſcentiæ materiam ſuppeditat indubiam.

Britannica Plinii.

Ejuſmodi quid ex Plinii Britannicâ, quâ ad ſtomacacen & ſcelotyrben utitur, efformari poteſt: quæ tamen huc uſque non rectè innotuit, licet ex Autoribus noñulli Biſtortã ipſius facultatibus reſpondere autumant.

Syrupus VVieri pro infantibus.

Infantibus ſyrupum hunc Wierus utilem eſſe ſcribit.

℞. *Rhabarb.*
Centaur. minor.
Rhaponti. an. Drachm. ß.
ſem. aniſi
liquiritiæ an. Scrup. ij.

In pulverem deducta cum brodio prunorum damaſcenorũ, & Cochleariæ ſatis ſpiſſo per noctem infundantur: demum expreſſum cum ſacchari q. ſ. ad ſyrupi conſiſtentiam deducatur. Exhibetur manè ac veſperi cochlear. j.

Extractũ.

194. Eximii uſus eſt & hoc extractum quod

℞. *Fol. Beſabungæ*
Perſicariæ
Nummulariæ
Betonicæ an. ſeſquiunciam.
Cochleariæ Man. iij.
Ivæ arthriticæ
ſcordii
Abſinthii Romani
ſcolopendriæ
hyſſopi
fumariæ an. Unc. j.
Rad. Enulæ Camp.
filicis
Bugloſſi
liquiritiæ
Ireos
Aſari an. Drachm. x.
ſcorzo-

ſcorzoneræ
ſarſæparillæ
chinæ an. Unc. ij. ß.
raſuræ ligni Rhodij
ſaſſafras an. Drachm. vj.
Cort. rad. Fraxini
Tamariſci an. Drachm. j.
flor. bugloſſi
Garyophyllor
violar.
ſambuci an. Unc. ß.
Paſſular. Corinthiacar.
Granor. juniperi an. Unc. iij.
Cort citri
ſandali albi
Cinamomi optimi
dictamni cretici an. Drachm. iij.
Croci
ſpicæ Indicæ an. Drachm. ij.
ſem. aniſi
urticæ
fœniculi
meliſſæ an. Drachm. ij. ß.

Conditorio vitreo comminutè excipiantur, & cum ſucci Limonum recenter expreſſi.

Aceti Garyophyll.
ſambucini an. part. j.
Aquæ perſicariæ ritè parata part. ij.
becabungæ
meliſſæ
fumariæ an. part. iij.

Digerantur ad lentum ignem in Vaſe hermeticè clauſo; poſtmodum leviter effervescant, exprimantur, & ad ſapæ conſiſtentiam, loco ac Vaſe idoneis divaporent. Remanentiæ deniq; in Oxymelitis ſquillit. ℔. j. *Vini generoſi albi* ℔. iv.

Aq. fumariæ
abſinthii an. q. ſ.

Iterum infundantur, per triduum, accuratè digerantur, ac deſtillentur. Qui etiam ex fecibus calcinatis ſal elucitur, Extracto haud incommodè aſpergi poteſt.

195. Eugalenus Extractum Juniperinum, multis experimentis celebre, præſertim in paralyſeos ſcorbuticæ initiis, commendat. *Extractũ Iuniperinũ Eugaleni.*

℞. *Fol. betonicæ* Man. iv.

Coquantur ex aqua pura ℔. viij. *ad tertiæ partis conſumtionem: poſtmodum addantur Baccarum Iuniperi contuſarum* ℔. ij. *& ad pultis conſiſtentiam redigantur. Spiſſamentum deniq; fortiſſimè extractum cum ſacchari* ℔. ij. *ad ſapæ conſiſtentiam lento foco ducatur. Sub finem addi poſſunt*

Pulv. Zinziberis Unc. ij.
Macis
Calami Aromat.
fol. ſenæ an. Unc. ß.

Fiat Electuarium molle, de quo Cochlearunũ quotidiè ſemel aſſumatur.

196. Excellens hæc eſt & Tinctura Joh. Werneri *l. 2. Therapeut.* quæ: *Tinctura.*

℞. *Spiritus vini opt.* q. ſ.

In quo, loco ac matracio convenienti macerentur, Raſuræ ligni ſancti Unc. ix.
rad. filicis Unc. iij.
Cort. interior. fraxini
Ebuli
Cappar. an. Unc. j.
ſem. aniſi ſeſquiunciam.

Ubi *Spiritus vini tincturam ingredientium imbiberit, poſt novendium fortiter exprimantur.*

℞. *Seri lactis caprini vel Aquæ pomorum*
Borſtorffianorum ſtillatitiæ,
oxymel. ſimpl. an. q.ſ.
In quibus infunde
fol. aut comar. abſinthii Pont.
ſem. Agrimon.
Chamædryos
ivæ
rutæ
flor. ſambuci an. Man.ß.
ſedi minimi
Naſturtii aq. min.
fumariæ
Becabungæ
hyſſopi
ſcordii Man.ij.
Cochleariæ Man.ij.
Hæc ad biduum ubi maceraveris, atque expreſſeris, poſtmodum utraque Tinctura coeat, lentoq; igni inſpiſſatæ addatur ſpecier. diacurcumæ Uncia dimidia.

Mixtura. 197. Haud minoris etiam Utilitatis eſt hæc mixtura, quæ
℞. *ſucci Cochleariæ inſpiſſati* Unc. ij.
ſalis ejusdem Drachm. ij.
Mixturæ hypochondriacæ (quam ex noſtro de hypochondriis affectibus commentario huc transferre licet) *ſesquiunciam ſoluti coralliorum*
Extracti ligni ſaſſafras Drachm. iij.
Extr. gran. iuniperi Unc. ß.
Eſſentiæ Meliſſæ Drachm. j. *Miſce*
Vel ℞. *Eſſentiæ Cochleariæ*
Naſturt aquat.
Cort. Aurantiorum an. Unc. iv
ſoluti vitrioli Martis Unc. ß.
Margarit.
Auri an. Scrup. j.
Spiritus Cornu Cervi
rectificati vitrioli. an. Drachm. ij.
ſalis Drachm. j.
Tincturam chalybis Drachm. vj.
ſyr. de Cinamomo
acetos. citri an ſesquiunciam
F. Mixtura.
Scorbuticam & hæc Mixtura corrigit luem.
℞. *Spiritus aq. theriacalis camphoratæ* Unc. v.
tartari correcti Unc. iij.
vitrioli correcti ſesquiunciam
Extr. granor. juniperi
meliſſæ
cochleariæ
ſcordij
ſantali citrini
Flor. bugloſſ. an. Drachm. ij.
Cinamomi Drachm. j.
ſyrupi de ſucco ceraſor.
cum floribus
garyophyll.
Cochleariæ.
ſcolopendriæ an. Unc. iij. *Miſce.*

198. Malignitatem denique & virulentiam hujus morbi egregiè corrigit hæc conſerva: quæ *Conſerva.*
℞. *Conſerv. Fol. cochlear. veræ* Unc. iij.
Flor. bugloſſi
Garyophyll. hortens.
Carnium Citri condit.
Nucis Indicæ Condit. & inciſæ. an. Unc. j.
melliger. granor. iuniperi an. Unc. ß.
Extr. ligni rhodij
ſarſæ parillæ an. ſesquidrachm
Calami aromatici.
Confect. alchermes an. Drachm. j.
Cum

Cum ſyrupo ſcelotyrbico cogantur omnia in Electuarii ſolidi compagem.

199. Hiſce vero medicamentis ubi utitur æger, ſi alvus ſegnior redditur, ſubinde provocanda eſt & officii ſui admonenda per intervalla uſurpatis iis, quæ inſtitutæ Epicraſi ſufficiunt, ne vitioſis humoribus poſtliminio coacervandis ſuppeditetur occaſio. Quo in caſu neque diuretica, vel diaphoretica prætermittenda erunt, ubi Naturam, cujus conatui ubivis religioſè inſiſtendum erit, per meatus Urinarios, vel per habitum corporis, ac ſudorem viam ad materias vitioſas eliminandas affectare cognoveris.

IV. Intentio.

De Viſcerum confortatione.

Viſcerum confortationi quare diligenter invigilandum.

200. Licet autem hæc ſubſidia ejus ſint efficaciæ atque momenti, ut luis ipſius pravitate ſublata rarò veſtigia relinquant priſtinæ malitiæ: paſſim tamen obvium eſt, ac nemini non cognitum, diuturniore ipſius mora atque obſidione pleraq; imi ventris ambitu coercita viſcera, cumprimis Ventriculum, Lienem, Epar, ac Meſenterium, nec non, quæ in thorace continentur, à vaporibus venenatis & malignis, qui ab interna & huic morbo peculiari humorum corruptela reſultant, atque ubivis ſeſe inſinuant, mirum in modum labefactari. Nihil itaque ad utilitatem ſalutemque totius præſtantius erit, quàm poſteaquàm humoris vitio corrigendo ac materiæ exonerandæ ſatisfactum, ut membris à naturali temperatura dejectis viciatisq; ejuſmodi auxiliis ſuccurratur, quæ labem conceptam eluere, ſpiritus reſtaurare, vires acciſas propeque dejectas reparare, languidaque demum viſcera quam commodiſſimè firmare nata ſunt.

201. Ac ventriculi quidem in hoc affectu tantò deterior eſt conditio, quod non tam ab alvinorum flatuũ aſpiratu, & vitiata quadam aura, aliundè appulſu aſſiduo infeſtetur, ac flacceſcat, quam quod ipſius temperies cum depravatis & putridis fumis infectionis labem redolentibus, indidem corrumpatur. Huic intrinſecus remedium acquiritur iis, quæ odore ac ſapore grata ſunt, quæque propriam quandam adverſus hoc monſtri genus vim poſſident: ceu Electuario d'ambræ, ſyrupo de vino generoſo, vel de Canella, aut juniperino, Conſervis idoneis, quibus ſpiritus Chalcanthinus inſtillari queat, Zinzibere Ind. condito, Nuce Indica condita, Vino ſaſſafrato, Elixire proprietatis Theophraſti, aut Spiritu Vitæ Martis & Veneris in vino, Aqua Menthæ, aut jure carnis aſſumto.

Ventriculo debili conferentia ſubſidia interna.

Externa.

202. Exterius flacciditatẽ ipſius corrigunt, oleum Corticũ Arantiorum deſtillatum, maſtichinum deſtillatũ Tacamahacæ, ac Macis inunctum, Balſamũ Indum, linimenta moſchata, Goſſypium carptum, & heſterno

moſchi

moſchi incubitu fragrans, ſacculus ex pulvere ſtomachali concinnatus, ac minutim tranſutus pannus Chermeſinus, oleo Laudani vel Garyophyll. ſtillatitio inſuccatus, aliaque temperati caloris fomentum exhibentia.

203. Epati Oeconomiæ Naturalis adminiſtro ſuccurritur confectione diatrion ſantalon, ac diarhod. Extracto Juniperino, aceto Eſurino, Electuario de vino Hollerii, diapaſſulato ejuſdem, Jecoris Lupini, Agrimoniæ vel Abſinthii Eſſentiâ; Confectione piſtaciorũ Montagnanæ; Extractis vel paſtillis Chelidoniæ, Meliſſæ, Epatico Quercetani, & aquâ Epaticâ ſtillatitiâ. Muniatur quin etiam dextrum his hypochondriũ forinſecus linimento Epatico, Fomentis, Emplaſtris, & aliis, quæ tonum Epatis integrũ aſſervare potis ſunt.

Lieni firmitatem conciliantia. 204. Lieni Naturâ aut ex infarctibus imbecilliori, poſt depoſitam in alvi loculos redundantiam, ſalutarẽ præſtant operam Vitrioli Mixtura, Extractum ſplenicum, Antidotus Splenica & Major & minor Quercetani, Aqua Splenica Cõpoſita, Aqua ſquinanthi Tabernæ Montani, Pulvis dia capparum Rondoletii, Oxymel Spleneticum ejuſdem, Trachiſci de Scolopendriâ, Electuarũ de Chalybe, Syrupus de ſucco pomorum redolentium, & id genus alia. Inter externa adjutoria referuntur, fomenta ex Rutâ, Scolopendria, Urtica, Naſturtio, Cochleariâ, Centaurio minore, Chamæmelo Italico: Linimenta ex Geniſta, Tacamahaca, Ammoniaco, Fraxino, oleo de Capparibus, Laterino, Emplaſtro ſplenetico & hujus cenſus alia.

205. Cordi ceu Caloris nativi ac vitæ fonti nihil ad utilitatem præſtantius floribus citri conditis, Nucibus Indicis & Myriſticis ſaccharo aſſervatis, Electuario de gemmis ac Margaritis, Deſtillatis Cardiacis inſtaurantibus, confectione Alchermes, ſoluto Margaritarum & Coralliorum & hyacinthorum, Conſervâ flor. cordialium, Tincturis flor. Roſarum, garyophyllorum ac Bugloſſi Vitriolatis, Eſſentiis flor. Cardiacæ, ſyrupo de Canella, ac de Vino, Auro potabili, Eſſentia quinta Vini & Meliſſæ, deſtillato ſanguinis humani, diapaſſulato cordiali Hollerii, liquore Cryſtalli, Aqua Caponum &c. Foris admittuntur ſucci & aquę Cordiales odoratæ, oleũ florum & Cort. Arantiorum, Benzoes, Roſarũ Macis, Garyophyllorum, Balſamus Indus, & linimenta Cardiaca ex iiſdem parata, Epithemata denique ſacculi & Emplaſtra. *Cordi ejusque facultati robur administrantia.*

206. Pulmoni tandem ejuſdemque robori adſervando ſuccurrunt Conſerva Iridis Florum, Radix enulæ condita, Aquæ pectorales, Balſamus ſulphuris, mel Juniperinum, Julepi pectorales, Extractum Thoracicum majus & minus, Eſſentiæ Verronicæ, Teucrii, Scordii, Chamæmeli, Marrubii albi, & Chelidonii *Pulmonem debilem ſublevantia.*

donii Majoris, Hydromel ex flore Trinitatis, & hujus cenſus alia.

V. Intentio.

De Accidentium Correctione.

207. In quibusvis ſymptomatibus hoc præ cæteris ſolemne eſt, ut morbi levioribus, recensque progerminantibus, è medio ſublatis, magnâ ex parte ultro evaneſcant, neque ullam amplius medelam deſiderent, ſecus autem in Chronicis affectibus, qui vires præter modum atterunt, & functiones corporis omnes q. datâ opera evertunt, uſu venire ſolet. Quo ſanè in caſu, cum rationem τ̃ ἐπείγοντ@ multoties ſuſtineant, ac novorum morborum cauſſæ exiſtant, ipſis ut occurratur, vitæ ſalus, & vires ægri periclitantis requirunt. Idcirco huic negotio in lue iſtâ ſcorbuticâ tanto majori induſtria invigilandum eſt, quod præter ςομακάκην ac σκελοτύρβην (in quibus corrigendis autores, qui affectum hunc ſcriptis explicarunt, tantummodo fuerunt occupati) morbus hic ob inſignem, quam præ ſe fert, pervicaciam, ac temporũ præſentium infelicitatem, multorum graviſſimorum accidentium comitatu ac ſyndrome gaudeat, in iisque virulentiæ ſuę ubivis locorum trophæum q. ſtatuat.

Symptomata ſcorbuto familiaria. 208. Ex difficiliorum & quæ curationis normam ſæpiſſimè ad ſe trahunt, cenſu ſunt: Gingivæ laxæ, putridæ ac ſanguifluæ, Faucium exulceratio, dentium Vacillatio, & carnis Gingivarum corruptio, Lienis durities; Lumborum ſeu coxendicis, ſcapularum & articulorum dolor, Animæ fætor, Contractio & convulſio, Epilepſia, mandibularum coarctio, paralyſis alterius lateris & reſolutio crurum, Carus & Veternus, Facies ſubtumida, Animi deliquium & viriũ attritio, Reſpirationis difficultas, pleuritis notha, phthiſis, Atrophia ac membrorũ contabeſcentia, Tuſſis, Vomitus ac nauſea, Continua aquei & crudi humoris ejectio, Languor ſine Cauſa, Calor faciei momentaneꝰ, ſudor copioſus, Alvi profluvium, Ventris & inteſtinorum lancinationes, Hydrops, dolores crurum ſcorbutici, Tumores earundem œdematoſi, ſcirrhoſus crurum tumor, Tumores duri in corpore erumpentes ac tubercula, Tumores in inguinibus, peſtilentialibus exanthematibus ſimiles, ulcera crurum, Maculæ, Eryſipelas ac febres tam intermittentes, quam Continuæ.

209. Iis tamen ſemper præſentior imminet calamitas, ac nullibi major accurrit varietas, quam quæ à cerebro affecto promanat. Rationi enim conſentaneum eſt, pro varia vaporum exhalantium deductione, & in cerebrum irreptione contraria plane accidentia emergere, licet ab una eademque cauſſa promanant. Unde videre licet, ſi copioſa ac humida evaporatione cerebrum fuerit irrigatum, diffluatque, ægrotum ſomno profundo opprimi. Eadem ubi triſti *Quæ a cerebro affecto promanant ſymptomata ac reliquis ſunt periculoſiora.*

ſenſu nervos infeſtarit ſi humida fuerit ac frigidâ qualitate prædita, eoſdem laxabit, ut paralyſin inducet, ſin verò ſicca, convellet.

De gingivis laxis, putridis ac ſanguifluis.

210. Quando gingivæ morboſæ cujuſdam cauſæ vitio flaccent, uvidoq; madore prægnantes ſupra modum turgeſcunt & exulcerantur, varia in uſum trahi poſſunt ſubſidia, maximè ubi venæ ſectionem expurgationem univerſi convenientem ac lienis intemperiem infarctumque corrigentia præmiſeris. Quibuſdam enim ſola Cochleariæ, ac Becabungę aqua ſtillatitia pro collutione ſufficit. Alii eaſdem herbas in lacte coquunt, & colaturâ gingivas indidem eluunt. Vel radicum Biſtortæ decoctum uſurpant, aut ex Plantagine, cōſolidâ majore, cimis rubi, Becabungæ & Cochleariæ decoctū parant, eidemque Rob mororum ac mel roſaceum admiſcent.

Ad eluendas Gingivas.

211. Nonnullis arridet, quod

℞. *fol. Pervincæ*
plantaginis cum radicibus
Cimarum rubi.
Cochleariæ
ſalviæ an Man.j.
Cort. aurant. Drachm.iij.
Bulliant in cereviſia veteris claræ ℔.ij.
Vini rubelli Gallicani vel alterius adſtringentis ℔.j. *ad dimidii conſumt. Colaturæ adde mellis roſacei* Unc.iij.

Vel ℞. *Malicorij*
ſummachi
Balauſtiorum
flor. roſ. rub. an. Unc.ß.
paſſularum an. Unc.j.
fol. pervincæ
Aquilegiæ
Cimarum rubi an. Man.j.
Myrrhæ
Macis
Nucis Moſchatæ an. Drachm.j.
Rad. Enulæ Drachm.ij.
In aq. fluviali leviter chalybeatâ coq. ad caſum dimidii trajecto per colum liquorem admiſce
Mellis roſ. Unc.ij.
Aluminis uſti Drachm.ij.

212. Peractâ collutione confricentur gingivæ hoc linimento.

℞. *Pulv. biſtortæ* Unc.ß.
ſalis Scrup. *cum diamor.*
ſ.q. ad linimenti compagē deducantur.

Simili ratione & ex Alumine uſto, ac pyrethro, cum melle crudo mixtis, addito pulv. ſalviæ & olibani modico, effingi litus poteſt.

Vel ℞. *Succi biſtortæ* Unc.ij.
mellis roſati an. Unc.ij.
Coq. ad ſucci conſumptionē, admiſce
Aluminis uſti Drachm.j.
ſalis Scrup.j.
Colaturâ pro linimento utere.

Vel ℞. *Succi biſtortæ* Unc.ij.
roſarum nondum maturarum & dehiſcentium Unc.j.
Coq. cum mellis crudi Unc.iij.
pro ſuccorum diſpleſione. additisq;
Aluminis uſti Scrup.ij.
Salis Scrup.j.
diamoron. Unc.j *fiat mixtura.*

Aut ℞.

Aut ℞. *pulv. mandibular. lucij piſcis uſti* Unc. j.
Aluminis uſti vino extincti ſesquidrachmam.
Flor. roſar. rubr.
Malvæ arboreſcent.
rutæ
maſtiches
ſalviæ an. Scrup. j.
Mellis q. ſ.

Singularem meretur laudem & hoc unguentum ex Aquilegia.

℞. *fol. aquilegiæ*
menthæ criſpæ
ſalviæ min. an. Drachm. j.
Myrrhæ Scrup. iv.
aluminis uſti Drachm. ij. ß.
mellis virginei Unc. iij.
Cogantur ad ſtrigmatitiam compagiem, pro animæ fœtore corrigendo. Loco mellis capiatur Mel ſquilliticum, addatur etiam aliquid Conf. Alchermes.

℞. *Pul. fol. menthæ criſpæ* Scrup. ij.
flor. ſalviæ
myrrhæ an. Scrup. j.
Maſtiches gr. xiij.
Nuc. moſchatæ
aluminis uſti an. Drachm. ß.
ſalis ſcordij Scrup. ß.
olei ſulphur. acidi gut. ix.
rad. Ireos gr. xv.
mellis roſ. colati pro litu.

213. His reſpondent & dentifricia ex foliis Cochleariæ ac Becabungæ ſuccatis ac levigatis, quibus aliquid lapidis pumicis & Aluminis uſti adjungi poteſt.

Vel ℞. *Aluminis uſti* Unc. ß.
ſalis uſti Drachm. ij.
pulv. gallarum
Cornu Cervi uſti præpar. an. Dr. j.
Macis Scrup. ij.
fol. ſalviæ ſiccæ Drachm. ß.
Conficiatur ex mixtis pulvis.

Aut ℞. *rad. Cyperi*
fol. pulegij calcinatorum. an. Drachm. j.
Putaminum cochlearum uſtarum ſeſquidrachmam. *Miſce.*

Ab horum uſu Gingivæ muria olivarum conditarum, vel decocto florum mali Punici, in aqua ferrata, aut Vino, vel lacte caprillo ſeroſo, cui Rubus eſt incoctus, Vel aquæ Plantaginis & Aceti ſquillit. æquis partibus, aut vino Granatorum cum melle roſaceo, & Aqua Plantag. vel ſucco Cydoniorum depurato eluantur.

214. Eximiæ Utilitatis eſt hæc aqua defluxum ad dentes inhibens, ab Odontalgia & ſcorbuto præſervans, anhelitumque gratum concilians.

℞. *fol. ſalviæ*
betonicæ an. Man. iv.
flor. roſ. rubr.
prunor. ſylv. an. Man. ij.
Majoranæ
ſtœchad. Arabicæ an. Man. j.
Aluminis uſti
Tartari calcinati an. ſesquiunciam.
rad. ſarſæparillæ Unc. ij.
ligni Rhodij Drachm. vj.

pyrethri Drachm. iij.
Ireos Flor. Unc. ß.
Nuc. Moſch.
Cinamomi an. Drachm. ij.
Zinziber.
Myrrhæ
Maſtiches
Cort. citri
granator. an. Drachm. j.
Camphoræ Scrup. j.
Vini communis opt. ℔. IV.
ſucci fol. cochlear.
Naſturt. hyemalis aut aq. a. ℔. j.

Stent per decendium in infuſione, quotidiè agitentur, poſtea deſtillentur.

Vel ℞. *Flor. roſar. damaſcen.*
fol. oleæ virentis aut liguſtri an. Man. IV.
ſummit. rubi
fol. cochlear. aut vermicularis
ſalviæ an. Man. j.
Naſturtij
Rutæ an. Man. ß.
Myrrhæ Drachm. ij.

Aquæ roſaceæ, vel alterius idoneæ q. ſ. pro infuſione, quâ peractâ in organis vitreis fiat extillatio.

215. Quod ſi ſaniem, fœdamque illuvi rem cum fœtore ægrotantes reddiderint, ab hac colluvione plurimum emolumenti capere poſſunt: quæ

℞. *Biſtortæ cum radicibus*
tormentillæ an. M. ij.
Malicorij Unc. ij.
Rhois obſonior. Unc. j.
Cort. oxyacanthæ Drachm. vj.

Decoquantur in aq. Pluvialis ſ. q. ad casũ medietatis. Colaturæ transmiſſæ adde

Alumin. ſciſſilis Drach. ij.
Mellis opt. Unc. ij.

Sin vero putredinoſus tumor nimis luxurietur, Gingivæ jugiter fricentur Vitriolo Rom. pulveriſato in oleagineũ liquorẽ, in albumine ovi indurato atque in cella repoſito, eliquato: idque, mediante ſpongia oleo iſto inſuccata, ita tamen, ut ſi quid ſaniei poſt horum præſidiorum uſum in oris cavitate collectum fuerit, ſputamine actutum reddatur, ejiciaturque.

216. Nonnunquam & in uberioris carnis Gingivarum luxurie, ſordidaq; illuvie reprimenda, ac ut partes ſinceræ in conſortium mali non rapiantur, forficula vel alio quodam inſtrumento, partes ſideratæ ac putridæ reſcindantur, aut quibus hæc ἐγχείρησις odioſa fuerit, Unguento Ægyptiaco deſcriptionis Gulielmi Fabricii Hildani, vel alumine uſto cum melle roſaceo ſubacto, vel Vitrioli Spiritu coerceatur. *Quibus ſubſidiis carnis Gingivarum luxuries reprimenda.*

217. Neque à ſcopo alienum eſt, ut putredine ſumma urgente, malignorum ac ſerpentium ulcerum in modum, Arſenicum in uſum trahatur, id quod duplici ratione fieri poteſt. Priori quidem, quæ *Arſenici Uſus.*

℞. *Arſenici ſublimati* Scrup. ij.
Alum. uſti Drachm. ij. ß.

In pulverem deducta bulliant in Aquæ plantaginis ℔. j *per horam in duplici vaſe.*

Huic liquori intincta ſpongia jejuno ventriculo gingivæ putreſcentes

aſſiduò

aſſiduò perfricentur, ne quid tamen inde deglutiatur, aſſiduè cavendo.

Poſteriori quæ R. Arſenici Drac. j. chartæ combuſtæ Drachm. iij. quibus mixtis vel aridis ad affrictum utere, vel cum melle ſubactis.

De Faucium Exulceratione.

Faucium exulceratio: Faucibus ex vicinæ putredinis contagio olæſis hiſce Gargarismis ſuccurri poteſt.

℞. *Aquæ plantag.*
prunellæ an. Unc. v.
Spiritus Chalcantini ritè præpar. Scrup. j.
mellis Roſ. Unc. j.
Alum. uſti Drachm. ß.
Miſce pro Gargariſmo.

Hunc etiam in modum uſurpantur Aquæ, putredines ac graves halitus reprimentes, ac ſingulari proprietate ſcorbuto reſiſtentes, ex Cochleariâ, Nummulariâ, Nicotianâ, aliisque id genus.

Vel ℞. *Fol. plantag.* Man j.
rad. biſtortæ Unc. j.
roſ. rub. Drachm. ij.
Ariſtol. rotund. ſesquidrachmam
myrrhæ Drachm. j.
Ireos Drachm. vj.
Aluminis Drachm. ij.

Coquatur in ℔. ij. *Vini rubelli adſtringentis. Colaturæ adde Mellis Roſ. diamore* an. ſesquiunciam, *& utere.*

Aut ℞. *Raſuræ ligni ſancti* ſesquiunciã.
fol. ſalviæ
piloſellæ
vermicularis an. Man. j.
plantag.
Naſturt. aq.
ſummit. myrti an. Man. ß.
Flor. roſ. rub. pug. j. ß.

Ebulliant comminuta in Vino rubro & aquâ pluviæ, aut Chalybeatâ, aut quæ hoc in loco inſignis eſt juvamenti fontis cujuſdam acidi ad medietatis conſumt. Colaturæ admiſce Mellis roſacei: Rob. nucum an. unc. j. *Spirit. Chalcant.* Scrup. ß. *& F. ſ. a.* Gargariſmus.

219. Ad faucium quin etiam malum mitigandum, &, ne ulterius ſerpere queas, prohibendum, ad ligni ſancti decoctum non rarò eſt deſcendendum. Quin exulcerato palato, foramini operculum, ſeu auri puri lamina adaptetur, quo fauces obturari, & aſcendens ſpiritus, ad nares tranſiens, inhiberi, hacque ratione vox juvari queat.

De dentium vacillatione & carnis Gingivarum deperditæ reparatione.

220. Radicibus dentium multo ac vitioſo ſucco madentibus, laxatisque eadem fere, quæ ad Gingivarum carnem firmandam, conferunt cum primis v. decoctũ ex Cochlearia, Plantagine, ſummitatibus rubi, Cort. Granatorum, Cornu Cervi uſti, & aquâ Chalybeatâ formatum emolumento eſſe poſſunt. Quo uſurpato, pulvis hic aſperſus confert. *Dentium vacillatio.*

℞. *Alum. uſti*
ſalis uſtorum
Cornu Cervi uſti
Gallarum

Macis
ſalviæ an. Drachm. ß.
Mixta in pollinem ſubtiliſsimum deducantur.

Ad recuperandam autem carnem deperditam, retegendamque deformitatem, Natura artis ſubſidio eſt adjuvanda. In quorum uſum ſequentem licet comparare pollinem.

℞. *Mellis puriſsimi abluti aq. roſ. deſtillat.*
pulv. fol. Carduibened. Unc. j.
Aquileg. Unc. ß.
Myrrhæ Drachm. ß.

Ex confuſis paratur litus. Tempore vero paſtus fauces Aquilegiæ decocto ſeu aqua eluantur.

De Duritie Lienis.

Lienis duritiés. 221. Cum ſanguinis feci excipiendæ deſtinatus ſit Lien, dubio procul omnem impuritatem facilius admittit, quando ipſius functio propria à ſpecificia ſcorbuti corruptione depravatur: Qua ſanè corrupta crudis & aduſtis humoribus nullo penè negotio infercitur. Unde præcordiorum compreſſio, frequens coctionis in ventriculo offenſa, & in ſiniſtro hypochondrio rugitus crebri oriuntur. Huic affectui medelam adhibere licet Topicis variis, præmiſſis iis, quæ in corpus aſſumta demoliendis infarctibus competunt, quibus emolliendi, attenuandi diſcutiendi ac roborandi facultas ineſt: ita tamen ut propter obſtructionum pertinaciam, idoneum ad curationem concedatur intervallum.

222. Concinnantur autem hujuſmodi Topica fomentorum ac cerati forma. Fotus conciñatur ex decocto Rutæ, urticæ, Naſturtii, ſcolopendriæ, Cochleariæ ac Centaurii minoris in aqua, cui Aceti quadrans additur, quandoque etiam cum vino vel aceto Cochleariæ, ſcillino, aut helleborino, vel decocto Geniſtæ, Tamariſci, Naſturtii hyemalis & capparum, candentis lapidis tepore admota.

Linimento deniq; hypochondriũ ſiniſtrum ſequenti inungatur.

℞. *Ol. amygd. dulc.*
de capparibus an. Drachm. vj.
Emplaſtri de Meliloto Unc. ß.
Ammoniaci aceto ſoluti Drachm. iij.
trochiſc. de capparibus Drachm. j.
ſcolopendriæ ſiccæ
rad. filicis an. gr. v.
balſami Indici Drachm. j.
Ceræ modicum, Miſce.

Vel quod fortius agit.

℞. *Ol. Rutacei* Unc. ß.
de capparibus
amygd. amarar. an. Drach. iij.
lilior. albor. Drachm. ij.
ſucci bryoniæ
mucilaginis ex rad. filicis extract. an. Unc. j.

Efferveſcant lentâ prunâ ad ſuccorum conſumptionem.

Colaturæ admiſce
pulv. rad. Cyclaminis
aſari
Cort. rad. cappar. an. ſesquidr.
ſem. Cimini Scrup. iv.

Ol ſtyll.

Ol. ſtyll. Cymini guttas aliquot
ſir..pus Drachm. ß.
Omnibus in mortario diligenti agitatione ſubactis, cum modico Ceræ F. unguentum.

Ceratum de Ammoniaco Foreſti. Tandem Ceratum de Ammoniaco Foreſti, ad renitentes ſcirrhoſosque tophos diſcutiendos, convenientiſſime lateri dolenti admovetur, quod

℞. *Ammoniaci aceto diſſoluti* Unc. j.
Vngt. de Althæa
Empl. de meliloto an. Unc. ß.
furfuris frumenti accuratè cribrati Unc. j.
pulv. rad. bryoniæ
Ireos ſiccarum an. Unc. ß.
pinguedinis Anatis,
Anſeris
Gallinæ an. Drachm. iij.
bdellij
Galbani an. ſesquidrachmam.
Ol. Irini Unc. j.

Bulliant leviter in mucilaginibus ſem. lini ac fœnu Græci an. q. ſ. ac ut in cerati formam coëant, addatur Ceræ Unc. IV. *Terebinthinæ ac reſinæ pini* an. ſesquiuncia. *Fiatq; ſ. a. Ceratum ſcirrhoſam mirabiliter diſſolvens duritiem.*

De lumborum, ſcapularum, & Articulorum dolore.

Lumborū ſcapularū, & articulorum dolor. 223. Quos ſcorbutus concitat dolores, hanc vendicant prærogativam, ut à catharticis fortius exaſperentur, graviusque irritentur, ac niſi diutius inſederit, haud ſubſiſtant, ſed errabundi de loco in alium quandoque etiam in oppoſiti lateris articulum, commigrent, per intervalla affligant, ſemperque cum levi reſolutione ſint conjuncti. Id quod certiſſimo eſt argumento, à vaporibus, tenuibus humoribus permixtis, hoc incommodū potiſſimum oriri. Curantur iiſdem, quibus ſtomacace remediis, niſi quando crudis humoribus malum hoc implicitum eſſe videtur. Ex his probantur, ſuccus & liquor ſtillatitius Cochleariæ aſſumtus, Naſturtii Conſerva cum vino uſurpata, nec non aſſiduus & quotidianus Abſinthii aut ligni ſaſſafras in cereviſia aut vino uſus. Quibus etiam ex ſuperius relatis fortiora addere licet.

Ol. Fernelij ſtillatitiū ad articulorum dolores. 224. Extrinſecus in diuturniore malo haud poſtremum ſibi locum hoc deſtillatum Fernelii oleum, ex obſervatione Eugaleni, vendicat, quod

℞. *Pyrethri*
Zinziberis
Nuc. moſch.
Garyophyll. an. Drachm. ij.
flor. ſalviæ
hyſſopi
Anthos
ſtæchados
ſpicæ nardi an. Drachm. j.
rad. Ariſtoloch. rot.
hermodactyl. an. Unc. j.

Vniverſis minutim conquaſſatis affunde Aquæ Vitæ ℔ j. *& ubi per naturalem diem infuſa permanſerint, addita Terebinthinæ ſesquilibra, Fiat in Alembico Vitreo lento igne deſtillatio. Demum oleum ab aquâ ſecretum reponatur ad uſum.*

225. Lumbis

Linimenta pro lumbis dolentibus. Lumbis dolentibus Foreſtus hæc cum fructu adhibet.

℞. *Pingued. Gallinæ*
Ol. amygd. ol.
Anetheni
roſacei
Mucilag. rad. althææ cum aq. malvæ extract. an. Unc. j.
Miſce pro Litus.

Vel ℞. *Ol. amygd. d.* Unc. j.
Irini
pingued. gallinæ
Cerati de Ammoniaco foreſti an. Unc. ß. *Miſce.*

Litibus nonnunquam hujus cenſus Fomentũ præmittere licet, quod
℞. *Flor. Chamæm.*
meliloti an. Man. iij.
Fol. abſinthij
Com. malvæ
Cochleariæ
Becabungæ an. M. ij.
arthemiſiæ Man. j.
rad. althææ Unc. ij.
Cimini Drachm. ij.
Comminuta ebulliant in Aq. Commun. ſ. q. ſub finem addendo, Aceti vini Rhenani, vel helleborati Unc. iv.

Adhibetur ſummo diluculo & ſub veſperam. Quin & faſcia in fomento pręſcripto madefacta quandoq; totum femur obvolvi poteſt.

Scapularũ dolorem mitigantia. 226. Pro mitigando verò dolore ſcapulæ, qui frequenter ad os usque adjutorii protenditur, inungatur Unguentum Alabaſtrinum, vel oleũ anethinũ & Chamæmelinum: poſtea ſacculus quadratus interſutus, ac ſale milioque frixis, furfure & flor Chamæmel. refertus calidè admovendus eſt, aut Emplaſtrum Crollii ſticticum, parciſſimè linteo inſtratum, inducendum.

De fœtore anhelitus.

227. Animæ Fœtor non ægrotantibus modò, ob continuam putridæ favillæ attractionem, fœdique tabi lentorem (quibus cordis facultas impendio vitiatur, maximam Sp Vitales jacturam & impuritatem concipiunt) eximiè noxius, ſed & adſtantibus moleſtus corrigitur Elixire proprietatis Theophraſti indidem aſſumto, Electuario Juniperino; Conſerva ſummitatum Quercus, Agerati & flor. Anthos, Miva Cydoniorum moſchata, Nucibus Myriſticis Indicis Conditis, ſaccharo roſato, cum Maſtiche, Garyophyllis, ac ligno aloes, ſucco ſalviæ, cum pulvere Garyophyllorum, Nucis Moſchcatæ ac melle ſubactis, Pilulis ex pulv. Garyophyllo Nuc. moſchatæ, Cinamomi, Galliæ moſch. Cyperi, Spicæ, Cort. Citri, ligni Aloes. ſucc. ſalviæ an. Drachm. j. Moſchi fini granis iij. Cum vino odorifero concinnatis: ſale imperatoriæ ac Perſicariæ Aqua flor. Roris marini, Vino ſaſſafrato, Rhabarbaro cum Maſtiche & ſacchato, quotidie maſticato, Balſamo Indo aſſumto & ſimilibus. Quin & extrinſecus aceto ſquillitico, decocto foliorum Menthæ ac ſerpilli, Vino Anthoſato, aqua Baccarum Juniperi, Rutæ ſtillatia, os frequenter eſt eluendum. *Fœtor antelitus.* *Animæ fœtorem corrigentia.*

Con-

Convenit etiam aſſiduò maſticare Radices Ireos, & Apii, vel Trochiſcos, qui

℞. *Pulv. rad. ireos Flor.* Drachm. j.
Moſchi gr. vj.
Extr. ligni Rhodij Scrup. ß.
Ol. cinamomi gr. ij.
ſacch. albi Unc. ij.

Cum mucilagine tragacanthi aq. roſar. elicita, fingantur globuli ſtellati. Quibus etiam adjungi poſſunt dentifricia, quorum conſignatio ex præcedentibus eſt ſumenda.

De Contractione & Convulſione.

Contractio & convulſio. 228. Familiare in hoc morbo poſt diuturnos dolores ac febrem eſt Cõvulſio, ſeu Muſculorum & nervorum præter voluntatem contractio, qua partes à Naturali figura deſciſcere atque atrociſſimo cruciatu non tarò infeſtari ſolent. Oritur magna ex parte poſt aliorum morborum curationem, quando nervi quidam, in quos vaporoſa virulenta ſuaque Natura & proprietate nervos parteſq; nervoſas infeſtans, materia ab hoc morbo reſoluta, decumbit, contrahuntur, ſua contractione partem, in quam inſeruntur, convellentes. Diuturnum hoc plerunque ſolet eſſe malũ, ob concurrentes ſępè numero viſcerum obſtructiones, quæ in non paucis, ratione cauſæ morbificæ, viſcidæ, ac frigidæ, graves ſunt, pertinaces expugnatuque difficiles.

229. Priuſquam humores concoctos atque ad eductionem idoneos cognoveris ſpecificamque affectus hujus putredinem in iiſdem deliteſcentem evictam eſſe perſpexeris, purgationes in hoc malo vix locum mereri videntur. Internis tamen magis, quàm extrinſecus ad admotis hęc curatio abſolvitur ſubſidiis, & plurimum auxilii poſitum eſt in abſinthii decocto aliquandiu uſurpato, & Electuario Juniperino, cujus etiam haud ita pridem meminimus, nunquam non propinatis iis, quæ à proprietate conferre, viſcera reſerare, & craſſa incidere atque attenuare ſolent. Huic etiam uſui, teſte Eugaleno, inſerviunt, Cochleariæ ſuccus extrictus, aliis, quæ febri medentur, admixtus, Enulæ Campanæ radices, Carduus benedictus, Fumaria, Hyſſopus, Betonica, Cuſcuta, Ceterach, utrumq; naſturtium, quandoque in duris etiam & gravibus corporibus, Raphani radicis ſuccus.

230. Interdum & nervi & tendines, præſertim in genibus aliiſve artium compaginibus, ſi humorẽ iſtũ ſqualidum copiosè imbiberint & rigidiora, atque ad modum ineptoria facta fuerint, inunctionibus fovenda ſunt. Huic inſuper inſerviunt linimenta, quæ

℞. *Vng. dialth.* Unc. j.
pingued. anſerinæ
porci caſtrati an. Unc. ß.
medullæ crurum vituli Drachm. ij.
Cervi Drachm. iij.
butyri ſine ſale
Ol. lini an. Unc. ß.
Floris lactis mortario plumbeo agitati

 an. ſeſ-

an. ſesquiunciam. *Cum ſucco Naſturtij bulliant in vaſe duplici ad ſucci conſum. ſub finem addendo ceræ novell. q. ſ.* Meæ inventionis eſt.

℞. *ſucci è fol. cochlear. expreſſi* Unc. j.
Ol. hypericonis
Verbaſci
ſambucini an. Unc. ß.
Coqu. ad ſucci conſumptionem. Expreſſo admiſce
pulv. Tacamahacæ Drachm. j. ß.
Balſami Indici Scrup. iv.
Fiat lento igne diligens agitatio, in fine addendo ceræ modicum. Tenſis etiam & contractis genuum compaginibus mirifice idoneum eſt, quæ

℞. *Ol. ſeſamini, non rancidi*
amygd. dulc. recens. expr. an. Unc. ß.
medullæ crurum bovis Unc. j.
Vnguenti de bdellio Drachm. iij.
ſevi caſtrati
pingued. Anatis
Gallinæ an. Unc. ß.
Vitella ovorum num. ij.
Croci Scrup. ij.
Comparetur ex univerſis linimentum, in quo prius quid Ammoniaci eſt ſolutum.

Præmiſſis efficacius eſt, quod

℞. *Ol. Chamœmelini*
de Caſtorio an. Unc. j.
medull. crurum bovis ſesquiunciam.
ſucci raphani
cochlear.
naſturtij an. Unc. ß.
Cum oleo communi ac cerâ conficiatur litus.

231. His interdum poſt uſurpata univerſalia ad genuum & lumborum tenſionem præmittatur Balneum, quod

℞. *Flor. meliloti*
Malvæ
Chamæmillæ an. Man. j. ß.
baccar. juniperi M. ij.
naſturtij aquat.
Becabungæ an. M. j.
Incidantur & coq. in ſ. q. aquæ ad Balneum.

Tandem etiam, his non conferentibus, lutum minerale, ſeu Thermarũ pluribus in ſubſidium vocari ſolet.

232. Ubi verò cum ambulandi impotentiâ etiam dolorum ac cruciatuum immanitas acceſſerit, hoc adhibere fomentum convenit.

℞. *Rad. malvæ utriusq.* an. Unc. j.
Ireos Unc. ß.
ſem. lini
fœnugræci an. Drachm. vj.
Flor. chamæmeli
meliloti
violar. an. M. j.
abſinthij
cochleariæ
becabungæ
naſturt. aq. an. Man. ß.
In aqua pluviali, vel hydrelæo coquantur, indidemque uſurpentur. Humore aliquâ ex parte digeſto & membris obſequentibus, Unguentum Dialtheæ cum Balſamo Indo affricandum eſt: Vel quod

℞. *Rad. Bryoniæ*
Cucum. aſinini an. Unc. j.
lumbricor. terreſtr. præpar. Drach. iij.
Elixentur in hydrelæo, donec contabuerint. Expreſſo admiſce. *Ol. li-*

Ol. lilior. albor. Unc. ß.
lini
Chamæmillæ an. Unc. j.
terebinthinæ aq. malvæ elotæ. Drach. v.
unguenti de bdellio Drachm. iij.
ſucci Cochleariæ Unc. j.
Ceræ q. ſ. pro unguine ſufficit.

De Epilepſia.

Epilepſia.

233. Ex monſtroſa Vaporum exſurgentium divagatione, majori vel minori malignitatis in iisdem conditione, & eorundem in ſinus cerebri irreptione, non rarò vel univerſi corpus tremor, ac brachiorum manuumque momentaneus rigor, vel convulſorii quidam in univerſo motus, ſubito ac præter rationem in cataphoram, paralyſin vel abſceſſum tranſeuntes, ſponteque nonnunquam evaneſcentes ac præter opinioné redeuntes exoriuntur. Quos tamen à Vulgari Epilepſiâ, morbi proprietate, pulſu, urina, veluti in ſignorum enumeratione relatum, differre conſtat. In harum ſubſidium uſurpare licet *anodynum Paracelſi ſpecificum; Liquorem auri, vel Magiſterium Solis Quercet: Eſſentiam Margaritarum; Aquam Theriacalem; Electuarium juniperinum, cum Magiſterio Smaragdi; Hydromel Antepilepticum ſpecificum Quercet: Magiſterium cranii humani; Tincturam vitrioli, oleum de Luna vel cruore Microcoſmi; Spiritum vitrioli, Veneris,* & id genus, quæ putredinem huic morbo propriam ac peculiarem atque evaporationum continuarum certiſſimam mineram remorari ac diſſipare nata ſunt; ſemper etiam admixtis iis, quæ Scorbuto ſunt dicata, illiusque malitiam infringere poſſunt.

Specifica ad Epilepticas convulſiones remedia.

De Mandibularum

Coarctatione.

Mandibularum Coarctatio.

234. Haud ita pridem accidens quoddam inótuit, præſertim in pueris, vel quotanis repetens, aut unà cum ætate pervicacius adoleſcens, licet hac etiam tempeſtate multos ex natu grandioribus corripuit, Genarum tantum coarctatio, ſeu quando Mandibularum cardo, ſubter aurium radice, ex humoris uberioris alluvie delirat, quaque una cum maſticandi officio, verborum in pronunciãdo explanatio enormiter lęditur.

Huic malo propulſando inſervit *Fotus ex decocto foliorum Althea, Violarum, ſem. lini, Fœnugraci, aut flos lactis roſcidus, in quo Chamæmolum Romanum, Violaria, parietaria, Radices liliorum, Althea & Acanthi, unà cum oleo & hydrelæo ebullierint.*

235. His ex voto parum conferentibus.

℞. *Rad. lilior. albor.*
althææ an. Unc. j.
fol. malvæ
violariæ
acanthi an. Man. j. ß.
anethi
calamenthi mont. an. Man. j.
Caricarum pinguium viij.
ſem. lini
fœnugraci an. Drachm. iij.

Comminuta decoq. in aquâ pluviâ, in fine addendo Vini quadrantem; vel in lacte recenti & Aquâ, aut hydrelao & cum ſpongia pro fomento tepidè adhibeantur.

Exterſa cute, tepidoque linteamine reſiccatâ, affricetur illitus ex flore lactis, pinguedine humanâ, vel Caſtrati, cum mucilaginibus ſem. Lini, Altheæ, Cydoniorum, Fœnu Græci, medullâ Cervinâ ac Vitulina.

Conducit & Caſſiæ Pulpamentum ebullientis lactis vigore extractum, vel unguentum Reſumtivum; aut quod

℞. *Mucilag. ſem. altheæ*
lini
fœnugræci
cum decocto ficuum extractæ an. Dr. ij.
Ol. communis recentis vel nucum aut amygdalar. dulc. Unc. ß.
lilior. albor. Drachm. iij.
anethi
lumbricorum
Malvatico ſæpius eloti Drachm. iij. ß.
roſacei
butyri recentis ſine ſale an. Unc. ß.
Pingued. gallinæ Drachm. ij.
Porcinæ Drachm. iij.
Ceræ q. ſ. Deducantur ad litus conſiſtentiam.

Huic ubi ſuccos ex Cardamine, Naſturtio, aut Cochleariâ addideris in diplomate ad ſuccorum dimacerationem decoctio ut fiat neceſſe eſt. In malo pervicaciori cardini maxillarum Emplaſtrum Stick̃icum Crollii, cum oleo cochleariæ ſub actum addidiſſe, haud abs re fuerit. Simili plane ratione, & remediis non procul ab hoc ſcopo deviantibus, Spaſmum Cynicum, & calcanei convulſionem emendare licet. *Spaſmi Cynici & retractationis calcanei medela.*

De Paralyſi Linguæ & crurum reſolutione.

236. Malum hoc non tam obeſos, quam macilentos incurrit, & cum primis illos, qui vitam colunt egenam ac duram, quique mœrore, ſordibus, & curis difficilioribus conficiuntur. In horum numero non paucis lingua reſolvitur, ac loquelæ uſus adimitur, Quartanis febribus ut plurimum ſuccedens, interdum etiam extra eaſdem, quanquam haud citra febrem lentam, ſitim, ac moleſtam oris ſiccitatem affligens. *Paralyſis linguæ & crurum reſolutio.*

Curatio in febris ac Scorbuti remotione verſatur, ita tamen, ut ob cauſam morbi frigidã, craſſam, Scorbutica medicamenta & quæ attenuandi, incidendiq; facultate pollent, numero gradu & dignitate ſuperent eâ, quæ calori moderando adhibentur. Sin autem radices egiſſe morbũ perſpectum ſit, ita ut compluriũ annorum decurſu juſto plus invaluerit, tunc ægerrimè removetur, & fortiora plerunque tam externa, quam interius propinata, requirit ſubſidia, ceu Balnea ſudorifera, & id genus, quæ tamen univerſa attenuandi, incidendi & calefaciendi vim nacta ſunt, neque ab alexiteria Scorbuti facultate abhorrent.

237. Qui unà cum Scorbuto viſcerum infarctus pertinaces in ſinu fovent,

vent, hi talibus ſimul indigent remediis, quæ obſtructa reſerare, & craſſa attenuare valent, in quo quidem caſu Enulæ Campanæ ac Scorzoneræ radices, Fumaria, Betonica, Abſinthium, Iva Arthetica, & utrumque Naſturtium, maximè ſunt frugifera.

Purgationi etiam maximè vacare licet, antequam humores ſufficienter ſunt concocti, ac ſpecificæ hujus morbi putredo evicta atque ſuperata. Quin & ſanguinis craſſioris abundantia, ubi febrem habet comitem, ſectione tollenda, poſtea febris & Scorbuto competentibus ſubſidiis expugnanda eſt.

Crurum paralyſis ut removenda. 238. Similem Curationis normam inſtituere licet, ubi vaporum frigidorum appulſu frequentiori eorundemque malignitate, unam ſaltem partem corporis paralyſis obſederit, qualis ſæpè numero cruribus, Arthriticis præſertim doloribus prius enervatis, contingere aſſuevit: vel ubi triſtis membrorum jactatio invaleſcit, levemque ſimul artus reſolutionem conjunctam habent, eamque ex paralyſi & convulſoriâ affectione mixtam. In hac enim dum Scorbuto mixti humores ſunt pituitoſi, aut concoquendi, aut poſtmodum concocti expurgandi, ita tamen ut remedia pro incidentium affectuum diverſitate, dolorum conditione ex variâ ſuccorum permixtione ſubinde immutentur; admixtis indidem iis, quæ medicaminum vim ad partem affectam deferre poſſunt.

De Caro & Veterno.

239. Ex ſubito & copioſo vaporũ ac flatuum in cerebrum impetu atq; effuſione, præſertim in febris Tertianæ acceſſione, ac recurrentibus paroxyſmis, alto ſapore non pauci opprimuntur, nullisq; vellicationibus aut clamoribus excitantur. Sociam plerunque febrem habet id ſymptomatis lentam, & intermittentem, ſublevaturque ſubſidiis putredinem huic malo peculiarem coercentibus, & febrem infarctusque reſpicientibus. In quorum tamen albo, experientiâ duce, ac Rondoletio teſte, Naſturtio Aquat. in locis minimè putridis ac lutoſis progerminanti potiores deferuntur partes, eoque peculiari facultate ipſius ſuccus, aliis remediis, quæ ad febres evertendas faciunt, permixtus valere creditur. His nonnunquam addentur clyſteres revulſorii, ex ejusmodi ſubſidiis concinnati, qui humores incidendo attenuant, & ſuccum melancholicum, aliosq; pro temperamenti & Victus occaſione eidẽ permixtos educunt. *Carus & Veternus.*

De Facie ſubtumidâ.

240. Ex morbi ejusque cauſæ reliquiis, inſufficienter expurgatis non parum ſæpè fit, ut propter flatuũ copiam, quibus hæc materia abundat, levi tumore ac inflatione poſt febres ſuperatas, facies intumeſcat. Eâdem hac facilitate, quâ apparuit, evaneſcit, exhibito loco pharmaci ex Fol. ſenæ ac Rhabarbari infuſione, aut vi- *Facies ſubtumida.*

no quodam exolvente, & per dies ſatis multos hoc in aurorâ uſurpato decocto, quod

Decoctum ſudoriferũ ex China.

℞. *Rad. Chinæ* Unc.ij.
ſarſæparillæ
ſcorzoneræ an. ſesquiunciam.
glycyrrhizæ Drachm.vj.
ſem. melonum
Cucumer. an Drachm.ij.
fol. Becabungæ Man.j.ß.
Cochlear. Man.j.
flor. bugloßi Man.ß.
paſſular. minor. Unc.ij.
Cornu Cervi uſti raſi Unc.ß.
ligni Rhodij Drachm.iij.
Cinamomi Drachm.ij.

Ex rudiuſculè comminutis paretur cum aquâ hordei vel jure Gallinæ inſulſo decoctum, pro ciendo ſudore maximè accommodatum.

De animi deliquio, ac Virium attritione.

Animi deliquium.

241. Ob vaporum, quibus ſcatere materia ſcorbutica conſuevit, ubertatem, anxietates crebertimæ & languendi neceſſitates evidens, quæ tamen medicamentis idoneis diſcuſſa facultateque ſuâ eliſa, eâdem, quâ prius vehementiâ inſurgunt, priſtinamque ferociam repetunt. In hac ſemel diſplosâ medicamentorum operatione eadem die frequenter ſunt reiteranda: Plurimi etiam, qui pulſum fovent languidum ac parvũ, ſe crebrũ & vermiculantem, ob animi deliquium, quod ſurgentibus aut leviter ſeſe commoventibus iminet, de lecto temerè non dimovendi. Vitali namque facultati morbus hic extremè, & quidem proprietate ſuâ deleteriâ adverſatur.

Cordi ſubſervientia Medicamenta.

242. Huic malo ſuccurrere licet, ſoluto Margaritarum, ab Eugaleno in hoc caſu inſigniter celebrato, ſyrupo perlarũ; Aquâ Antimelancholicâ Evonymi; argento potabili; Eſſentiâ ſangv. hum. vel Flor. Bugloſſi aut Cardiacæ; Deſtillato cornuum cervinorum, vel Carnium pulli Gallinacei, Floribus Cardiacis infarcti; Confectione Alchermes; Julepo de pomis, Croci Eſſentia, aqua vitæ extracta: Vel quod mire ſolent eſſe virtutis:

℞. *Palv. ſem. erucæ albæ* ſesquiunciam.
Conſerv. flor. garyophyll. Unc.j.
Extr. gran. juniperi Unc.ß.
Confectio alchermes ſesquidrachm.
Carnium citri. condit. & minutim inciſor. ſesquiunciam.
Conſerv. fol. cochleariæ veræ Unc.iij.
ſyr. de Canella Unc.j.

Et F. ſ. a. cum ſyrupo de ſucco Granatorum Electuarium juſtæ conſiſtentiæ.

De Reſpirationis difficultate.

Reſpirationis difficultas.

243. Ex univerſo accidentiũ grege, quæ morbum hunc comitari ſolent, nil reſpirationis gravitate vulgatius eſt, qua plurimi ob anxiam diaphragmatis compreſſionem, cordisque ad orificii ventriculi anguſtiam deliquio animi, ſubitò extinguuntur ac pereunt. Hujus pro vehementia ac ſævitia mali, aut renitentis Naturæ robore & imbecillitate, acceſſiones modò ſunt longiores, modò breviores. Argumentum ipſius exhibent, eandem-

eandemque arguunt, compreſſio ſub Diaphragmate, indidem recurrens; lividus faciei color, in iis præſertim, qui craſſo ac melancholico diffluunt, abundantque ſucco; poſt levem morum aut ejectionem anguſtia, & ſpirandi neceſſitas, labra genęq; ſubfuſco, aut livido colore præter conſuetudinem ſuffuſa; pulſus huic morbo familiaris, parvus & inæqualis: ac pertinacius fatigante affectu, ægrotautium languor, vel crurum gravitas, vel obtuſus eorundem ſenſus, vel dolor partium quorundam acutus, & ab aſſumto Cathartico in ægrotis difficilima reſpiratio.

244. Medelæ formula eſt, ut craſſa viſceribus infarcta hujus morbi materia primò omnium incidatur, & attenuetur, ne mota & conturbata vehementiores pariat anxietates: Deinde eadem eliminetur: ac poſtmodum, quæ huic morbo à proprietate reſiſtunt, adhibeantur, in quorum cenſu præ reliquis cochleariæ ſucc⁹ peculiari dote comendari ſolet

245. Quia verò cum hoc ſymptomate febris & obſtructiones pertinaces ſubinde concurrunt, ideò ſubſidiis iſtis, quæ ad hunc morbũ uſus probavit, admiſcenda ſunt, quæ febrem mitigant, & infarctus demoliuntur: Ceu ſunt cuſcuta, ceterach, Carduus Benedictus, Abſinthium Rom. Fumaria, Betonica, & his cognata alia: habitâ ſemper cum Aeris, in quo degitur, tum victus in ægrotante ratione. His verò parum emolumenti conferentibus, prædictis ſemper addendæ ſunt ſpecies pleris Sarchontici, Extracta Cordialia, Confectio Alchermes, & id genus. Iſtam enim humorum attenuationem & præparationem aliquandiu urgendam eſſe ratio ſuadet, nunquam non cathartico mitiori primasque venas minimè tranſeunte, admixto.

De Pleuritide notha.

246. Inter atrociores, quos Scorbutici ſuſtinere conſueverunt, cruciatus numerantur & illi, qui falsâ pleuritidis ſpecie & imagine ægrotos graviſſimè exercent, quiq; dolore per intervalla, ac de die ſubinde repetenti, ſiti parum moleſtâ, levi tuſſi ac reſpiratione extra dolorem parum aut nihil evariante, affligunt. Curatio ejuſmodi ſubſidiis abſolvitur, quę morbum hunc à proprietate reſpiciunt, & lentam ſimul exſtinguunt febrem, præmiſſo tamen clyſtere alvi ſaburram educente. His adjungantur pro latere dolente Topica, ex baccis lauri, ſeminibus flatus diſcutientibus, milio & ſale, lienis ſacculis interpaſſatis ad mota. Ab hoc etiam ſcopo non diffident, Theriaca Andromachi, Conſe v. flor. Papav. errat. ſpiritus Tartari, ſulphuris butyrum, Oleũ ſanguinis humani, Aqua Theriac. Crollii, & hujus claſſis alia. *Pleuritis notha.*

De Phthiſi, Atrophiâ, ac membrorum Contabeſcentia.

247. Specificam humorũ corruptionem *Phthiſis & atrophia.*

nem inducente malo Scorbutico, ſuæque malitiæ incommoda in univerſo corpore vel in parte quâpiam exercente, non pauci ad extremam deducuntur maciem, citra omnem à veteribus cognitam rationem, atque æſtuantem calorem cordi infixum, contabeſcunt, omnibusq; ſuccis benignis, ex habitu carnoſo ſpoliantur; pulſum debilem exilem & inæqualem, Urinasque craſſas, ſublividas, & ſubfuſcas habentes, deque anxietatibus ad præcordia infeſtantibus, indidemque recurrentibus, ſæpè etiam de maculis in toto corpore, aut cruribus efflореſcentibus, diuturno corporis languore, cum multo animi dolore conquerentes.

248. Curatio verſatur in decenti rerum non naturalium proviſione, & ſubſidiorum uſu, quæ præter peculiarem cum hoc morbo ἀντιπάθειαν, tenues & crudos, vel craſſos, frigidos ac melancholicos humores concoquunt, attenuant, incidunt, idque pro corporum & cauſæ morbificæ diverſitate. Huic intentioni inſerviunt Card. bened. Abſinth. Roſæ, Cochlearia, Trifol. aquat. Becabunga, utrumque Naſturtium, & ſi humoris melancholici adeſt pleonexia, meatuumq; infarctus contumacior, cuſcuta, ceterach, ſcolopendria, Epithymus, Bugloſſum, polypodii querni radices; vel ubi crudorum humorum dominatu corpus tenetur, Enulæ campanæ radices, hyſſopus, Betonica, Macis, Cinamomum, & his affinia.

294. Ex iſtis concinnatum hunc in modum decoctum maximè frugiferum eſt. *Decoctum in Atrophia.*

℞. *Cort. rad. cichorij*
petroſelini an. Unc. ß.
fol. ſcolopendriæ
Cichorij
Ceterach
Bekabung
Cochleariæ
Fumiterræ
Agrimoniæ
abſinthij Rom. an. Man. ß.
Flor. cordial. an. pug. j.
ſem. aniſi Drachm. j.
endiviæ
agni caſti an. Drachm. vj.
Cort. rad. capparum Drachm. iij.
Fiat in aqua communi aut cereviſia decoctio pro ℔. j. ß.
Colaturæ adde
ſyr. ſcelotyrbici ſesquiunciam.
de fumaria
cichor. cum Rhabarb.
Endiviæ an. Unc. ß.

Liquor etiam ſtillatitius, ex prædictis comparatus, magnum rebus ægrotantium afflictis afferre poteſt emolumentum. *Deſtillatū.*

250. His ſubjungantur ſyrupus Scelетyrbicus Foreſti, ex cochleariæ & Becabungæ ſuccis, cum ſaccharo paratus; Mixtura Antihypochondriacea noſtra; & quod huic affectui accommodum eſt, & efficaciſſimum ſubſidium Lac caprinum, cum modico mellis aut ſacchari diſcoctū, cui etiam Cochleariæ germina vel Thymū ac ſub ebullitionis calcem, croci pauxillum

pauxillum admiſcere licet. Et huic ſubſidio tanto magis confidendum eſt, innitendumque, ubi ante lactis uſum capras à plantis, morbũ hunc à proprietate reſpicientibus, ceu foliis ac floribus Acetoſæ, Naſturtii utriusque, Trifolii Aquatici, Becabungæ, Cochleariæ, Nummulariæ, Raphani ſylveſtris, aliisq; uſu & experientiâ, probatis, nutriveris. Victum quin etiam calefacientem, attenuantem & incidentem præmiſſis adjungere licet: è contrà verò devitentur aquę crudæ, ſalſæ ac ſublimes, & quæ ex his comparantur cibaria. Ac licet curatio ſit prolixa ac tœdioſa, verno tamen & æſtivo tempore felicius, quam hyberno pertexitur.

Artus marceſcentes roborantia. 251. Sin verò membra non tantum rigent, ſed & propter labefactatam corporis œconomicã, alimenta corrumpuntur, artus marceſcunt: ſtrigoſioresque evadunt, Unguentum reſumtivum, quod & recreat, vimque blandè emolliendi obtinet, utiliter uſurpatur. Cui intentioni etiam inſerviunt, Aqua Epatis vituli nigri affricata; Cancrorum & ſanguinis humani liquor deſtillatus, linteis, extrinſecus admotus; oleum Vermium terreſt: & ranarum cum inſeſſibus ex Cochleariâ & Becabungâ paratis. Quibus etiam autumnali tempore ſubjungendus eſt vinaceorum uſus, quibus per 20. dies adhibitis, genuũ crurumq; diuturnus tumor, ac tibiarum maxima extenuatio, cũ exiguo ſenſu, aliis non conferentibus ſanari viſa eſt, articulis, nervisque omnibus roboratis ac motu, ſenſuque recuperatis. Idque ex Donati Altimari *l.1. de Vinaceis* teſtimonio,

De Tuſſi.

Tuſſis. 252. Ex deſtillantibus ad pectus catarrhis tuſſicula quando invaluerit prædictis addentur hordeum depilatum, Jujubæ ac liquiritiæ modicũ. Vel ex Tragacantho in vino generoſo ſoluto, cum amylo & ſaccharo pro uſu quotidiano effingantur Trochiſci Bechici, ſub linguâ retinendi. A quibus ubi tuſſis nondum perfectè mitigata fuerit, ſomnusque interrumpatur, ad humores tenues, pectori incũbentes incraſſandos etiam ad pilulas de Cynogloſsâ, aut Laudanum noſtrum, ſeu Philonium Libavii granorum triũ pondere, Conſerv. flor. violarum admixtum, aut ſyrupo de papavere ſolutum, deſcendendum eſt. A quibus tamen in virium debilitate inſigni, & ubi excrementorũ alluvione pectus ferè opprimitur, cavendũ.

Craſſos in Thorace humores incidentia. 253. Quando etiam in Tuſſi expectorantibus opus fuerit, ſintque humores craſſi ac viſcidi, tunc à nimium refrigerantibus omninò abſtinendũ, & potius ad craſſos humores incidẽtia confugiendum eſt: ceu ſub Lac ſulphuris, Spiritus vel Tinctura Casſiæ; Electuarium de ſulphure; Quinta mellis Eſſentia; Extractum granorum juniperi cum Ambra & Enulæ camp. extracto, Melicratũ Hollerii: Antidotus Bechica ejusdem; Mixtura ſtyracina ejusdem; Loch ex Butyro, Saccharo aut Terebinthina Rondoletii; Loch de Althea, Quercetani

& Fernelii; Loch paſſulatum & id cenſus alia.

De Vomitu & Nauſea.

Vomitus & Nauſea 254. In vomitu Scorbuticis proprio, atq; à malignis venneatisq; putredinis juxta ſplenem ut plurimum reſidentis, vaporibus & fumis concitato, ſubinde recurrente, & in quo multo conatu, parum aut non niſi aqueũ quod per intervalla ejicitur, nullus omninò medicamentorũ, quę ad vomitum ex ventriculi vitio aut aliunde dependentem præſcribuntur, percipitur uſus; quin potius omnia ab iisdem retro ſublapſa referri conſpiciuntur: eò quod adſtrictionis facultate, quæ ſtomachicis magnâ ex parte ineſt, ſunt prædita, ideoque materiam (quæ & craſſa & frigida eſt) circa præcordia conſtringuntur altiusque imprimunt. Unde major noxa, quam alleviatio, ſequi conſuevit.

265. Huic intentioni inſerviunt, quæ unà cum attenuatoriâ & inciſoriâ facultate ſucculenta ſunt, & mediocriter calefaciunt, ceu Becabunga, Cochlearia, Utrumque Naſturtium, Trifol. aquat: Nummularia & hujus farinæ alia, eaque vel lacti (Hoc enim, ut & lacticinia omnia, ſic affecti nullo valetudinis incommodo, retinere ſolent) incocta, aut cum brodio gallinæ exhibita. Iisdem in Febribus ardentibus addere licet & Acetoſam nobilem ac rotundi foliam ejusque ſuccum.

256. In obſtructionibus huic malo aſſociatis validioribus rem agendam eſſe ratio ſuadet, ceu Fumaria, Cuſcuta, Ceterach, card. Benedicto, Abſinthio Rom. Chamœmel. Betonica; Vel ſi pro Temperamenti ac Victus ratione pituita affluerit, hyſſopo ac rad. Enulæ: ita ut pro humorum permixtorum, connexorumque affectuum conditione ejusmodi eligantur, quæ adverſus hunc morbum facultatem poſſident deleteriam. A purgantibus autem tamdiu revocandus & animus, donec concocti ſubactique ſunt humores, ac mitigata Febris. In frigidâ quin etiam cœli conſtitutione hiſce remediis ſemper aliquid de Cochleariæ ſucco addere convenit.

De continuâ aquei & crudi ejectione.

257. Ob putridos atque ex incommoda Victus ratione, craſſorumque *Sputatio continua.* ciborũ uſu, circum viſcera collectos humores varios, quibus deinde perpetuum alimenta aſſumta præſtant fomentum, in eandemque ſubſtantiam maxima ex parte converſa, continuò veluti æſtu, ſpirituumq; evaporatione, nonnunquam magna crudi & aquei ſucci vis ſurſum ad os evehitur, ac jugi ſputatione educitur: ſimili propemodum ratione, qua argento vivo inuncti moleſta tenuis ſputi ab ore defluxione vexantur. Quo in caſu ad affluxus conditionẽ potiſſimum eſt reſpiciendum, idque ne ab acribus ac calidis medicamentis irritetur, & uberiorum vapor fumorumq; in cerebrũ appulſu præter modum concreſcat, atque in pectus

delatus

delatus gravioris periculi metum concitet. Ex longiori hujus ſymptomatis mora non pauci contabeſcere, ac tam inſignem faucium ac linguæ exulcerationem incurriſſe viſi ſunt, ut ob ſalſæ ſpumoſæ nitroſæ, ac tenuis materiæ affluxum largiorem, & uvulæ parte conſumta exeſaque, ſonus per nares exire, ac partes iſtas maximum incurriſſe diſcrimen deprehenſum ſit: quæ tamen propter hujus morbi commixtionem, qui curationem ulcuſculorum diu remorari conſuevit, medelam difficillimè admittunt. Rectiſſimè autem ab urinis, groſſis, rubris & ſubfuſcis cum ſedimentis copioſis, groſſis, rubentibus ac furfuraceis, anxietatibus variis recurrentibus, languore ac nervoſi generis debilitate dignoſcitur.

258. Diuturnior hæc ſolet eſſe curatio, propter inſignē, quæ huic malo ſubinde conjungitur corporeæ molis extenuationem, quam lentus calor & ſummi ex hac putredinis minera, Cor indidem affligentes, fovent. Acria vero & hunc morbum minimè reſpicientia, penitus devitentur, eo quod ſanguinis ſputum & ex aperta in Thorace vena ſuffocationem exinde non paucos incurriſſe conſtat. Medelam itaque non tam ad febriculam & ſcorbutum, quam ad prædictam fluxionem, præſertim ubi ſalſedinis ſimul particeps fuerit, dirigenda eſt, & ne à nimium acribus exaſperetur, irriteturque maximopere cavendum. Qui firmitatem corporis mediocrem adhuc fovent, in faucium ac linguæ eroſione diuturna, hoc Nodulo, pro catarrhi ſalſi jugiter affluentis, expiatione, uti poſſunt.

℞. *Rad. polypod.*
ſarſæ parillæ an. Unc. j.
hermodactylor. verorum Drachm. vij.
ſquinanthi
ſpicæ an. Drachm. ß.
pulpæ colicynthidos
Cort. myrobal. chebul. præpa. an. unc. ß
turbith albi Drachm. iij.
fol. ſenæ Unc. ij.
Garyophyl.
macis
ſandali albi an. Drachm. j.
ſem. fœniculi
carvi an. ſeſquidrachmam.
flor. geniſtæ
violarum an. Man. ß.

Obiter confracta in vaſe vitreo, accuratè perlutato, macerentur in vini Rhenani opt. ſuff. quant. ad calorem lentum Balnei Maris, per quinquendium, vel in cellario aliquandiu infundantur. Horis matutinis, vel ante paſtum ſingulis, vel alternis diebus, de colatura Cyathus uſurpetur.

Neq; inutilis præſenti in caſu, hujus Electuarii poſſet eſſe uſus, quod

℞. *Extracti ligni ſancti* Drachm. iij.
ſaſſafras Drachm. ij.
melliginis granor. juniperi Unc. j.
pulv. rad. ſarſæ parillæ ſeſquiunciam.
Chinæ
Cort. ligni ſancti
rad. calam. aromat.
Cort. ſcorzoneræ condit. an. Drachm. vj.

Citri condit. Drachm.x.
conſerv.foliorũ cochlearia vera Unc.x.
flor.Bugloßi Unc.ij.
Cum ſyrupo de pomis, concinnetur ex mixtis Electuarium.

Quibus nonnunquam ſuffitus ex Cinabrii pilulis, docente Eugaleno, vel ligni Indici,aut ſarſęparillæ decoctum adjungi poſſunt.

De languore ſine cauſa.

Languor ſine cauſſa. Scorbutum etiam non rarò detegit languor inuſitatus,citra evidentis morbi ſignificationem invaleſcens, quoq; priſtinum robur ac florem ſibi potius adimi,quam ægrotare ſic affecti conqueruntur, idque ſine ſiti & levioris ſiccitate;quę tamen nonnullis ubi moleſtior fuerit, modica humidi aſſumtione confeſtim placatur, largiori verò maximè offenditur. Hoc malum initio quidem lentũ ac levidenſe eſt, progreſſu tamen temporis ubi vires acquiſierit, multarum ſeptimanarum ac menſium complurium ſpatio affectos lecto affigit, & nonnunquam haud ſine præſenti Vitæ diſcrimine, in graviora mala, ceu obtuſum dolorem, inſignẽ ad lipothymiam ſubeundam pronitatem, Atrophiam, ac mortem denique ipſam præcipitat.

260. Ejusmodi ſuccurritur huic malo remediis, quæ crudos humores concoquunt & incidunt, additis ſemper iis,quæ adverſus ſcorbutum valere uſus demonſtravit. Ideoq; in aere minus craſſo commorantibus haud inutiliter uſupantur Cochlearia ac Becabunga, unà cum germinũ iſtorum ſuccis. In locis vero humidis,ſeptentrionalibus,ac frigidis fortiora quæq; magis attenuant & incidunt,locum merentur. Quibus interdum adjungere licet ſyrupũ perlarum,corallorũ ac de capone, Analeptica & reſtaurantia medicamenta omnia, Deſtillata carnium vitulorũ, cancrorum & aliorum animaliũ, cũ Alexiteriis ſcorbuticis, Eſſentiam ſanguinis humani Cochleariæ,Becabungæ & ſimilium, Conſummata, Expreſſa,contuſa,& jura tortiva.

De Calore momentaneo & phlogoſi faciei.

261. Huic affectui non admodum diſſimilis eſt momentaneus faciei color eandem æſtu ſubitaneo inflammans, ac præter opinionem ſubinde recurrens. Mulieres ubi affligit hic ardor,menſium profluvium ut plurimum inducere ſolet, pulſum exiguũ & inæqualem cum languore excitat, non rarò, ubi tacitis ſymptomata inſurgunt incrementis, in manifeſtum aliquem morbum,ceu nervorum reſolutionem ac debilitatem,Atrophiã vel aliud incommodum etiam citra appetitus iminutionem erumpunt. Quæ ſane univerſa propter vaporum malitiã,qua præditi ſunt, qui ab hac corruptione ſcelotyrbica, diſſolvuntur, uſu venire ſolent. Conferentia huic ſymptomati remedia pro temperamentorum diverſitate, ac varia humorum putreſcentium confuſione, immutare neceſſum eſt, additis ſimul humorẽ vitioſum concoquentibus & ad expulſionem præparantibus, *Calor momentaneus.*

tibus,

tibus, radice etiam morbi ſcelotyrbica ſpecificis quibuſdam exploſa.

De ſudore copioſo.

Sudor copioſus.

262. Ab hac curationis formula, nequicquam diſcrepat ea, quę ſudori copioſo, qui Atrophiam & univerſi corporis depaſtionem magna ex parte præcedere conſuevit, debetur, quique ſub tegumentis leviſſimis, etiam in media hyeme erumpit, & quo copioſius profluente, unà cum lenta febre nõ rarò maſſa ſanguinea glutinis in modum inſpiſſatur, qua etiam ſpiſſitudine ac pravitate nervi ſæpius contrahuntur, ut cibum taliter affecti ab aliis petere cogantur.

De alvi profluviis.

Alvi profluvium.

263. Quæ ſcorbuti ratione contingunt alvi profluvia, majori ex parte egeſtiones referunt compactas, copia cibum ingeſtum excedentes varii coloris, veluti cinerei & nonnunquam herbacie, atque ab aliis egeſtionibus, quantitate excretionis modo, qui nonnunquam ad quinquaginta ſeceſſus citra tamen alleviationem, & anxietatum imminutionem excreſcit differentes: quandoque tamen cum maximis ventris lancinationib⁹, per intervalla refluentes, nulla interim Naturæ Criſi, aut materiæ morbificę per has dejectiones facta expurgatione, niſi ſimile quoddam profluviũ ex humoribus aliundè ad inteſtina confluentibus, huic miſceatur. Quod etiam de mendaci Dyſenteria, in qua ſanguis craſſus & feculentus in venis abundans atque ſine aliarum fœcum permiſtione, omnique prorſus lancinatione, deſcendit, ſubaudiendum.

Medicamentis adſtrictoria vi pollentibus alvi profluvia ſcorbutica non corriguntur.

264. Alvi fluores iſti corriguntur primò venæ ſectione, ubi menſes, ac hæmorrhoides ſubſtiterint: Deinde iis, quę Alexiteriam adverſus ſcorbutum facultatem obtinent, & hac ratione mali causã ſubmovent. Haud quaquam adſtrictoria vi pollentibus medicamentis res agenda erit: Iſtis enim ſic affectis in ſummas anguſtias & extremam quandoque reſpirationis egeſtatem, incurrunt, præſenti cum deliquii aut ſuffocationis periculo: eò quod materiam (quæ cum craſſa ſit dilui poſtulat & incidi) circum præcordia & viſcera conſtringendo fortius impingat, & putrefactionis fomitem mirifice adaugeat: Qua quidem adaucta evaporationes ab eadem provenientes ac ſuperiora petentes accumulantur, Cor & præcordia iiſdẽ comprimuntur, prædictiſque affectibus, uti & gravioribus aliis, prę ſertim ubi cerebrum fumi iſti præter modum repleverint, certiſſima ſuppeditatur occaſio. Neque ad materiæ diverſionem, ſudoriferorum noxius eſſe poteſt uſus, maximè ubi ſingulis doſibus ſucci Cochleariæ quid admiſcetur.

De Ventris & inteſtinorum lancinationibus.

Ventris dolor.

265. Dolores, cruciatusque Ventriculi, inteſtinorum, quibus nonnunquam & membranarum, muſculorum, totiusq; abdominis lancinatus copulantur, ut creberrimi ſunt, ita variis injuriis dictas jam partes exulcerant, ac diſcindunt, tantàque vehe-

mentia viſi ſunt quandoq; invaluiſſe, ut ægrotorum corpora ad extremam ſæpè deduxerint tabem, non rarò etiam ad peritonæi rupturam, ac paralyſin, præcipitarint, à quo effectu ſcorbutum etiam hoc nominis aſſequutum eſſe vero conſentaneum eſt. Non continuo tamen ſic diſpoſitos, ſed per intervalla dolores isti exercent, cum pulſu parvo & inæquali.

296. Curatio Medicamentis peragitur, quæ hunc morbum proprietate quadam reſpiciunt, à quibus etiam non abhorrent Elixire proprietatis Theophraſti Crollii, Cochleariæ liquor rubicundus ac dulcis per digeſtionem ſufficientem depuratus; mixtura noſtra antiſcorbutica, frequenter exhibita, & vinum antiſcorbuticum.

267. Ubi febrem ſociam nacti ſunt iſti cruciatus, & ægrotantes plurimo calore æſtuarunt, in ſeri caprini Unciis quinque infundatur per noctem Fol. Cochleariæ veræ Man. ij. vel in balnei maris tepido excoquantur: expreſſo demum ſyrupi ſcelotyrbici, aut de ſucco Acetoſæ Unc. ij. admiſceantur, ac frigidè propinentur. Et hac ſanè methodo Febris & ſcorbuti Curatio ad finem uſque mali pertexenda eſt, in eaque perſeverandū.

De Hydrope.

Hydrops. 268. Quos diutius affligit morbus, & in quibus paulatim increſcit, neq; temperies corporis reluctatur, iis nō crura modo, ſed & venter inflantur, atque in hydropicum ac renitentem tumorem attolluntur: Idque partim craſſo ac melancholico humore viſcera infaciente, ut manifeſto tumore intuentium oculis nonnunquam ſeſe offerant, vel ſubſtantia eorundē à virulentorum ac putridorum vaporum appulſu debilitata: Quibus poſtmodum labefactatis ſemel facultates eorundem oblædi corruptionisq; ſuæ notas etiam alimentis ingeſtis communicari certum eſt: unde nutritione corporis minus idonea reddita, cum amplius à calore innato dirigi nequeat, Naturæ niſu fortiori ad remotiores corporis partes devolvuntur, quibus ſuperfluū amplius non recipientibus intrà viſcera hærent, ac tandem in abdomen demandantur, aqualiculo, ac tenſo tumore illud elevantia, falſaque hydropum ſpecie ægrotis ac Medicis impotētia.

269. Reſpuit & hic affectus vulgarem illum ac tritum curationis modum hydropi competentem, adeo ut experientia docuerit, haud paucos intra Medicorum manus expiraſſe. Nullis enim aliis ſubſidiis, niſi quæ incidendi attenuandique facultate prædita ſunt, gaudet, nunquam non admixtis iis, quæ ſcorbuto peculiari dote reſiſtunt. Quin etiam uſus monſtravit, remotis infarctibus meatibusque recluſis, unaque ſcorbuto curato, præter opinionem, etiam ſine purgantium uſu, tumores iſtos evanuiſſe.

270. Sin vero nec ſic quidem voti compos fieri queas, tum exhibito catharrico quodam, humorem melancho-

lancholicum à proprietate ducente, haud quaquam tamen in mali exordio, ubi ægerrimè ab ægrotis ſuſtinentur, exvolventia, atque digeſtioni prius ſufficienti peracta, ſuperflua ſunt exturbanda, ſemper tamen admiſcenda, quæ ſpecifica erga hunc morbum dote gaudent. Id quod etiam in obſtructionibus venarum Meſaraicarum, magnaque in viſceribus congerie, qua Epar ac lien intumeſcant, notandum.

271. Febrilis caloris notæ, ac ſitis ubi adfuerint, idoneis medicamentis, quæque incidendi pollent facultate, res ægroti afflictæ ad temperiem revocandæ ſunt.

In craſſioris ſanguinis pleonexia aut conſuetæ evacuationis remora, venæ ſectio adhibenda, & evacuatio intermiſſa provocanda eſt, tantum ſanguinis adimendo, quantum morbi & virium ratio ſuſtinere potis eſt. Quo in negotio hæmorrhoidum reſeratione, ob atri ſanguinis ubertatem, nihil ſalubrius erit. Quæ intentioni Medentis, ob Naturæ defectum, ubi non ſatisfecerit; venis ani turgentibus ſanguiſugæ erunt admovendæ, aut vena tali recludenda modicis tamen vicibus ſanguine ademto, niſi plethora adfuerit, & craſſo copioſoque ſanguine ægroti corpus diffluxerit.

Veſicalis hydropis curatio.

272. Iiſdem medendi ingeniis ſublevatur Hydropis ſpecies, quam à Veſicarum, toto corpore extuberantium forma veſicalem indigitant; in qua tamen, peracta interiorum viſcerum providentia, ad Topica deſcendendum, & quidem ex iis parata, quæ diſcutiendi, diſſolvendique vim poſſident: Ex quorum albo ſunt, Abſinthium, Ruta, Artemiſia, Chamæmelum & hujus cenſus alia: Vel Pulticula ex lupinorum, Abſinthii, & Chamæmeli polline, cum oxymelite ſubacta, cruribusque linteis duplicatis admota.

De doloribus crurum ſcelotyrbicis.

Dolores crurum.

273. Succo gravi, lutoſo, ac terreſtri in compagines artuum & muſculorum fibras ſeſe furtim inſinuante, eaſdemq; largiter perfundente, unà cum rigore, crura non tantum ad quasvis operas ineptiſſima ſegniciè pigreſcunt: Verum etiam gravi ac velut abſtruſo obtuſoque dolore exaſperantur, qui in ſuræ, tibiarumque muſculos, & vicina alia nervoſæ corpora penetrans, plurimis lancinationibus moleſtus eſt.

Unde varia dolorũ in cruribus facies.

274. Varios hic induere mores cõſuevit, & à conſuetudine alienæ obaudiuntur ab ægrotantibus querelæ, neque aliter ipſum explicare poſſunt, quam quod in oſſis ambitu, inter eundũ percipiunt dolorem tenſivum, nonnulli obtuſum, quidam mordicantem, multi pungentem & erodentem, haud pauci & gravem ac prementem, quandoq; etiam cum manifeſta ſurarũ in cruribus duritie, tenſioneq; conjunctu; Quibus etiam haud abſimilis eſſe conſuevit, atque

ſi mal.

ſi malleolis contuſa crura circumferant. Qui ſane cruciatus diſpares haud aliundè prodeunt,quam quod à minera mali deſcendentes vapores crurum muſculis & membranis eorumque nervis, aliisque partibus diverſimodè immiſcentur. Ideoque majori ex parte non continuò infeſtans, ſed per intervalla recurrens conſuevit eſſe dolor, ac ſub noctem præcipuè ingraveſcens, omnemque lecti uſum ægrotantibus quandoq; invidens. Quamvis interdum ſub veſpera nonnunquam & poſt intempeſtam noctem exaſperari, & ſæpiùs etiam à catharrico aſſumto ingruere ſoleat.

277. In hujus mali(quod ex pulſu inæquali & parvo perſeverante præter rationem urinarum ſubſtantia craſſa, ac perturbata, ſedimento vario ac pingui earundem ſuperficie, dolorisque, viciſſitudine dignoſcitur) ſubſidium exhibeantur medicamenta cruditatem concoquentia nunquam non admixtis iis, quæ adverſus hunc morbum pugnare uſus docuit, ceu Becabungæ decoctum, ejusque recens expreſſus ſuccus: Deſtillatum Antiſcorbuticum, Mixtura Antiſcorbutica, cujus Unc. ß. vel amplius, ſequenti decocto ſoluta plurimum in hoc affectu ponderis obtinet.

℞. *Rad. ſcorzoneræ*
ſarſæparillæ an. ſesquiunciam
Chinæ Unc. j.
glycyrrhizæ
polypodij an. Drachm. vj.
fol. Becabungæ recentis Man. ij.
Cochleariæ
flor. violarum
bugloſſi an. Man. j.
ſem. 4. frigidor major. an. Drachm. ij.
paſſular. Drachm. x.

Obiter comminuta in aqua hordei vel brodio gallinæ ſ.q. Vaſe vitreato, hermeticè occluſo, ebulliant, ac bis de die uſurpentur.

Dum autem hiſce medicamentis incumbitur, crura linteis duplicatis, ac calidis involvuntur, prius Becabungæ & Cochleariæ decocto imbutis.

De Tumoribus crurum Oedematoſis.

278. Majori vero ex parte crura tumor cachecticus, mollis, laxus, pituitoſus, & indolens obſidet, humore magis impetu ſuo, quam Naturæ ductu, ad partes extremas devergente. In iis autem, qui atræ bilis dominatu tenentur, & quibus hypochondria fecatæ bilis copia ſunt obſita, limus ſanguinis tibiarum carnem, à caloris fomite, & ſanguinis fonte longius remota, circumfundit, atque in tumorem effatu dignum & retinentem effert. *Tumores crurum oedematoſi.*

279. Curatio verſatur in iſtorum ſubſidiorum uſu, quæ ſcorbuti radicem tollunt, turbatam Epatis coctionem reſtaurant, obſtructiones viſcerum removent, humoresque craſſos & melancholicos digerunt, & incidunt. Accuratiſſimè autem in hoc caſu advertendum, quoties in remediorum ad hunc morbum facientium

cientium uſurpatione urinæ tenues perdurant, cum morbi incremento, vel iiſdem craſſis ac ſubſidentibus, affectus nil remittit, tunc omnino medicamenta requiri validiora atque ad radicem morbi excidendam fortius incidentia ac attenuantia.

His intentionibus ubi ſatisfactũ, labores & exercitia utiliter imperari poſſunt, modò affectus conditio eadem ſuſtinere valeat.

280. Sin vero nullus iſtis relinquitur locus, ex talibus comparanda eſt lotio, quæ exiccant, conſumunt, ac flatulentos œdemotosque tumores diſcutiunt. Materiam huic intentioni idoneam ſubminiſtrant muria & Aqua Marina aut ſalſa, cui incocta ſunt Baccæ juniperi, Flores ſambuci, germina Roſmarini, ſerpilli, utriusque ſiſymbrii, Naſturtii Aquat. ſalviæ & Raphani folia, cum modico aluminis.

281. Si quid de frigido ac terreno humore ex caloris penuria concretum eſt, diſſolventia, caloreque ſubliquantia ac per halitum inſenſibilemvè tranſpiratum agentia, ut uſurpentur, res & neceſſitas exigit. Huic uſui inſervit cataplaſma ex lactis coagulo ebutyrrati, aqua Naſturtii hyberni eloti aut eidem incocti: quod prævio fotu ex aqua marina, aut lixivio cineris ſarmentorum vitis, aut Ficus, vel braſſicæ cum ſpongia inflatis tibiis admovendum arctiusque vinciendum eſt: Tumorem etiam ac duritiem eximiè diſcutit hoc Eugaleni exprimentum, frigidè admovendum, pro cujus apparatu Abſinthii communis, in pollinem deducti ſufficiens quantitas ad pultis conſiſtentiam coquitur, ſub finem addendo Ova gallinacea recenter, & ſi haberi poſſunt, eodem die excluſa, cumque albumine, vitellis, ac teſtis minutiſſime levigatis, ſubacta.

282. Ubi vero paulo durior ac pertinacior fuerit intumeſcentia, Malactico fortiori licet, quod

℞. *Pul. flor. chamameli*
Comarum abſinthij an. Drachm. iij.
rad. bryoniæ
Conſolidæ minoris an. Unc. ß.
Farinæ triticeæ
Orobi
Fabarum an. Drachm. ij. ß.

Quæ omnia libris duabus medullæ panis ſiliginei commixta, lacte caprino ad cataplaſmatum formam lenta coctione deducuntur.

Neque abs re fuerit, ſi in lacte coquatur conſolida major, Abſinthium & Chelidonium majus & minus, Radices Bryoniæ, medulla panis, Farina Fabarum ac lupinorum, pro infarctæ partis conſtitutiones & calore. Quibus etiam haud inconcinnè ſubjunguntur Vinacca juſto tempore & menſura uſurpata.

283. Ne tamen caro in detumeſcentibus cruribus flaccidior novam humorum alluvionem recipit, certis ſubſidiis confirmanda, ac potiſſimũ iis præſervanda eſt, quæ ductus virum, per quas decurrit fluxio, con-

 ſtringunt,

ſtringunt, languidiora vincula, parteſque laxas conſtipant, texturam ipſorum roborant, & humorum influxum cohibent. Ex quorum numero ſunt, Lac chalybeatum, Aqua ferrata, ac decoctum ramentorum vitium recentium conciſorum, aut radicum pomi ſylveſtris, pro inſeſſu uſurpata. His reſpondent remanentiæ poſt Rhodoſtagma, in fundo cucurbitæ reſiduę, foris admotæ, lutum Thermarum Emplaſtri ritu inſtratũ, & Roſaceum cum trito ſale illitum.

De crurum tumore ſcirrhoſo.

Crurum tumores ſcirrhoſi. 284. Longè verò majorem requirit induſtriam Tumor ac Durities ſcirrhum æmulans, ac in lapideam penè materiam converſa, quâ non crura modo, ſed & interdum genuũ compages ac fœmora ſubvertuntur. Eaſdem hæc durities planè requirit intentiones, quibus ſcirrhus curatur, ita ut emollientibus primo; deinde diſcutientibus & moderatè emollientibus & raris, & quidem ex præſcripto Galeni, *l.2.ad Glauc.* emollientibus tamdiu, donec manifeſta mollities percipiatur, & caro externa quodam rubore ſit perfuſa: Quo facto, mox diſcutientibus res agenda erit: Demum ad emollientia abſque diſcutientibus; tandem ac fortiora diſcutientia tranſeundum, perque intervalla modo his vel illis utendum. Unico namque horum ubi perrexeris, ac digerentia ſaltem uſurpaveris, ob calorem nimis diſſipantem ſcirrhum ad tophaccam duritiem promovebis.

285. Præmiſſis itaque univerſalioribus, & quæ à proprietate morbum reſpiciunt, indidem exhibitis, Topica hunc in modum uſurpanda: Inungantur primò partes ſcirrhoſæ ol. liliorum alb. & Amygd. dulc. cui poſtea modicum chamæmelini addere convenit: Deinde ſolo liliaceo utendum, cui doloris gratiâ Unguentum Alabaſtrinum, mox ratione diſcusſionis Ung. Dialtheæ aut ex mucilaginibus, vel Axungiâ vitulinâ aut felina addatur; Dehinc crus integrum cum decocto pedum ac inteſtinorũ vituli per ſpongiam fovendum, denuoque Linimentũ ex oleo chamæmelini, & Emplaſtro de Meliloto, affricandum. Tandem ad cataplaſmata, cerota, & Emplaſtra, eaque præ cæteris emollientia, tranſeundum, iisdemque longo tempore inſudandum, ceu ſunt ceratum de mucilaginibus, Stícticum Crollii, ac de Ammoniaco Foreſti.

286. Quibus omnibus ubi fruſtra uſus fueris, una cum Antiſcorbuticis deſtillatis, Syrupo ſcelotyrbico, Julepo ex Alexiteriis & ſimilibus, quibus aliquandiu inhærendum denuò emollientia ac diſcutientia erunt repetenda, adhibito ſimul partib⁹ ſcirrhoſis hoc Evaporatio, quod

℞. *Fol. Parietariæ*
meliloti
flor. Chamomillæ.

cam

cum toto
Abſinthij communis
flor. & ſummit. althææ
malvæ
Vrticæ veræ an. Man. ij.

Comminuta in Aquæ communis ſ. q. ebulliant, & crus pannis diligenter conte- ctum, vapore iſto ex aquâ decoctionis emergente, per horam unam diebus non paucis, manè foveatur, deinde oleo laurino inunctum pannis linteis calidiſſimè obvolvatur, idque donec ceſſaverit durities, & crura obambulandi officium repetunt.

Decoctum autem pro evaporatione longè præſtantius futurũ eſt, ubi reliquis Cochleariam, Naſturtium latifolium, ac Becabungum addideris.

Similis intentionis eſt & hoc fomentum.

℞. *Flor. meliloti* Man. ij.
chamæmeli Man. j.
Malvæ cum toto
Artemiſiæ an. Man. j. ß.
Manipul.
Becabungæ
cochleariæ
fumi terræ an. Man. j.
ſem. Fœnu Græci Unc. ß.
rad. althææ Unc. j.
ſem. ameos
petroſelini an. Drachm. j.
Bulliant in aqua communi.

Alii crura indurata pannis linteis, ſequenti fomento moderatè calido imbutis, & expreſſis, involvunt, mox panno laneo faſciisq; involutis, circumdant.

℞. *Rad. althææ* Unc. iij.
fol. malvæ Man. iv.
Flor. chamæmeli
Meliloti
ſummit. abſinthij communis an. M. ij.
Becabung. Man. iv.
Coq. in ſ. q. aquæ communis pro libris vj.
addendo aliquid
Aquæ Becabungæ
Cochleariæ
pro libitu.

287. Non paucis in duritie Cruris ſcirrhoſa, parum ad œdema inclinante, hoc Emplaſtrum magno fuit emolumento.

℞. *Flor. Chamæmeli*
Meliloti
lupulorum
anethi
fol. ebuli an. Man. ij.
artemiſiæ . M. j.
ſem. cymini
aniſi an. Unc. ß.
Contrita & ad perfectam mollitiem in cerevifiâ cocta, in formam Cataplaſmatis coëant, & cruri admoventur.

Vel ℞. *Stercoris bovini* ℔. iij.
Farinæ fabarum Man. j.
butyri recentis
Ol. Roſac.
Chamæmelini an. q. ſ.
pro Emplaſtro.

Quo totum crus per aliquot dies abvolvatur. Quibus tamen & aperientia quædam interna & evacuationes, inferendæ ſunt.

De Tumoribus in cute duris ac Tuberculis.

Tumores in cute duri ac tubercula.

288. Qui triſtem & ærumnoſam colunt vitam, & victus ratione craſsâ nauticâ & minus ſubducta utuntur, etiam extra διάθεσιν ὑδερικὴν, à craſſo & melancholico ſucco, in univerſo corpore, inguine, glandulοſis partibus, ac mediis muſculorum ſpatiis aliquando experiuntur tubercula, & varicoſa magna, ſicca, neque pus neq; ſaniem reddentia, monticulis quibusdã citra exulcerationem protuberantia, per intervalla evaneſcentia, & pruritum concitantia, mali moris ac doloris, cum ægri quieſcunt, ſæpè expertia; interdum etiam inter eundum & cruribus demiſſis, graviter, & nonnunquam ad animi deliquia excruciantia; atque in hoc ſolum à Gallicis tuberibus diſcrepantia, quod in hiſce tumoribus potentiali cauſtico adapertis, materia pinguis ac lardo infumato haud aſſimilis reperitur, quod in illis à ſcorbuto erumpentibus minimè viſitur. Emergunt hæc critico quodam Naturæ motu, ex ſucci melancholici ad ambitum corporis depoſitione, adeo, ut in exulceratorum locis alii novique tumores variis excreſcentiis mammillarum carnem referentes, in non paucis etiam quaſi natibus ſibi invicem impreſſi monticuli ſuper alios aſſurgentes, appareant.

Tubercula admittentia exulcerationem.

289. Ex his etiam in cruribus nonnulli profundis exulcerationibus, mediis præſertim inter monticulos vallibus, cum inſigni fœtore eroduntur: quod mali genus Dodonæus, *in Obſerv.* paveſcendæ turpitudinis morbum indigitat, quod interdum cum crurum reſolutione conjunctũ eſt. Profluit autem ex latente ipſius putredine intus, gliſcenteque ab hac febre humorum corruptione, quâ humores craſſi, præcedente partium tenuiorum excreatione inſpiſſantur, ac aduruntur. Id quod etiam ex pulſu inæquali & exili, Urinâ craſsâ, turbidâ, ac variis excrementis ſubſidentibus conſpicuâ: nec non ex tumoris qualitate minus vulgari & graviſſimis interdum ſymptomatibus, ceu paralyſi, Atrophiâ, & ſimilibus, manifeſtum eſt.

290. Sanantur autem, licet haud citrà inſigne temporis diſpendium, exhibitis in corpus iis, quæ putredinem iſtam arcere, humores craſſos ac frigidos attenuare, incidere, diluere, atque ad temperiem reducere nata ſunt. Ulcera quin etiam, à cortice duro & cruſtoſo liberata, aut Nicotianæ & Cochleariæ foliis, in vino & aquâ decoctis, eluantur, ac tandem Emplaſtro Crollii Stictico vel ſimili ad cicatricem ducantur: totoque ſimul curationis decurſu ad vaporum corruptorum eliſionem liquoris perlarum uſum aſſiduum imperando.

De Tumoribus in Inguinibus.

291. Erumpunt & interdum Tumores abſceſſibus aut bubonibus peſtiferis primo intuitu reſpondentes, tri- *Tumores.*

res, triſtes in aere vitiato characteres, quibus etiam mendaci facie morbus hic ad peſtem alludit, iisque duris, renitentibus & ſubrubris, vel nigris & cruſtoſis in inguine & cruribus prominentes, cum ſiti leviſſimâ, oris ſiccitate, Urina citrina, ac manifeſtâ fuſcedine tinctâ, pulſu parvo & inæquali. Curantur primo remediis ad ſcelotyrben excindendam facientibus: Deinde cataplaſme, quod ad ejuſmodi tumores ex Eugaleno cōmendatione maximè proficuum eſt, diſcutiendo nimirum, ac citra dolorem diſſolvendo.

Eugaleni Cataplaſma ad Inguinum Tumores. Concinnatur idipſum ex Chamæmelo, Meliloto, Parietariâ, Malvâ & Altheâ, Mercuriali, ad ſuff: decoctis ac tritis: quibus pro cataplaſmatis conſiſtentiâ addantur Farinæ dolorem mitigantes, ceu ſem: Lini, Fœnu Græci, ac hordei cum Mellis & olei Rhodini ſ.q. Quando verò accedente eroſione ulcus illud nigrum & cruſtoſum evadit, quod non paucos ad integram crurum corruptionem ac ſiderationem, certumque vitæ periculum, promoviſſe compertum eſt, à reliquâ cute & carne corruptum actutum eſt ſeparandum, ac poſtea ulcus depurandū, conſolidandumq;.

De Vlceribus Crurum.

Vlcera crurum. 292. Quin & ex humoris maligni, erodentisque vitio vel inde genitâ ſanie aliâve corruptela, unione partis, carnisque ſubſtratæ ſolutâ, Ulcera in cruribus erumpunt Chironia, Gangrænoſa, cruſtoſa, cicatricem ægerrimè admittentia, quandoque etiam neque pus neque ſaniem effundentia: quibus etiam contractio ac debilitas crurum inſignis ſuccedit.

293. Mitiora longè, quam in Gallicâ lue, hoc ulceris genus poſtula ſubſidia, ac digeſtione ac luculentâ exterſione, ſordiumque expurgatione gaudet, admixtis ſubinde iis, quæ pravi humoris influentiam emendant, & corrigunt. Digeſtioni inſerviunt ex vitello ovi, Terebinthinâ, oleo Roſatô ac Butyro Majali, probè eloto, formata unguenta; Butyrum recens in mortario plumbeo cū ſucco Malvæ in formam linimenti diductum; Mucilago ſeminum Pſyllii, Cydoniorum, Gummi Tragacanthæ, aquâ Nicotianæ veræ extracta, additis oleo liliorum alb. ac cerâ: cui Diachylon ſimplex inſternatur, vel quod

℞. *Empl. diachyl.* Unc. iij.
Vng. Dialthææ Drachm. iij.
Ol. irini
Chamæmelini
Anethini
lilior albor. an. Drachm. ij.
Ceræ Drachm. vj.
Terebinthinæ parum Miſce.

Emundationi ſatisfaciunt Unguent. de Nicotiana; Syrupus ex roſis aridis illitus, ſuperſtrato folio plantaginis aut Nicot. recenti; Mel roſatum cum Emplaſtro Nicotianæ; lapis Medicamentoſus crollii; ſaccharum aut ſigillum Saturni, Triapharmacon cum præcipitato;

Nicotianæ eſſentia & oleum; lupidis hæmatitidis oleum; Lunæ ſolutio; oleum Talci ac Saturni: oleum viridis æris aut Martis; Unguentum de ſcrophularia, Tutiâ ac Aſâ fœtidâ, Montagranæ vel de Apio emundans quod

℞. *Succorum depuratorum Apij*
Meliſſophyll.
vel abſinthij
Cochleariæ an. Unc. ß.
Chelidonij Drachm. vj.
Mellis crudi q. ſ.

Quod omnibus ad litus conſiſtentiam coctione deductis, ſecundum putredinis qualitatem aut gradum adde pulv. Thuris, Maſtichis, Aloes Mirrhæ pro libitu vel aluminis, uſti aut præcipitati momentum.

Vel ℞. *Aquæ Piloſellæ menſe ſeptemb. deſtillatæ* ℔. j.
Cui adde mellis roſacei colati Unc. ij.
pulv. Myrrhæ
lithargyrij an. ſesquiunciam.
Camphoræ modicum miſce.

Et ulcerata crura quotidiè bis colaturâ ablue ſuperſtratis demum petiis lineis, eadem aut cochleariæ aquâ madidis. Huic ut & aliis permiſcetur propter ulcerum malignitatem aliquid Mercur. præcipitati, Aquæ Cochleariæ, loti.

Vlcera nimio madore humecta aut curanda. 294. Ulceribus nimio madore affluentibus, putrique ſordido vetabo continenter madentibus, aſpergantur pulveres Radicum Cyperi, Ariſtolochiæ utriusque ſem. Urticæ dentium Apri vel ſuis domeſtici uſtorum cinis, Ærugo elota, Alumen uſtum, hydrargyri ſoluti momentum, aliaque putridis ac depaſcentibus ulceribus accommoda & incrementum ipſorum neve longius proſerpant, cohibentia. Hanc etiam in rem faciunt Aqua Balſamica Quercetani, Emplaſtrum Diachalciteos, vino auſtero ac roſaceo ſubactum; Unguentum diapompholygos, de Minio, vel ex formicis Æſculapii; Emplaſtrum ex Saturno Langii; de Nicotianâ; Sticticum Crollii; Diaſulphuris Rulandi; Aeris uſti ſecretum; Stannum Philoſophicum Penotli; lamellæ plumbi inſtratæ; Cinis plumbi uſti Montagnanæ; Unguentum Phœdronis ex Aquila cœleſti; ol. Auripigmenti; pulvis Angelicus ruber & alia. Ubi nimis cruſtoſa fuerint, id, quod corruptum eſt, à reliqua cute & carne removendum citiſſimè: & ubi ſideratio partis acceſſerit, felici ſane experimento ſtercus vaccinum recens indies bis renovatum, affectæ parti accommodandum erit.

De Maculis.

295. Emergunt non paucis in corpore univerſo, atque majori ex parte in femoribus & cruribus, maculæ ſummam cutim fœdantes, in principio floridæ ac rubeſcentes, quæ poſtmodum decoloratæ flavent, ac ſaturatiores purpureæ ac plumbeæ evadunt; tandem etiam vireſcunt, livent, *Maculæ.*

vent, fuſcantur atque ad nigredinem vergunt; omnes quidem humoris ſubter cutim ſtagnantis ideam repræſentantes. Ejuſmodi lituræ nonnunquam in ſquamulas aſſurgunt, ac reſolvuntur, aliquando corticatim excutiuntur, aut in ulcus fœtidum degenerant. Foventur hæ decocto Baccarum Juniperi leviter contuſarum, Cardamines utriusque Naſturtii hyemalis & Cochleariæ: quibus, ſi voles, addere licet, Flor. Chamæmeli, Artemiſiam, Perſicariam, Meliſſam, Abſinthium, Tragum, Majoranam, Thymum, Hyſſopum, & id genus alia: Ad lituras elidendas atque obliterandas, fœdum calorem eluendum.

℞. *Fol. naſturtij hortenſ. Aquat.*
Cochleariæ an. Man. ij.
Chamæmeli
Meliloti an. Man. ß.
thymi
ſatureiæ
Pulegij an. Man. j.
roriſmarini pug. j.
rad. Dauci Unc. ß.
fol. lauri Man. j.
baccarum juniperi
leviter contuſ. ſesquiunciam.

Ebulliant in cacabo aqua ſimplici vel pluviali repleto, ad tertiæ partis diſploſionem, quo ex calefacto femora & crura lavantur: vel immerſa linteamina aut ſpongia inebriata partibus emaculandis, quemadmodum etiam lituras foris proliciendis, adaptentur.

296. Huic etiam ſcopo ancillantur ὑποκαπνίσεις aut ſuffitus, ex decocto Geniſtæ, cui Galenus facultatem ex alto corporis in ſuperficiem trahendi aſſignat: nec non ad texturam corporis nonnihil extenuandum, ac ſpiracula reſeranda, frictiones cutis molles cum linteo calente. Quibus peractis, loca maculoſa inunguntur; Flore lactis aut Butyro inſulſo recenti, in quo Siſymbrium, Cardamine, Naſturtium Aquat. Becabunga, Abſinthium & Baccæ Juniperi contuſæ in balneo maris ſunt incoctæ, infusâ ſimul aqua Becabung. aut Chamæmelinæ quadrante expreſſum pannis lineis, iſta pinguedina calida imbutis, adhibeantur, quos etiam priusquam refrixerint ſubinde renovare licet. Feces etiam in mortario exactè comminutæ, cum adipe ſuillo in cataplaſmatis compagem ducantur. Alii coagulum lactis ebutyratum admovent. Quibusdam hæc inunctio arridet.

℞. *Butyri recentis majalis & inſulſi* Unc. ij.
Comar. abſinthij Pont. Man. j.
Vermicularis Man. ß.
baccarum juniperi contus. Unc. ß.

In vaſe figulino efferveſcant, inſtillatis ſenſim vini clari Unc. iij. *donec liquor vini evanuerit.*

Caloris tamen in hoc caſu habenda eſt ratio; cujus merito inſigniter calefacientes herbæ ſunt minuendæ, Becabunga ad augenda, & in lacte ebutyrato coctura inſtituenda.

Iisdem

Iisdem remediis nigredo totius corporis &crurum ſublevatur, quam etiam liquoris ſtillatitii ex cochleariâ uſu penitus evanuiſſe experientiâ cognitum eſt.

De Eryſipelate.

Eryſipelas. 297. A depravatâ ſanguinis qualitate, & ejusdem putredine ſpecificâ, proficiſcitur & frequens Eryſipelatis ſeu Phlegmoniis inſultus, quamlibet corporis partem, prout hanc vel illam ſic affecti magis imbecillem obtinent, apprehendens, roſeoque colore cutim ſuffundens, cum plurium dierum horrore, levibus animi deliquiis, absque nulla vel ſiti aut febre, aut moleſto caloris ſenſu, cum urinis variis, ſedimento ut plurimum rubicundo, furfuraceo, rotundo, pulſu parvo & inæquali languore ac variis anxietatibus. Ingruit vel ſingulis ſeptimanis, aut menſibus vel poſt trimeſtria intervalla, pro internarum ac extrinſecus concurrentium atque adjuvantium cauſarum magnitudine, ac majore vel parciore bilioſæ materiæ congerie, infeſtans. Contingit autem hæc efflorescentia non ſemper plethoricis, bilioſis, vel ſanguinis copiâ diffluentibus, verum etiam iis, qui ab hac conſtitutione longiſſimè ſunt remoti cum facili & momentaneo de loco in locum hujus affectus commigratione.

Curatio eadem eſt, quæ in reliquis morbi hujus ſpeciebus, habita temperamenti, humorum concurrentium, Aeris & victus præcedentis ratione, & ſubſidiis abſolvitur, quæ Scorbutum curant ac ſanguinis corruptionem illam cum putredine conjunctam à proprietate evincunt; quibus tamen magna ex parte in principio mali Bezoardici Mineralis gr. v. aut vij. cum modico Rob Sambuci inſpiſſati ad ſudoris provocationem admiſcenda.

De Febribus tam intermittentibus quam Continuis.

298. Uſitatiſſimæ deniq; hac tempeſtate ſunt Febres, quotidie, tertio, quarto die recurrentes, præter dierum, acceſſionem nihil cum veterum febribus commercii obtinentes, omnemque methodicam curationem reſpuentes. In harum notitiam devenire licet pulſus adminiculo, qui ut in vigore febris parvus eſt & inæqualis, licet interiora ſæpenumero utantur, & corpus ob æſtum viſcerum nimium variè jactetur cum gravi anguſtia & reſpirationis difficultate ad ventriculi regionem ſub diaphragmate infeſtante. Pulſui adſtipulantur urinæ, craſſæ, rubicundæ ac ſubfuſcæ, cum ſedimentis copioſis, à quibus nihilo clarior ſuper eminere urina conſpicitur, ſed craſſa, turbida, & ſubalbida matulæ parietibus adhærens, qnandoque etiam ſublivida & ſubnigra, non unius ſed plurium humorum putredine concurrente. Febres Scorbuticæ

Quin

Quin & in Urinis, quæ in aliis morbis coctionis deſignant exordium, ſedimento in hoc cruditatis extremæ notam exhibent: idque ex morbi incremento manifeſtiſſimè elucet.

Accidentibus graviſſimis præterea ac raris hæ Febres aſſociantur, ceu motibus convulſivis, Tremore, variis & pungentibus capitis doloribus, dorſi, crurum, & inteſtinorum lancinationibus, tum vomitu graviſſimo, paroxyſmo cumprimis recurrente: quandoque in alios commigrant morbos, variâque acceſſionum imagine ludunt. Quæ fere univerſa à vaporibus malignis, ac venenatis proficiſcuntur, qui ab hac putredine reſolvuntur, in intermedia muſculorum ſpacia & membranas ſuâ vel qualitate & virulentiâ vel continui ſolutione, hoſce affectus excitantes.

299. Expletur hæc Curatio ejuſmodi remediis, quæ Scorbuto ac Febri debentur, præmiſſis ſuper univerſalibus, ac ſimul anni tempore, morbo, ægrotantis temperie ac viribus, præcedenteque victus ratione, in conſilium vocatis. Univerſum autem Febres curandi negotium, quo ſingulæ pauciſſimis paroxyſmis elidantur, in hiſce Canonibus verſetur.

1. Si morbus multa bile redundans, plures tertianæ febris notas, quam Scorbuti, repræſentaverit, iis, quæ bilem reprimunt minori quantitate admiſcenda ſunt, quæ Scorbutum proprietate quadam curant, quæque idipſum humectandi quadam ac refrigerandi poteſtate præſtare poſſunt. Quo in caſu Becabungæ & Acetoſæ ſuccis, qui decoctis ſunt præſtantiores, primæ deferuntur partes. Quibus tamen ubi ex voto curatio non reſpondet, de Cochleariæ ſucco aut decocto parum addi poteſt.

2. Ubi abſque multâ ſiti cum urinis nigris & crudis vel craſſis & ſubfuſcis, febris infeſtarit: in corpore copioſo, craſſo & melancholico ſucco diffluenti, Cochlearia & ſuccus ejus eſt convenientior.

3. Mitioribus minusque incidentibus & attenuantibus medicamentis curationem expedire licet, ſi aer, in quo decumbit æger, tenuis fuerit ac ſubtilis, ſimilisque vivendi conſuetudo acceſſerit. Quæ tamen in craſſo & humido aere ſenſim intendenda ſunt.

4. Humores incidentia & attenuantia ſubſidia, quæque pro ægrotantis temperamenti conditione ſcorbuticis Alexiteriis addi debent, ſunt Carduus Benedictus, Abſinthium utrumque Enulæ Campanæ radices, Naſturtium utrumque, Trifolii aquat. & his cognata. Quibus in robuſtioribus, rebus ita faventibus decoctum rad. Chelidon. minoris, ac Raphani ſuccus expreſſus, convenienti pro portione admiſcere debet.

5. Quando ad febrium intempeſtivas Acceſſiones cibandi neceſſitas

medicamenti exhibitionem impedit ac Vernum tempus adfuerit, liberiori aeri æger eſt committendus, & humorum concoctio expectanda, alvusque per intervalla leni ſolvente movenda.

6. Recurrentes ſubinde atque ad præcordia infeſtantes anguſtiæ moram ubi traxerint, aliquando etiam in ipſo Febris vigore Medicamenta ad ſcorbutum ac Febrem facientia ſunt urgenda.

7. Alvus ubi non reſponderit, infundenda ſunt Enemata ex iis, quæ humores attenuant & incidunt, ac ſimul humorem melancholicum pro temperamenti ac victus occaſione reliquis humoribus confuſum, leviter evocant. Graves enim morbus hic præſertim inter initia, non admittit commotiones.

8. Præſente ſanguinis abundantia, à venæ ſectione curationis exordium faciendum.

Haud abſimilem Curationis ordinem etiam in Febribus continuis, & aliis, quæ peſtilentialium ac malignarum mores induunt, & cum iiſdem communicant, inſtituere licet: in quibus non minus à mitioribus ad validiora aſcendere decet illum, qui ſecuram ac citam iſtarum medelam aſſequi volet.

Θεῷ Μόνῳ Δόξα.

INDEX.

INDEX.

A.

ABſinthium. pag. 195
Aceti generatio. 39
Acidulæ. 111.172.264.355
an Scorbuticis conveniant. 172
Acria 262
Aer. 43.135.231.299.318. *qualis ad Scorbuti præſervationem eligendus.* 351
Aeris depravati emendatio. 352
Albflecke. 60
Alimentorum ſimplicitas varietate præſtantior. 354
Alterantia in Scorbuto vulgaria. 364
Hermetica. 367
cum obſtructiones removentibus frequenter ſunt conjungenda. 364
Alvus ſicca. 240
fluida. ibid.
Alvi adſtrictio. 76
laxatio. 267
fluxus. 74.284.319. *quomodo curatur.* 129
fluxus ſanguinolentus. 75
fluxuum diſcrimen â ſcorbuticis profluviis. 334
profluvia ſcorbutica non corriguntur medicamentis adſtrictoriâ vi pollentibus. 393
Alvum lenientia. 273
Animi affectus. 265.320
ut coercendi. 356
Animi deliquium. 386
Animalis functionis læſio. 324
Anxietas. 322
Aperientia. 270
Aphrodiſia quando innoxia. 355
Apoplexia. 71
Appetitus dejectio. 73.239
Aqua. 43.231
Cochleariæ. 367
Aquæ timor in canis rabie. 208
Aquæ ferratæ ad Scorbutum. 173
Aquarum differentiæ. 167. *vires unde.* 173
Aromata. 352
Arſenici uſus. 376
Arthritis. 67.240
Arthritidis curatio. 124
Artus marceſcentes roborantia. 389
Artuum rigidorum curatio. 126.290
Artuum reſolutionis nota. 337
Atrophia. 85.134.244.387
Atrophiæ crurum curatio. 292

Aurantia poma contra ſcorbutum utilia. 172.

B.

Balnea. 112.265.277
aquæ dulcis. 355
ferrata an Scorbuticis conveniant. 172.
Becabunga. 99.194
Bellaria. 353
Blauſchuyt. 14.187
Britannica herba. 98.163.187
Plinii 368

C.

Cacochymia ſeroſa. 27
Cæcitas ſubitanea. 71
Calor momentaneus. 392
nocturnus. 77
Caloris nocturni curatio. 130
Caput ad ſeri in reliquum corpus diſtributionem facit. 54
Cardamine. 304
Carnes 261. laudabiles. 352
Carus. 385
Cataplaſma Eugaleni ad inguinum tumores. 401
Catarrhorum ſeptem ſpecies. 176
Ceratum de Ammoniaco Foreſti. 379
Cereviſia. 43.264.354.
Chalybs. 275
præparatus. 112
Chamærubi fructus. 99
Chelidonium minus. 99
an Scorbuto conveniat. 471
Chyli craſſiores partes à liene attrahuntur. 30.
Cibus. 41.135.232.261.319
Cibi in coctione rareſiunt & ſpirituaſcunt. 29.
Cibi Scorbuto generando apti. 41.
Ciborum delectus. 352
Cochlearia. 98.194
Cochleariæ deſcriptio. 200
Cochleariam non eſſe Telephium. 304
Cochleariam & Britannicam diverſas eſſe plantas. 304
Cœli ſtatus & loci conditio. 232
Colici dolores noti a conſuetis ut differant. 337.
Columbarum eſus medetur paralyſi. 210
Condimenta. 261
Contagium. 46
Contractio membrorum. 70.381
Contractionis membrorum curatio. 126.
Convulſio & convulſivi motus. 70
Cordi ejusq; facultati robur adminiſtrantia. 372
Cordi ſubſervientia medicamenta. 386
Corporis conſtitutio. 154
color. 239
extenuatio. 239
gravitas. 54
odor. 77
Creſſon. 205
Cruditas duplex. 38
Crurum rigiditas. 243
reſolutio. 384
Cucurbitæ quando locum merentur. 357.
Curandi affectus Scorbuticos regula generalis. 117
Curatio Scorbuti. 90.157.260.301. 350.356.

D.

Decoctum Scorbuticum. 362
in atrophia. 388
ſudoriferum ex China. 386
Deliria. 71.324
Delirii Scorbutici a populari diſcrepantia. 341.
Dentium vacillatio 377. *quomodo a Communi diſpeſcatur.* 341
vitia. 56.117.326
curatio. 117
Deſtillatum. 363.388
pro vino diluendo. 354
Deſtillata compoſita. 367
Diaphoreticæ Chymica. 360
Diæta in Scorbuto. 154.159.191.260
Diuretica. 276.360
Dolor ventris. 61.124.393
Dolor ventris ſcorb. ortus. 62. *a Colico differentia.* 62.337
Dolorem ſcapularum mitigantia. 380
Dolores varii. 60.325
vagi. 61.239
capitis. 66.325
dentium. 66.326
hypochondriorum. 65.239
lumborum. 65.379
Nephritici. 66
crurum 60.123.326.395. *unde varias habent facies.* 395
Surarum. 60.326.
citra talos & plantas pedum. 60
manuum. 61
coxendicis. 61.326
Oßium. 210
genuum. ibid.
nuchæ. ibid.
maxillæ. 362
Scapularum. 326. *mitigantia.* 379
brachiorum. 326.379
pedum. ibid.
Articulorum. 326.379
Coſtarum. 326
digitorum. 326
Dolorum in cruribus curatio. 123

E.

Electuarium conſervans. 363
Embammata. 163
Engern. 307
Epatis tumor. 239
vitio orta mala. 330
Epatica. 114.273.279
Epilepſia. 70.383
Epilepſia Scorbuticæ ſigna. 338
Epilepticarum convulſionum remedia ſpecifica. 383
Eryſipelas. 82.404
Eryſipelatis curatio. 131
Eſſentia. 367
Evacuatio duplici ingenio perficitur. 357
Excretorum vitia. 332
Exercitiorum in corporibus utilitas. 355
Expurgationi corporis inſervientia ſubſidia. 360
Extracta in Scorbuto an uſurpanda. 101
Extracta liquida & eſſentia. 109
Extractum. 363.368
Iuniperum Eugaleni. 369

F.

Facies ſubtumida. 385
Faciei color. 77.239
Faucium exulceratio. 377
Febris 240

mixta ex continua & tertiana intermittente. 324
Febres ſcorbuticæ. 78.322.404
tertianæ. 79.323
quotidianæ. 80.323
Continuæ. 80 324
peſtilentes. 81.324
Lentæ. 322
quartanæ. 323
Febrium ſcorbuticarum ab aliis differentia. 78
ab intermittentibus. 335
â continuis. 335
curatio. 130
Ferri natura & qualitates. 130.174
Fixum. 39
Flatus. 329
Fœtor anhelitus. 129 380
Fœtoris anhelitus curatio. 129
Fœtorem animæ corrigentia. 380
Fomenta arida. 276

G.

Gangræna ſcorbutica. 85.331. *quomodo â vulgari ſegregatur.* 342
Gemurſa. 208
Genarum rigiditas. 71.243
quomodo curatur. 128
coarctatio. 250.
Genuum contractorum remedia. 290.
Gingipedium. 14.189.229
Gingivarum vitia. 56.117.328
luxuries quibus ſubſidiis reprimenda. 117.376
Grandini in ſue an ſit cum ſcorbuto in homine quid commercii. 305
Gravitatis ſenſus. 238

H.

Hæmorrhagia narium. 76
Hæmorrhoides. 267
Hæmorrhoidum provocatio quando locum mereretur. 357
fluxus quandoq; Scorbutum curat. 171.
Hollandia unde dicta. 178
Hollandia ſolum quale. 179
Horrores ſcorb. 77
Humorum præparatio. 92.268. *de qua canones neceſſarij.* 357
vitioſorum colluviis in primis viis multorum morborum cauſa. 23. *in totum corpus per venas & arterias diſtribuitur.* 24. *eductioni canones præſcribuntur.* 357
Humor ſeroſus ad plurima mala excitanda aptus. 53
Humores craſſos in thorace incidentia. 389.
Hydrops. 82.330.394
Hydropis curatio. 131
Hydropis ſcorbut. & communis diſcrimen. 339.
Hydrops veſicalis quibus notis differat â vulgari. 340
Hydropis veſicalis curatio. 395

I.

Icterus. 77
Icterus niger proprio nomine apud pleroſq; Medicos caret. 149
quid. 150

an Scor-

an Scorbutus. 251
an ſtomacace. 149
Indicationes in ſcorbuto. 91.186
Intentiones ſcorbutum curandi generales quinque. 356
Iuſcula. 261.352

L.

Lac. 265
ebutyratum quando admittendum. 366.
caprinum ſcorbuticis utiliſsimum. 354.
Lactis caprini uſus ad alterationem eximius. 366
Languor ſpontaneus. 322
Languor ſine cauſa. 392
Laſsitudo ſpontanea. 54.238
Lichen. 208
Lienem roborantia. 114.279.372
Lienes magni. 189
Lienis durities. 378
tumor. 239
uſus. 25
Lien non eſt officina ſanguinis arterioſi. 27.
aquoſa attrahit. 25.235
craſſa attrahit. 26
Linimenta pro lumbis dolentibus. 380
Lipothymia. 72.240.322
Lipothymiæ communis à mendoſa ſcorb. diſcrimen. 335
Lipothymiæ curatio. 128
Liquores. 367
Loci conditio. 232
Locorum differentia Medico cognoſcenda. 146.
λόρδωσις. 258
Lues venerea. 228
Lumbago. 65.175.176.240.258
Lumbaginis curatio. 177

M.

Maculæ. 56.238.244.258.402
non ſolum in cruribus apparent. 170
interdum in ulcera tranſeunt. 171
Macularum curatio. 122
Mala ex hepatis vitio orta. 330
Mandibularum coarctatio. 385
Medicamenta antiſcorbutica. 37.98.194.271.361. de iis admonitio. 101. in quibus occulta vis. 38. recentia. uſurpanda. 38
Medicamentum ex ſuccis 366
Mel. 263
Melancholia. 248
Melancholicus humor aqueus, craſſus & ſero dilutus eſt cauſa Scorbuti. 34
Melancholici humoris natura & generatio. 27.40
Melancholici ſudant largius & ſunt ſputatores. 236
Membrorum reſolutionis nota. 337
Memoria læſa. 72
Menſes. 267
albi. 77
Menſium provocatio quando locum meretur. 357
fluxus quandoque ſcorbutum curat. 171.
Mentagra. 208
Mixtura. 370
Morbi & moriendi neceſsitas. 223
Morbi Epidemij. 225.207

Morbi Endemij. 155.207.227
Sporades. 207.225
quibusdam locis vernaculi. 146
κοινοί. 225
λοιμώδεις. 225
qui ſcorbuto adſunt. 181
an dentur novi. 189.208.305. *eorum monſtra.* 206.207. *cauſa.* 206.
Morborum natura quomodo inveſtiganda. 143. *cauſa.* 153. *variatio ratione locorum.* 171. *diſtinctio.* 224. *numerus* 248. *tres claſſes.* 206
Morbus Gallicus vetus morbus. 210
quomodo ejus ſpecies mutata. 206
ut differt à Scorbuto. 324
Morbilli. 227
Morſuli. 111
Motus. 137.265.320.327

N.

Nachtgriff. 60
Naſturtium. 99.194
hybernum. 205
aquaticum minus. 204. *maius.* 205
Nauſea. 390
Nervorum contractio ſcorbuticis familiaris. 338
Nummularia. 195

O.

Obſervationes de ſcorbuto raræ & novæ. 52.
Obſtructiones in ſcorbuto duplicem curandi deſiderant intentionem. 356
viſcerum expedientia ſimplicia. 361
Compoſita. 362
Ochra. 210
Oleum Fernelij ſtillatitium ad articulorum dolores. 379
Omenti cavitas. 236
Oris fœtor. 242
vitia: 56.117.328
vitiorum curatio. 117
ulcerum curatio. 163
Oſcedo. 149.189
Ovorum uſus. 353

P.

Palpitatio cordis. 72.322
Paralyſis. 67.244.327
ſcorbutica. 257
ex Colica ſcorbutica. 68
ab oſſe ſacro uſq; ad talos crurum. 209.
Linguæ. 384
crurum. 384. *quomodo removenda.* 385.
Pectoris anguſtia. 55.238.322. *ut curatur.* 117.
Peſtis. 207
quibus ſignis à ſcorbuto diſtinguatur. 341.342
Pharmacia. 266
Phthiſis. 387
ſcorbutica, quomodo ab Atrophiæ generibus aliis dignoſcatur. 340
Piſces. 262. *laudabiles.* 352
Plantæ ſcorbuticis utiles. 195. *omnes ſunt acres.* 196
Pleuritis. 66
notæ. 387

Pleu-

Pleuritici dolores noti, quibus a communibus diſcrepent. 336
Potus. 43.135.235.264.319
Præſervatio a Scorbuto. 351
Præparatio humorum. 92. *de qua regulæ generales obſervandæ.* 93
Præparantia humorem ſcorbuticum. 157. 271. *in ſcorbuto qualia.* 92
Prognoſtica. 87.192.245.343.
ſtomacaces. 249
Prophylacticè ſcorbuti. 165
Pulmones in ſcorbuto nonprimò afficiuntur. 44. *roborantia.* 115.279. 372.
Pulſus ſcorbuti. 59.240.321
Pultes. 262
Purgatio in ſcorb. 194
Purgantia. 94
vehementia. 269

Q.

Quercetani remedium ſpecificum. 366
Quies. 137.320

R.

Rangiferorum ſanguis. 100
Raphanus ruſticanus. 99
Raphani ſylveſtris uſus. 365
Regionum differentia Medico cognoſcenda. 146
Res non naturales qua ratione ad ſanitatem tuendam conducunt 351. *tripliciter conſiderantur & in uſum trahuntur.* 351. *ut legitimè in ſcorbuto evertendo uſurpantur.* 351
Reſpirationis difficultas. 55.322.386
quomodo vulgata ab illa, quam ſcorbutus excitat, differat 333. *& curetur.* 117
Rigiditas membrorum. 70
Rigiditatis membrorum curatio. 126
Roborantia. 114
Ructus. 73

S.

Saccharum. 263
Sanguinis miſsio in ſcorbuto. 91.157. 193.266.
quando admittenda. 356.
per hæmorrhoides. 91
per venæſectionem. 91
Sanguinis mittendi quantitas. 92
Sceletyrbe. 207.209.230
unde ducta. 152
quid? 152
an ſit paralyſis. 152
non eſt ſcorbutus. 188
Sceletyrbes deſcriptio Galeni. 209
ſigna. 243
remedia. 289
Scerbock. 149
Daniæ & Norvvegiæ morbus. 208
Schorbuck. 13.187.297
Schorbein. 187
Schurmund. 13.187
Scorbutus. 13.297
quando Scorbuti nomen acceperit. 15
quid? 181.187
an Oſcedo. 14
an ſtomacace. 14
an Icterus niger. 15.190.251
an vitiligo nigra. 16
an magni lienis Hippocratis. 16.189

 an

an volvulus Hæmatites.17.190.252
an grando ſuum. 256.305.306 307.308.
in principio difficulter cognoſcitur. 50.
an antiquis fuerit cognitus. 14
an Græcis & Arabicis Medicis cognitus. 189.254
an Galeno P. Ægineta & Avicenna. 19.
ab Hippocrate deſcriptus. 147
a Celſo. 147
a Cælio. 148
ab Ægineta & Ætio. 148
quomodo generetur. 31
per contagium propagatur. 234
quomodo per contagium communicetur. 46
an ab humore tenui ichoroſo proveniat. 235
eſt morbus compoſitus. 317
eſt farrago & congeries plurimorum morborum & ſymptomatum. 21. 49.
quandoq; eſt ſporadicus. 21.229
endemius. 155
quandoque epidemius. 155
σόμφοτος & hæreditarius. 234. 247.
quibus regionibus ſit endemius. 20 229.
cur ſit frequens Amſtelrodami & Alcmariæ. 167
quo anni tempore magis invadat. 155.247.
quibus ætatibus ſit familiaris. 155
Scorbuti nomina. 13.183.187.229.315
Natura & generatio. 40.230.316
Definitio. 317
Subjectum. 317
Cauſa.153.231.318. externa.318. remota.41.318.procatarctica.390. antecedentes. 184. 318. proxima. 390.continens.184.coniuncta.184
periodi. 241
Scorbutica colluvies ubi generetur.32.contineatur. 34
Scorbutici humoris evacuatio. 158
Scorbuticorum morborum & ſymptomatum generatio & enumeratio. 32. 230.
Scorbuticus humor peculiari modo corruptus.35. quomodo generatur.36. nervoſo generi infeſtus.54. per quas vias ad ventrem feratur. 64
Schuerbuyck. 149
Sedum minus. 99
Semen aquoſum. 77
Senſus gravitatis. 238
Serum quotuplex. 28
Serum & ichor quid.28.an differant. ibid.
Seroſus humor ad plurima mala excitanda aptus. 53
Serum lactis. 265.354.367
Seri lactis vires & uſus. 199
Signa Scorbuti. 185.299
generalia. 50.320
incipientis. 51.191.321
augmentum ſumentis. 51.191
ingraveſcentis. 51.191.321
confirmati. 321
diagnoſtica. 238.320.333
Signa paralyſin veram a Scorbutica diſtinguentia. 336
Siſymbrium. 194.304
Sitis in Scorbut. 73

Somnus. 57.265.320
profundus. 325
Somni conditio qualis. 354
nimij curatio. 128
Spaſmi Cynici & retractionis calcanei medela. 384
Spiratio difficilis. 238.248
Slenes magni an ſcorbutus. 253
Splenes magni 20. *librarum.* 154
Splenetica. 314.197.273.279.372
Sputatio continua & ſalivatio. 74.390
quo pacto curetur. 129
Stercoris anſerini & taurini vires. 196
Stomacace. 15.207.230
unde dicta. 142.149
an ſit volvulus Hæmatites. 151
non ſemper cum ſceletyrbe conjungitur. 170
quandoq; eſt ſine maculis & ulceribus crurum & contra. 171
& Sceletyrbe Plinij. 147.187
Stomacaces notæ. 241
Stomacaces & Sceletyrbes nomina à quibus Scorbuto indita. 142.188
Stomacaxia barbar. 149
Strangulationis metus. 72
Stupor. 67
Stuporis tremoris convulſione curatio. 124
Sudor Anglicus. 228
copioſus. 76.393
Sudorifera. 112.277.360
Symptomata Scorbuto familiaria. 373
tactûs. 325
motûs. 327
naturalis facultatis. 327
à cerebro affecto emanantia ſunt reliquis periculoſiora. 373
Syrupus Foreſti ſceletyrbicus. 368
ex raphano & Becabunga. 368
VVieri pro infantibus. 368

T.

Tabes dorſalis. 176
Telephia ulcera. 156
Telephij deſcriptio. 304
Telephium. 84.157
Thoracica. 275
Thoracis affectiones. 328
Tinctura. 369
fumariæ & chamædryos. 159
Topica. 197
ad ventriculum. 279
ad epar. 197.281
ad lienem. 197.280
carnem gingivis reſtituentia. 197.287.
ad maculas. 198
ad tumores duros. 198
ad membra rigida. ibid.
ad ulcera tibiarum. ibid.
Tremor. 69
Triſtitia. 71
Tubercula admittētia exulcerationē. 400
Tumores. 330.400
crurum 244. *ſcirrhoſi.* 398
faciei. 81
pedum. 81
in inguine & glandulis in muſculis. 81. *horum à Gallicis tumoribus differentia.* 82. *duri in cute.* 400
Tumorum durorum curatio. 131
peſtilentibus ſimilium curatio. 321
Gallicorum à Scorbuticis diſſimilis conditio. 342
Tuſſis. 389

V.

Vari. 228

03-91

Varices. 240
Vena quæ aperienda in Scorbuto. 91.157
de venæ ſectione varia Medicorum opiniones. 357
Venus. 265
Ventris tormina. 248
curatio. 124
ex ventriculo ortæ affectiones. 328
Ventriculo debili conferentia ſubſidia. 114.278.371.
Verba Hippocratis & Galeni de natura humana. 207
Veſica in corpore. 83
Veternus. 385
Victus. 154
Scorbuto generando aptus. 37
Vigiliæ. 71.137.265.320
cur vitandæ. 355
Vinum. 43.264.353
alterans. 366
ſaſſafratum. 354
Viſcerum confortationi quare diligenter invigilandum. 371
infarctus expedientia ſimplicia. 361.
Vitæ genus. 133
Ulcera. 131.132
Scorbutica qualia. 156
crurum. 83.401
Telephia. 84.156.304
penis. 84
Ulcera nimio madore humecta quomodo curanda. 402
Ulcerum Scorbuticorum curatio. 132. 160.293.
Ulcus κακοηθές. 156
Unguentum de aquilegia. 283
Volatile. 39.
Volvulus Hæmatites an ſit Scorbutus. 252.
an ſtomacacia noſtra. 209
Vomitus & vomendi conatus. 73.390
Scorbuticis familiaris quomodo à vulgari diſcrepet. 334
Vomitus curatio. 129
Vomitoria. 158
Urinæ Scorbuticorum. 57.240.332
ardor. 57
Urinam cientia. 112
Vulnera pro ratione loci periculoſa vel non periculoſa ſunt. 146

W.

VVieri laus. 170

FINIS.

X
J654
S478d

L+B
in
apr. 06